UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

Parisiis, 1644

Concilivm Lateranense V. Generale Novissimvm, Svb Ivlio II. Et Leone X. Celebratvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15644

Visual Library



ANNO CHRISTI 1512.

CONCILIVM LATERANENSE V. GENERALE NOVISSIMVM, SVB IVLIO II. ET LEONE X. CELEBRATVM.

Leo papa decimus, vniuersis & singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis & aliis prælatis ac doctoribus & scholaribus vniuersitatum quorumcumque studiorum, & aliis fidelibus Christianis, ad quos præsentes peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

CVM in moderno Lateranensi Concilio per felicis recordationis Iulium papam II. prædecessorem nostrum indicto,& per nos, sacro ipso approbante Concilio, concluso, multa salubria ad morum correctionem, & subditorum quietem, & animarum salutem, prout expedire visum fuit, per diuersas bullas, seu literas apostolicas, statuta fuerint, quæ vberes fructus, Deo dante, in domo Domini allatura fore speramus, & earum bullarum, ac aliorum omnium in dicto Concilio gestorum tenorem, illo prius per dilectum filium nostrum Antonium tituli sanctæ Praxedis presbyterum cardinalem, de mandato nostro cum originalibus literis diligenter examinato, ac de verbo ad verbum in vnum librum redigi, & per dilectum filium Iacobum Mazochium in Romana curia librorum impressorem impri-

mi fecerimus, quia forsan contingeret de literis ipsis sic impressis dubitari, & an fides eis in causis agitandis sit adhibenda, hæsitari, illæque per allegantem in forma authentica sub plumbo, si extra Romanam curiam essent producendæ, vel sub vicecancellarii, si in libro cancellariæ; aut camerarii signeto, si in libro cameræ essent descriptæ, & in dicta curia essent producendæ, produci deberent: eapropter pro communi omnium vtilitate, vniuersis & singulis vestrum per apostolica scripta mandamus, quatenus librum ipsum per dictum Iacobum impressum, & per eumdem Antonium cardinalem summa cum diligentia correctum, reuisum, & bene examinatum, prompto susscipiatis affectu, & studio alacri eo vtamini de cetero in iudiciis ac scholis, ac si literæ ipsæ sic impressæ, sub plumbo inibi essent insertæ. Mandantes insuper, quod tenori literarum sic impressarum, manu publici notarii ex dicto libro extracto, ac subscriptione & sigillo alicuius episcopi munito, eadem prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio, quam extra illud, quæ adhiberetur ipsis originalibus literis prædictis, si illæ sub plumbo exhibitæ forent vel ostensæ: quodque in eis contenta inuiolabiliter seruentur, & per vos seruari mandentur, si gratiam nostram caram habetis, & nostram indignationem cupitis euitare. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesimaquinta Maii, anno Domini 1521. pontificatus nostri anno nono. ANNO CHRISTI 1521.

Antonius de Monte cardinalis sanctæ Praxedis, Leoni X. pontifici maximo perpetuam felicitatem.

MVLTA sunt, pater beatissime, eademque summa & præclara, quibus immensa Dei bonitas augustissimum pontificatum istum tuum a sui principio mirum in modum exornauit atque illustrauit. Est enim magnum ac rarum, vt reliqua præteream, te ex vrbe totius Etruriæ florentissima, ac ceterarum omnium principe familia, vniuersæ non modo Etruriæ, sed etiam Italiæ atque Europæ clarissima, parentibus nobilitate, virtute, rebus gestis, fortuna, religione, pietate conspicuis ortum duxisse; primum e nationis tuæ mortalibus sanctissimam Petri sedem conscendisse, atque in ætate quidem tam va-

ANNO CHRISTI 1512. lida & robusta, vt id nullis, aut certe pauciſſimis poſt hominum memoriam contigerit: poſtquam tamen in ſacro ſenatu per quatuor fere luſtra inter patres magna cum dignitate, laude, & virtutum tuarum multiplicium experimento verſatus fueras. Sed tamen in numero tot gratiarum inſignium a Deo acceptarum, illud mihi præcipuum videtur ac ſingulare, quod in tanta peccandi licentia, tam perditis moribus, tam nefaria plurimorum audacia, communi atque vnanimi patrum cunctorum voto, ſuffragio, ſtudio, conſenſu, ea potiſſimum tempeſtate, qua ſacrum in Laterano Concilium a Iulio II. indictum haberetur, poſt iam confirmatum decretum & publicatum de eliminando ab electione in poſterum Romani pontificis ambitu & ſimoniaca prauitate, a dicto prædeceſſore tuo editum, nunquam ſatis laudatum, clauum diuini imperii conſecutus, eumque ab ipſa Lateranenſis Concilii celebritate fauſte feliciterque auſpicatus fueris. Quid enim ſanctitati tuæ magnificentius, quid glorioſius accidere potuit, quam eo tempore, quo de cuiuſque vita reformanda, temperandis moderandiſque moribus, ambitione tollenda, ſchiſmate peſtifero extinguendo, augenda religione, roborando Chriſtianorum ſtatu, conſeruanda amplificandaque Romanæ eccleſiæ dignitate maxime agitur, omnium oculos, mentes, animos in te vnum fuiſſe coniectos; eo, inquam, tempore vnum te ab vniuerſo ſenatu? tanto faſtigio atque gradu digniſſimum fuiſſe iudicatum. Quod ſane admiratura cum ſit omnis ætas, & ad incredibilem ſapientiam, vitæ candorem, innocentiam, facilitatem, ceteraſque præſtantiſſimas vel animi vel ingenii tui dotes relatura, maximam perennis gloriæ tuæ partem Lateranenſi Concilio aſcribat neceſſe eſt: cum etiam maiores noſtri Martino quinto prædeceſſori tuo ad maximam felicitatem aſcripſerint, quod in Conſtantienſi Concilio poſt ſchiſmatis pernicioſi extinctionem, in tanta patrum diuerſitate & numero electorum ac nationum varietate concorditer ad ſummum pontificatum aſſumptus fuerit, idemque memoriæ mandauerint. Quare dum tu, illud idem immortale eſſe cupiens, magnis rationibus motus, omnia in eo geſta ſub vno volumine in lucem prodire voluiſti, pro tua innata pru-

dentia scias, te non minus æternitati nominis tui, quam rei- ANNO CHRISTI 1512.
publicæ Christianæ commoditati, ornamento, saluti pro-
spexisse. Ego autem pro summa in sanctitatem tuam mea
obseruantia & seruitute, illa ipsa in publicum edendi onus
mihi a sanctitate tua demandatum tanto suscepi liben-
tius, quod hac in re viderem eius ipsius famam cum com-
muni causa coniunctam. Qua igitur mentis atque animi in
istam sacratissimam sedem promptitudine, sinceritate,
deuotione & constantia, sanctitate eadem tua teste, dum
in minoribus ageret, & scintillæ aliquæ futuri schismatis
apparerent, in summo rerum ac temporum discrimine
indicendum Concilium Iulio Bononiæ tunc constituto
suadebam, eadem ipsa constitutiones promulgatas, con-
ciones habitas, epistolas a Christianis principibus missas,
omnia in duodecim sessionibus, ex quibus dictum sacrum
Lateranense constat Concilium, gesta, ordinata & cor-
recta, mandata publica, cetera denique ad Concilium
pertinentia in vnum collegi, & ex originalibus exem-
plaribus quam emendatissime transcripta, Iacobo Ma-
zochio Romanæ academiæ librario fidissimo imprimen-
da tradidi, paucis exceptis, quæ casu amissa, reperiri non
potuerunt. Absoluit tandem ille summa cura, solertia,
industria frugiferum & salutare opus, meaque sententia
dignitatis, auctoritatis, maiestatis multo maioris quam
voluminis. Nam aut me amor fallit, aut si vel restitutam
fluctuosissimis temporibus ecclesiæ vniuersalis serenita-
tem, vel pernicioſi schismatis extinctionem, vel eligen-
di Romani pontificis formam, vel vniuersorum ordinum
reformationem, vel agendi Concilii normam, aut du-
biorum declarationem in arduis materiis, vel in perfidos
Christi hostes decretam expeditionem, vel demum a-
ctus omnes æquo æstimemus animo, non modo recentio-
ribus, verum etiam vetustissimis quibusuis Conciliis iu-
re optimo conferemus. Sed ne suspensam importuna for-
tassis præfatione sanctitatem tuam grauioribus occupa-
tam diutius detineam, finem scribendi facio: illud tamen
vnum ingenue affirmans, ad tuam singularem ac prope di-
uinam sapientiam maxime spectare, quæ pro communi
Christianæ reipublicæ incremento summis laboribus ge-
sta, atque in illustri tandem sunt posita monumento, san-
cta,

ANNO CHRISTI 1512.

cta, inuiolata, incorrupta perpetuo esse velle, eaque Christianis principibus vniuersis sub authentica forma nota facere. Quod si tu, pontifex beatissime, ceteris grauissimis negotiis, curisque assiduis quandoque miscebis, magnum immensæ felicitati adiunges cumulum, & pontificatum tuum glorioſissimum haud dubie augustiorem facies. Feliciſſime valeat sanctitas tua, quam Deus optimus maximus diu incolumem pro sua pietate ad regimen & custodiam ecclesiæ suæ sanctæ conseruare & custodire dignetur.

Summarium, siue rubricâ sacri Lateranensis Concilii, quod fuit inchoatum sub Iulio II. pontifice maximo, die decima mensis Maii anni 1511. *& terminatum die decimasexta Martii anni* 1518. *sub Leone X. pontifice maximo.*

SACRVM Lateranense Concilium duodecim habet sessiones. Ante primam narratur, quibus de causis Iulius II. pontifex maximus prorogat Concilium, alias per sanctitatem suam indictum: deinde quo ordine & comitatu præfatus Iulius die tertia Maii anni millesimi quingentesimi duodecimi ingreditur basilicam Lateranẽsem, qualiter Missa solenniter celebratur per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Raphaelem episcopum Ostiensem, cardinalem sancti Georgii, sanctæ Romanæ ecclesiæ camerarium, sacrique collegii cardinalium decanum: cantaturque euangelium per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Ludouicum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem de Aragonia. Deinde reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis de Farnesio, nomine pontificis, propter suæ sanctitatis indispositionem, legit schedulam hortatoriam ad huiusmodi Concilium perficiendum. Qua lecta, sanctitas sua declarat primam sessionem inchoari debere die Lunæ decima Maii. Postremo habetur oratio ornatissima per reuerendum patrem dominum Ægidium Augustinianæ religionis generalem.

Prima igitur sessio inchoatur die prædicta decima Maii. Missa celebratur per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Dominicum episcopum

Portuenſem ſancti Marci cardinalem Grimanum. Sermo ornatus habetur per reuerendum patrem dominum Bernardum archiepiſcopum Spalatenſem. Ponuntur nomina & tituli reuerendiſſimorum cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, prælatorum, principum & oratorum, ac aliorum magnificorum virorum. Deinde cantantur litaniæ, fiunt orationes, pontifex, ſumpto themate, Conueniſtis in vnum patres, &c. hortatur Synodum ad eccleſiæ reformationem & ſchiſmatis extinctionem, pacem inter Chriſtianos principes componendam, & expeditionem contra infideles conficiendam. Deinde incipit hymnum, Veni creator. Quo per capellæ apoſtolicæ cantores abſoluto, reuerendiſſimus dominus, dominus cardinalis Farneſius legit ſchedulam, ſiue bullam indictionis eiuſdem ſacri Lateranẽſis Concilii. ANNO CHRISTI 1512.

Tenor bullæ indictionis Concilii, ſub data Romæ 1511. decimaquinta Kalendas Auguſti, inchoandi die Lunæ decimanona menſis Aprilis anni 1512.

Executio dictæ bullæ per tres curſores facta die vigeſimaquinta Iulii anni prædicti 1511.

Tenor alterius bullæ prorogationis dicti Concilii, ſub data Romæ 1512. decimaquinta Kalendas Maii, lectæ per eumdem reuerendiſſimum cardinalem Farneſium in ipſo ſacro Lateranenſi Concilio: quæ prorogatio eſt vſque ad Kalendas Maias anni prædicti 1512.

Tenor Breuis alterius prorogationis lecti per ſupra nominatum reuerendiſſimum dominum cardinalem Farneſium, ſub data vigeſimanona Aprilis eiuſdem anni 1512. quæ prorogatio eſt vſque ad diem tertiam Maii anni ſupradicti.

Eadem die tertia Maii Concilium congregatur, in quo Miſſæ celebrari, orationes fieri pro diuino ſuffragio implorando mandantur: ordines in Concilio ſeruandi & decreta ſtatuuntur, aduocati, procuratores, notarii, cuſtodes, votorum ſcrutatores eliguntur, locorum aſſignatores, & loca quæque in ordine ſuo aſſignanda conſtituuntur.

Tenor orationis habitæ per reuerendum patrem dominum Bernardum Zane archiepiſcopum Spalatenſem, qua prima ſeſſio terminatur.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1512. Secunda seſſio incipit die Lunæ decimaseptima Maii anni prædicti milleſimi quingenteſimi duodecimi : in qua primum deſcribuntur nomina & tituli reuerendiſſimorum cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & aliorum prælatorum, nec non excellentiſſimorum oratorum diuerſorum principum, multorumque illuſtrium dominorum & magnificorum virorum.

Miſſa per reuerendiſſimum dominum, dominum Thomam tituli ſancti Martini in Montibus presbyterum cardinalem Strigonienſem celebratur, habeturque oratio per reuerendum patrem dominum Thomam Caietanum ordinis Prædicatorum generalem.

Dominus Baltaſſar Tuerdus ſanctiſſimi domini noſtri ſecretarius legit mandatum illuſtriſſimi regis Angliæ, & dominus Thomas Phædra Concilii ſecretarius legit mandatum Catholici regis Hiſpaniarum, in perſonam magnifici oratoris domini Hieronymi Vich.

Tenor mandati præfati Catholici regis.

Dicuntur orationes, fiunt litaniæ : reuerendiſſimi cardinales præſtant obedientiam pontifici, per quem poſtea inchoatur hymnus, Veni creator, &c. & per cantores finitur.

Reuerendus pater dominus archiepiſcopus Spalatenſis legit bullam ſub data decimaſexta Kalendas Iunii, pontificatus Iulii anno nono, in qua Piſanum Conciliabulum damnatur, omniaque in illo confecta annullantur & irritantur. Lateranenſe quoque Concilium, & quæcumque in eo, bene geſta eſſe confirmantur. Dantur vota, & publica fieri inſtrumenta mandatur.

Per quamplures reuerendos prælatos exhibentur mandata aliorum prælatorum.

Propter aduentum reuerendi epiſcopi Gurcenſis locum tenentis ſereniſſimi imperatoris, facta fuit prorogatio tertiæ ſeſſionis Lateranenſis Concilii vſque ad tertiam menſis Nouembris diem.

Tenor prorogationis prædictæ, & affixio ſchedulæ per Bartholomæum de Mantua, ſanctiſſimi domini noſtri curſorem.

Tenor orationis habitæ per reuerendum patrem do-

minum Thomam Caietanum ordinis Prædicatorum ge- ANNO CHRISTI 1512.
neralem.

Tertia seſſio fit die Lunæ tertia Decembris anni prædicti 1512. in qua deſcribuntur in primis reuerendiſſimi cardinales in ordine, & alii prælati ac illuſtriſſimi domini, & ceteri excellentiſſimi viri, vt ſupra.

Miſſa celebratur per reuerendiſſimum dominum, dominum Marcum epiſcopum Prænestinum, cardinalem Senogallienſem, & dicitur euangelium, *Ego ſum paſtor*, &c. per reuerendiſſimum dominum, dominum Ludouicum ſanctæ Mariæ in Coſmedin cardinalem de Aragonia. Cantantur litaniæ, orationes & hymnus, Veni creator, &c. & habetur oratio per reuerendum dominum Alexium epiſcopum Melfitenſem.

Ioan. 10.

Legitur mandatum ſereniſſimi imperatoris Maximiliani per dominum Thomam Phædram Concilii ſecretarium, in perſonam reuerendi epiſcopi Gurcenſis, ſub data prima Septembris 1512.

Tenor mandati ſupradicti ſereniſſimi imperatoris.

Legitur ſchedula per præfatum reuerendum epiſcopum Gurcenſem, in qua auocat nomine eiuſdem imperatoris omnia acta in Conciliabulo Piſano, adhæretque Lateranenſi Concilio, & nomine præfati imperatoris præſtat obedientiam pontifici.

Affixio ſchedulæ, & citatio facta per Petrum Menguar ſanctiſſimi domini noſtri curſorem.

Reuerendus pater dominus Petrus Gryphus epiſcopus Forliuienſis legit bullam tertiæ ſeſſionis, in qua iterum reprobantur omnia & ſingula per cardinales ſchiſmaticos actitata, tam in tranſalpinis quam ciſalpinis locis, excepto ducatu Britanniæ: reuocantur quoque conceſſa per ſedem apoſtolicam in eiſdem locis, & fit indictio quartæ ſeſſionis fiendæ decima die Decembris anni prædicti.

Dantur vota, incipitur hymnus, Te Deum laudamus, &c. per pontificem, & finitur per cantores. Dein pontifex cum reuerendiſſimis cardinalibus, omnique comitiua, reuertitur ad palatium apoſtolicum.

Tenor orationis habitæ per ſupra nominatum epiſcopum Melfitenſem.

ANNO CHRISTI 1512. Quarta seſſio inchoatur die Veneris decima Decembris, eo ordine reuerendiſſimorum cardinalium & prælatorum, aliorumque dominorum, quo ſupra dictum eſt. Miſſa celebratur per reuerendiſſimum dominum, dominum Nicolaum tituli ſanctæ Priſcæ presbyterum cardinalem de Fliſco: & euangelium cantatur per reuerendiſſimum dominum, dominum Marcum ſanctæ Mariæ in porticu diaconum cardinalem de Corneliis.

Præſtatur a prælatis obedientia pontifici, fiuntque ſolitæ ceremoniæ, vt ſupra: habetur oratio per reuerendum dominum Marcellum nobilem Venetum, apoſtolicum protonotarium: legiturque mandatum illuſtris ducis Venetiarum per dominum Thomam Phædram prædictum, in perſonam magnifici domini Franciſci Foſcari oratoris Venetiarum.

Tenor prædicti mandati illuſtris ducis Venetiarum, ſub data 10. Aprilis 1512.

Per eumdem dominum Thomam Phædram leguntur literæ clariſſimæ memoriæ Ludouici regis Franciæ XI. directæ alias *felicis* recordationis Pio papæ II. ſuper reuocatione pragmaticæ ſanctionis.

Tenor dictarum literarū ſub data vigeſimaſeptima Nouembris anni milleſimi quadringenteſimi ſexageſimiprimi.

Dominus Melchior de Bardeſſinis habet orationem in Concilio de reuocanda prædicta pragmatica: & pontifex, ſacro approbante Concilio, decernit monitorium & citationem fiendam pro huiuſmodi reuocatione ſub termino ſexaginta dierum.

Tenor monitorii de reuocanda dicta pragmatica, ſub data. 1512.

Reuerendus pater dominus Alexander epiſcopus Alexandrinus de mandato pontificis legit bullam, in qua pragmatica reuocatur, & geſta per Conciliabulum Piſanum ſuper eadem annullantur. Dein quinta ſeſſio indicitur fienda die decimaſexta Februarii 1513.

Tenor prædictæ bullæ ſub data 1512. IV. Idus Decembris.

Dantur vota, citantur abſentes, vt ad Concilium accedant: & quam plures reuerendi epiſcopi procuratorio nomine exhibent mandata aliorum prælatorum. Fiunt inſtrumenta, cantatur hymnus, Te deum laudamus, &c. Deinde

pontifex cum reuerendiſſimus cardinalibus & ceteris prælatis equitat ad palatium apoſtolicum in Vaticano. ANNO CHRISTI 1512.

Tenor orationis habitæ in quarta ſeſſione per reuerendum dominum Marcellum prædictum.

Quinta ſeſſio celebratur abſente ſanctiſſimo domino noſtro Iulio II. pontifice maximo, propter ſuæ ſanctitatis ægritudinem, præſidente reuerendiſſimo domino, domino Raphaële de Riario epiſcopo Oſtienſi, ſanctæ Romanæ eccleſiæ camerario, die decimaſexta Februarii, in qua notantur nomina & tituli reuerendiſſimorum cardinalium, & aliorum prælatorum in ordine, vt ſupra.

Reuerendus pater dominus Alphonſus patriarcha Antiochenus celebrat Miſſam, dominus Antonius de Piperno capellæ apoſtolicæ diaconus cantat euangelium: habeturque oratio per reuerendum dominum, dominum archiepiſcopum Sipontinum.

Magnificus dominus Bonus de Franciſchis, orator magnificæ communitatis ciuitatis Lucenſis exhibet mandatum ſuæ communitatis, quod legitur per ſupradictum dominum Thomam Phædram.

Tenor mandati prædicti eiuſdem communitatis Lucenſis ſub data octaua Februarii, milleſimi quingenteſimi decimitertii.

Per reuerendum patrem dominum Scaramuzam epiſcopum Cumanum legitur bulla innouationis & confirmationis conſtitutionis contra ſimoniacam prauitatem, in electione Romani pontificis non committendam.

Tenor bullæ conſtitutionis prædictæ, ſub data decimaquarta Kalendas Martii 1512.

Dantur vota ab omnibus, exceptis quinque. Deinde præfatus reuerendus dominus Scaramuza epiſcopus Cumanus legit ſchedulam, in qua commemorantur acta contra pragmaticam: & indicitur, ſextam ſeſſionem inchoari debere die vndecima Aprilis 1513.

Tenor ſchedulæ prædictæ ſub data decimaquarta Kalendas Martii 1512.

Dantur vota ab omnibus ſuper dicta ſchedula. Poſtea ex mandato reuerendiſſimi præſidentis citantur abſentes ad valuas Concilii, accuſatur eorum contumacia, fiunt inſtrumenta.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1512. Producuntur mandata reuerendi domini patriarchæ Venetiarum, & electi domini Hieronymi Cremonenſis, per reuerendiſſimum dominum, dominum epiſcopum Portuenſem, cardinalem Grimanum; nec non quamplura alia a diuerſis prælatis, procuratorio nomine aliorum prælatorum abſentium, qui non poſſunt intereſſe huiuſmodi Concilio.

Tenor orationis habitæ per reuerendum patrem & dominum, dominum Ioannem Mariam de Monte, archiepiſcopum Sipontinum, in qua prius laudatur inſtitutio Conciliorum, & quod Iulius II. pontifex maximus indixerit Concilium Lateranenſe; ſuadenturque patres Concilii ad reſtituendam iuſtitiam, pacem, vnitatem: quæ tria diuina munera hominum & temporum iniuria deleta videntur.

Milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die Lunæ 21. Februarii, felicis recordationis Iulius concedit naturæ Romæ apud ſanctum Petrum in palatio apoſtolico: & de more pontificum exequiæ celebrantur.

Die *Veneris* quarta Martii 1513. collegium reuerendiſſimorum cardinalium ingreditur conclaue poſt celebrationem Miſſæ de Spiritu ſancto ad altare ſancti Andreæ, in baſilica ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli.

Die Veneris vndecima Martii reuerendiſſimus dominus, dominus Ioannes cardinalis de Medicis in conclaui ab omnibus cardinalibus, nemine diſcrepante, ad ſummi apoſtolatus apicem canonice eligitur, vocaturque Leo X. & die Sabbati decimanona menſis prædicti, adſtante collegio reuerendiſſimorum cardinalium, & aliorum prælatorum, per reuerendiſſimum dominum Alexandrum cardinalem Farneſium coronatur, & inthronizatur.

Milleſimo quingenteſimo decimotertio, 10. Aprilis publicantur literæ prorogationis ſextæ ſeſſionis per Ioannem Dominicum de Fidelibus, ſanctiſſimi domini noſtri curſorem, vſque ad diem vigeſimumſeptimum eiuſdem menſis anni prædicti.

Die vndecima dicti menſis, Leo X. pontifex maximus aſſociatur ab vniuerſo collegio reuerendiſſimorum cardinalium, & aliorum prælatorum, ac tota curia Romana, ad baſilicam ſancti Ioannis Laterani.

Sexta seſſio fit die vigesimaseptima prædicti mensis Aprilis anni præteriti 1513. in eadem Lateranensi basilica, præsidente sanctissimo domino nostro Leone X. in qua primo ponuntur nomina reuerendissimorum cardinalium, prælatorum, & illustrium dominorum, ordine quo supra. ANNO CHRISTI 1512.

Celebratur Missa per reuerendissimum dominum, dominum Franciscum episcopum Sabinensem cardinalem Volaterranum. Habeturque oratio per reuerendissimum dominum Simonem episcopum Modrusiensem. Cantantur litaniæ. Dicitur euangelium per reuerendissimum dominum Alphonsum diaconum cardinalem sancti Theodori Petrutium. Hymnus incipitur, Veni creator. Pontifex sumpto themate, Pastoralis officii, &c. hortatoriam habet orationem ad continuandum Concilium, donec fiat vniuersalis concordia & pax inter Christianos.

Dominus Thomas Phædra secretarius Concilii legit mandatum illustris communitatis Florentinæ in personam magnifici domini Iacobi Saluiati, poniturque tenor mandati sub data trigesima mensis Decembris 1512.

Dominus Marius de Peruschis Concilii procurator reproducit monitorium executum contra profitentes pragmaticam, tenoris prout supra, & accusat eorum contumacias.

Reuerendus pater dominus Robertus archiepiscopus Rheginus, de mandato sanctissimi domini nostri legit schedulam die vigesimaseptima Aprilis 1513. in qua sanctitas sua facit saluumconductum veniendi, morandi, consulendi, redeundi, quibuscumque ad Concilium venire volentibus & debentibus, exceptis schismaticis, & aliis a iure communi prohibitis dumtaxat. Hortatur etiam principes, vt liberum transitum illis concedant: prorogatque septimam sessionem fiendam decimo Kalendas Iunii proxime futuri. Dantur vota, & fiunt instrumenta. Postea nonnulli procuratores producunt mandata nomine aliquorum prælatorum ad interessendum huiusmodi Concilio.

Congregatio prælatorum in Lateranensi palatio pro rebus Concilii. Electio quoque vigintiquatuor prælatorum, qui adsint cum reuerendissimis cardinalibus in his quæ pertractanda sunt coram pontifice.

Affixio & tenor prorogationis literarum septimæ sessionis

ANNO CHRISTI 1512. sionis vsque ad decimamquintam Kalendas Iulii 1513.

Die tertia Iunii anni prædicti fit diuisio prælatorum deputatorum ad diuersa negotia obeunda : & eorumdem nomina, tituli & cognomina scribuntur.

Tenor orationis factæ per reuerendum dominum Simonem Modrusiensem episcopum in sexta sessione.

Septima sessio tenetur die Veneris decimaseptima Iunii 1513. in qua primum notantur nomina & tituli reuerendissimorum cardinalium & aliorum prælatorum, &c. per ordinem, vt supra.

Celebratur Missa voce submissa per reuerendum patrem dominum Gabrielem archiepiscopum Dyrrachiensem. Habetur sermo per dominum Baltassarem de Rio apostolicum protonotarium, & reuerendissimi domini Petri cardinalis Arborensis secretarium. Litaniæ & orationes dicuntur. Benedicitur per pontificem Synodus, vt moris est. Deinde reuerendissimus dominus, dominus Alexander cardinalis Farnesius cantat euangelium. Quo finito, oratores Poloniæ producunt mandatum sereniſſimi domini Sigismundi, quod per dominum Thomam Phædram ascenso ambone legitur.

Tenor mandati suprascripti regis Poloniæ, sub data Poznauiæ, decima Aprilis 1513.

Reuerendus dominus Marinus Caracciolus exhibet mandatum ducis Mediolani, legiturque per eumdem dominum Thomam Phædram.

Tenor mandati ducis prædicti sub data Papiæ, nona Maii 1513.

Reuerendus dominus Alexander archidiaconus Mantuanus dat mandatum illustrissimi marchionis Mantuæ, quod legitur per supradictum dominũ Thomam Phædram.

Tenor mandati supradicti marchionis Mantuæ, sub data Mantuæ, duodecima Iunii 1513.

Reuerendus dominus Laurentius de Medezeldri producit mandatum illustrissimorum dominorum Stanislai & Ioannis ducum Mazouiæ, & legitur per eumdem dominum Thomam Phædram.

Tenor mandati supradictorum dominorum sub data Eziechonouu, vigesima Februarii 1513.

Idem Thomas legit schedulam subscriptam per do-

minum Bernardinum Caruaial, & Fridericum de ſancto Seuerino, olim cardinales, ſuper materia abiurationis ſchiſmatis, & vnionis eccleſiæ, & confeſſionis erroris ipſorum, & veniæ petitionis. ANNO CHRISTI 1512.

Tenor ſchedulæ lectæ de mandato ſanctiſſimi domini noſtri per reuerendum patrem dominum Pompeium de Columna epiſcopum Reatinum, in qua octaua ſeſſio vſque ad decimamſextam Kalendas Decembris fienda prorogatur.

Tenor alterius ſchedulæ, in qua prædicta prorogatio octauæ ſeſſionis fiendæ decimoſexto Kalendas Decembris extenſa vſque ad diem Veneris decimamſeptimam Kalendas Ianuarii, iterum prorogatur ad diem Lunæ decimamquartam Kalendas præfati menſis Ianuarii.

Reuerendus dominus Baltaſſar de Rio protonotarius apoſtolicus ornatum habet ſermonem in Concilio, ſumpto themate: *Nihil impoſſibile erit vobis.* & ſic ſeptima ſeſſio terminatur. *Matth.* 17.

Octaua ſeſſio incipitur in eccleſia Lateranenſi die Lunæ prædicti menſis Decembris in præſentia ſanctiſſimi domini noſtri Leonis & multorum reuerendiſſimorum cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, abbatum, generalium religionum, oratorum, principum, & illuſtrium dominorum, aliorumque dignorum virorum.

Miſſa ſubmiſſa voce dicitur per reuerendum patrem dominum Gabrielem archiepiſcopum Dyrrachienſem, habeturque oratio per dominum Ioannem Baptiſtam de Gargiis militem Hieroſolymitanum: fiunt orationes, cantantur litaniæ, & hymnus, Veni ſancte Spiritus. Præſtatur obedientia, fiuntque ſolitæ ceremoniæ, diciturque euangelium per reuerendiſſimum dominum dominum Marcum cardinalem de Corneliis.

Reuerendus epiſcopus Maſſilienſis, & magnificus dominus Ludouicus de Solier, oratores regis Chriſtianiſſimi, dederunt mandatum nomine eiuſdem regis, & petierunt prorogari terminum ſupradictum ad allegandum ſuper pragmaticam.

Obligatio ſupradictorum oratorum nomine Chriſtianiſſimi regis, de qua fuit rogatus reuerendus dominus

ANNO CHRISTI 1512. Petrus Bembus sanctissimi domini nostri secretarius, cum ratificatione præfati regis, sub data vigesimasexta Octobris, millesimo quingentesimo decimotertio, & regni eius decimosexto.

Tenor mandati Christianissimi regis.

Reuerendus pater dominus Marinus Caracciolus orator ducis Mediolani opponit oratori Christianissimi regis, quod non debeat in mandato inscribi titulus ducis Mediolani, attento quod dictus rex vsurpauerat ducatum illum, &c.

Tenor mandati illustrissimi marchionis Brandeburgensis electoris imperii, lecti per præfatum dominum Thomam Phædram.

Alterius mandati tenor illustrissimi marchionis Montisferrati, lecti pariter per eumdem dominum Thomam Phædram.

Dominus Marius de Peruschis procurator Concilii proponit supplicationem sanctissimo domino nostro contra regios officiales prouinciæ Prouinciæ, vsurpantes iurisdictionem & libertatem sanctæ Romanæ ecclesiæ.

Die Lunæ decimanona Decembris, sanctissimus dominus noster, sacro approbante Concilio, mandat decerni monitorium pœnale contra prædictas personas in prædicta supplicatione insertas, spatio trium mensium exequendum per edictum in Auenionensi, Nicensi, * Vintimilensi, ciuitatibus.

*Viginti-milien.

Reuerendus pater dominus Ioannes archiepiscopus Gneznensis, regis Poloniæ orator, legit schedulam pontificis, in qua damnatur omnis assertio contraria veritati Christianæ fidei illuminatæ, mandatque publicari in principio studii quarumcumque vniuersitatum, & obseruari quosdam Canones per sanctitatem suam constitutos.

Dantur vota super prædictos Canones ab omnibus, præterquam a reuerendis, episcopo * Bergomensi, & generali ordinis Prædicatorum, qui circa duo respectiue contradixere.

*Pergamen.

Tenor bullæ per reuerendum patrem Ioannem *Vincentium archiepiscopum Senensem lectæ, & per Concilium approbatæ, in qua tractatur de pace inter Christianos principes componenda, & Bohemos a fide dissentientes

*Vincentinum

reducendo, ac nona seſſione fienda die nona Aprilis, milleſimo quingenteſimo decimoquarto. ANNO CHRISTI 1512.

Alterius bullæ tenor lectæ per reuerendum patrem dominum Ioannem Franciſcum archiepiſcopum Taurinenſem ſuper reformatione: & ſic octaua ſeſſio finitur.

Affiguntur diuerſæ ſchedulæ de mandato ſanctiſſimi domini noſtri per Ioannem Antonium curſorem in acie Campi Floræ, & valuis baſilicæ apoſtolorum, audientiæ publicæ ſancti Ioannis Lateranenſis, & cancellariæ apoſtolicæ: monentes quoſcumque ad proponendum materias tractandas in Concilio, audiendas per deputatos, &c.

Tenor prorogationis nonæ ſeſſionis vſque ad quintam diem Maii proxime futuri anni 1514. pontificatus vero anno ſecundo.

Die vigeſimanona Aprilis fit congregatio in palatio apoſtolico in capella maiori, in qua fuerunt ſanctiſſimus dominus noſtrer & omnes cardinales, & alii prælati ſoliti, excepto reuerendiſſimo patre domino Bernardo cardinale ſanctæ Crucis, qui ob aduerſam corporis valetudinem non potuit intereſſe: in qua diuerſa a diuerſis dicuntur. Tandem ſanctiſſimus dominus noſter mandat dari copiam bullæ, & tempus deliberandi.

Die trigeſima Aprilis omnes in congregatione conuenti ſunt concordes ſuper his quæ proponi debent in nona ſeſſione.

Oratio habetur per dominum Baptiſtam Gargiam Senenſem equitem Hieroſolymitanum, quam dedicat reuerendiſſimo domino, domino Fabricio Carretto magno Rhodiorum magiſtro.

Tenor orationis præfatæ per eumdem equitem, qua octaua ſeſſio clauditur.

Nona ſeſſio celebratur in eccleſia Lateranenſi die Veneris quinta menſis Maii anni 1514. in qua primo ponuntur nomina reuerendiſſimorum cardinalum & aliorum prælatorum, ac illuſtrium virorum, prout in aliis poſita ſunt.

Celebratur Miſſa de Spiritu ſancto ſubmiſſa voce per reuerendum dominum Gabrielem archiepiſcopum Dyrrachienſem, habeturque oratio per reuerendum patrem dominum Antonium Puccium. Dicuntur litaniæ, & orationes conſuetæ fiunt, benediciturque Synodus per pontifi-

ANNO CHRISTI 1512. cem. Cantatur euangelium per reuerendiſſimum dominum, dominum Ludouicum cardinalem de Aragonia. Deinde oratores regis Luſitaniæ præſentant mandatum nomine ipſius regis, quod legitur per dominum Thomam Phædram ſupradictum.

Tenor mandati ſupradicti ſub data duodecimo Kalendas Nouembris 1512.

Procurator fiſci & Concilii accuſat contumaciam prælatorum Gallicorum non venientium ad Concilium. Ex aduerſo epiſcopus Maſſilienſis orator Chriſtianiſſimi regis, excuſat eos inſtrumentis & literis facientibus fidem de eorum legitimo impedimento.

Tenor literarum excuſationis prælatorum Gallicæ nationis, qui renuntiant congregationi Piſanæ, & adhærent Concilio Lateranenſi.

Tenor literarum Concilii Sabaudiæ, directarum prælatis Gallicis.

Tenor literarum prælatorum Gallicæ nationis ſummo pontifici directarum, quibus narrant ducem Mediolani & Genuæ impediſſe, quare Romam venire non potuerunt, & petunt ſibi veniam dari. Ex aduerſo dominus Hieronymus Moronus orator prædicti ducis Mediolani, excuſat principem ſuum. Poſtremo ſanctiſſimus pontifex abſoluit eoſdem prælatos, & prorogat eis terminum veniendi ad Concilium.

Tenor bullæ per reuerendiſſimum epiſcopum Maſſilienſem ſupra ambonem lectæ, qua pontifex hortatur principes Chriſtianos ad pacem inter eos componendam, vt fieri poſſit expeditio contra fidei Chriſtianæ hoſtes: & ordinat nonnullas orationes dici debere inter Miſſarum ſolennia, & alias preces a cunctis Chriſti fidelibus fundendas, cum propoſitione indulgentiæ centum dierum pro orthodoxæ fidei exaltatione, & inimicorum eius deſtructione. Dat quoque ſaluumconductum omnibus ad Concilium Lateranenſe venire volentibus, & hortatur ceteros principes, vt tuto pertranſire & redire illos dimittant, ſub data 1514. tertio Nonas Maii.

Comprobantur omnia in dicta bulla contenta ab omnibus in Concilio aſſiſtentibus, nemine diſcrepante.

Tenor bullæ reformationis curiæ, lectæ in ambone per

reuerendum patrem dominum Vincentium archiepiſcopum Neapolitanum : in qua multa & diuerſa ad reformationem cardinalium, archiepiſcoporum, epiſcoporum & aliorum prælatorum, reliquorumque religioſorum, tam in curia Romana quam extra, continentur, ſub data 1514. tertio Nonas Maii. ANNO CHRISTI 1512.

Indictio decimæ ſeſſionis ad Kalendas Decembris 1514.

Dantur vota ab omnibus, exceptis nonnullis, quibus pontifex opportune reſpondit. Incipitur hymnus per ſanctitatem ſuam. Quo finito per cantores, finitur nona ſeſſio, & omnes in Concilio exiſtentes aſſociant pontificem in Vaticano.

Tenor orationis luculentiſſimæ habitæ per reuerendum dominum Antonium Puccium, apoſtolicæ cameræ ſeptemuirum, in nona ſeſſione.

Die vigeſimaſexta Nouembris 1514. ſanctiſſimus dominus noſter de conſilio reuerendiſſimorum cardinalium prorogat decimam ſeſſionem inchoandam vigeſimatertia Martii anni 1515.

Alia prorogatio decimæ ſeſſionis de eorumdem reuerendiſſimorum conſilio, a die præfata vigeſimatertia Martii, vſque ad diem quartam Maii anni prædicti 1515.

Tenor ſaluiconductus ducis Genuæ, qui fuit per curſorem ſanctiſſimi domini noſtri præſentatus oratoribus regis Chriſtianiſſimi, ſub data vigeſimaſecunda Martii 1515. cum recognitione ipſius & intimatione.

Milleſimo quingenteſimo decimoquinto, die ſecunda menſis Maii fit congregatio reuerendiſſimorum cardinalium & aliorum prælatorum in palatio apoſtolico, coram quibus in præſentia ſanctiſſimi domini noſtri leguntur ſchedulæ per dominum Thomam Phædram, proponendæ in decima ſeſſione : quæ ab omnibus fuerunt votatæ & approbatæ.

Decima ſeſſio incipit quarto Maii 1515. in eccleſia Lateranenſi, & primo inſcribuntur nomina reuerendiſſimorum cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, principum oratorum, & aliorum dominorum, prout in præpoſitis ſeſſionibus.

Miſſa celebratur per reuerendum archiepiſcopum

ANNO CHRISTI 1512. Gneznenſem regis Poloniæ oratorem : & habetur oratio per reuerendum patrem dominum Stephanum archiepiſcopum Patracenſem. Cantatur euangelium per reuerendiſſimum dominum dominum cardinalem Farneſium, ſecundum Matthæum, quod incipit, *Dixit Ieſus parabolam hanc : Simile eſt regnum cælorum homini regi*, &c. Matth. 22. fiuntque orationes conſuetæ. Deinde oratores illuſtriſſimi ducis Sabaudiæ deducunt mandatum nomine prædicti ducis. Quo per dominum Thomam Phædram lecto, per ipſoſque oratores oſculatis pedibus ſanctiſſimi domini noſtri, & præſtita per eos obedientia, exeunt, & clauditur Concilium.

Tenor bullæ lectæ per reuerendum patrem dominum Bernardum epiſcopum Adrienſem in ambone, in qua tractatur de reformatione Montium pietatis, ſub data 1515. quarto Nonas Maii, quæ omnibus placet, præterquam reuerendo domino Ieremiæ archiepiſcopo Tranenſi, qui dicit præfatos Montes pietatis plus eſſe damnoſos quam vtiles.

Tenor ſchedulæ ſiue bullæ lectæ in ambone per reuerendum patrem Bernardum epiſcopum Taruiſinum, contra exemptos : in qua etiam continentur nonnulla eccleſiaſticam libertatem & dignitatem epiſcopalem concernentia, ſub data 1515. quarto Nonas Maii : quæ omnibus placent, excepto præfato archiepiſcopo Tranenſi.

Alterius ſchedulæ tenor ſuper impreſſione librorum, lectæ in ambone per reuerendum patrem dominum Franciſcum epiſcopum Nannetenſem, ſub data prædicta ; quæ placet omnibus, niſi reuerendo patri domino Alexio epiſcopo Melfitano.

Alia ſchedula lecta in ambone per reuerendum pa-
* Caſtelli trem dominum Petrum epiſcopum * Caſtellæ maris, ſuper præfixione termini contra profitentes pragmaticam ſanctionem, & ſuper indictione vndecimæ ſeſſionis.

Reſpondet orator regis Chriſtianiſſimi in excuſationem prælatorum Gallicorum, & dat literas nomine *Louis de Soliers* oratoris eiuſdem Chriſtianiſſimi. Reſponſio pontificis eidem oratori : & vota quæ ab omnibus dantur, excepto epiſcopo Potentino, qui non vellet dari terminum profitentibus pragmaticam.

ANNO CHRISTI 1512.

Procurator Concilii accuſat contumaciam abſentium a Concilio, & pontifex aſſentit & declarat, niſi ad primam comparerent.

Dantur circa decem & octo mandata a diuerſis reuerendis prælatis, nomine aliquorum prælatorum Concilio non intereſſentium. Poſtea cantato hymno, vt ſupra, ſanctiſſimus dominus noſter equitauit in Vaticano, aſſociantibus cunctis in Concilio exiſtentibus.

Tenor orationis facundiſſimæ per reuerendum patrem dominum Stephanum archiepiſcopum Patracenſem, & epiſcopum Torcellanum in Concilio habitæ, cuius thema
Pſalm. 47. eſt: *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.*

Tenor mandati illuſtriſſimi ducis Sabaudiæ producti per reuerendiſſimum dominum cardinalem ſanctæ Praxedis nomine ipſius ducis, ſub data quarta Maii 1515.

Tenor inſtrumenti dati per oratorem regis Franciæ, ſub data 1514. vigeſimaquinta Nouembris, alias regiſtrati in actis Concilii, quod de nouo procurator ipſius Concilii petit in eiſdem actis regiſtrari.

Pontifex abſoluit perſonas in dicto inſtrumento deſcriptas, quatenus infra quatuor menſes ratificent omnia in inſtrumento contenta.

Inſtrumenta, ratificationes & approbationes ſupradictarum perſonarum cum neceſſariis authenticatis, cum aliis diuerſis ſchedulis.

Milleſimo quingenteſimo decimoſexto, die decimaquinta Decembris, fit congregatio reuerendiſſimorum cardinalium & aliorum prælatorum in palatio apoſtolico coram ſanctiſſimo domino noſtro, pro diſcutiendis & examinandis ſchedulis in vndecima ſeſſione legendis: inſcribunturque nomina in eadem congregatione exiſtentium.

Legitur ſchedula per dominum Andream Piperarium Concilii ſecretarium, de mandato reuerendiſſimorũ cardinalium, qua continentur concordata inter ſanctiſſimum dominum noſtrum & regem Francorum. Qua perlecta, dantur vota ab omnibus, exceptis nonnullis reuerendis epiſcopis.

Alia ſchedula legitur per eumdem dominum Andream abrogationis pragmaticæ ſanctionis. Item alia ſuper iis

quæ

ANNO CHRISTI 1512. quæ debent obseruare prædicatores verbi Dei, & super quibus præstantur vota, nemine discrepante.

Per eumdem legitur alia schedula continens priuilegia religiosorum. Dantur vota ab omnibus: sed Signinus, Cumanus, Brumatensis, Ceruiensis, Senogallensis, Ferentinus, Soranus & Polignianensis episcopi vellent, quod excluderetur approbatio priuilegiorum. Tenores autem supradictarum schedularum inseruntur in vndecima sessione sequente.

Vndecima sessio inchoatur decimanona Decembris 1516. in qua primo notantur nomina reuerendissimorum dominorum cardinalium & aliorum prælatorum, prout in præmissis actum est. Celebratur Missa per reuerendum dominum Gabrielem archiepiscopum Dyrrachiensem, cantatur euangelium per reuerendissimum sanctæ Mariæ in Via lata dominum Marcum diaconũ cardinalem, quod incipit: *Sedente Iesu super montem Oliueti.* Incipitur hymnus, *Matth. 24.* Veni creator, per sanctissimum dominum nostrum, & dicuntur orationes consuetæ. Quibus peractis, orator patriarchæ Maronitarum montis Libani præsentat & legit mandatum in lingua Chaldæa, seu Arabica, quod postea in lingua Latina interpretatum legitur a prædicto domino Andrea Piperario.

Tenor præfati mandati.

Obedientia per dictos oratores Maronitarum præstatur sanctissimo pontifici, super qua petuntur instrumenta huiusmodi obedientiæ per procuratorem fiscalem.

Tenor schedulæ circa modum prædicandi super ambonem, lectæ a reuerendo patre domino Ioanne episcopo Reualiensi oratore marchionis Brandeburgensis, sub data 1516. decimaquarta Kalendas Ianuarii: supra quam dantur vota, nemine discrepante.

Tenor bullæ lectæ a reuerendo patre domino episcopo Isernensi, quæ continet concordata inter pontificem & Christianissimum Francorum regem super pragmatica, cum mandato in eadem bulla inserto, sub data supradicta.

Dantur vota super dicta bulla ab omnibus, præterquam a reuerendis patribus episcopis, Lucerino, Brumatensi, Castelli maris, Chiensi, Terdonensi, Asculano, qui in nonnullis respectiue dissentiunt.

Schedulæ, siue bullæ tenor super abrogatione pragmaticæ sanctionis, lectæ per reuerendum patrem episcopum Cauallicensem, sub data prædicta, ab omnibus votata. ANNO CHRISTI 1512.

Reuerendus pater dominus episcopus * Sibinicensis ascenso ambone, legit schedulam super religiosos & eorum priuilegia, sub data 1516. decimanona Decembris, super qua nõnulli episcopi in aliquibus respectiue dissensere. *Seboni-censis

Idem reuerendus episcopus indicit duodecimam sessionem fiendam sexto Nonas Martii 1517. Postea dantur mandata a diuersis prælatis nomine aliorum prælatorum. Deinde aguntur gratiæ Deo, & sanctissimus dominus noster cum omni comitiua reuertitur ad sacrum palatium apostolicum in Vaticano, & sic vndecima sessio terminatur.

Tenor prorogationis duodecimæ sessionis cum executione per cursores in locis consuetis facta, videlicet a sexto Nonas Martii 1517. vsque ad 16. Kal. Aprilis eiusdem anni.

Fit congregatio nonnullorum reuerendissimorum cardinalium & reuerendorum prælatorum coram pontifice in superiori capella palatii apostolici die decimatertia Martii 1517. in qua vnusquisque sedet in loco ordinato a reuerendissimis cardinalibus ibidem existentibus, eo quia fuit prius differentia inter oratorem regis Catholici & patriarcham Aquileiensem de * antecedentia. *ante sedendo.

Piperarius Concilii secretarius de mandato eorumdem reuerendissimorum cardinalium legit tres schedulas, quarum prima super extensione Paulinæ non placuit: in aliis duabus, vna de punitione inuadentium domos cardinalium, altera de impositione decimarum ac absolutione Concilii, respectiue dissenserunt reuerendi episcopi Salamantinensis, Adriensis, Budensis, Imolensis.

Duodecima & vltima sessio inchoatur die decimasexta Martii 1517. in qua primo ponuntur nomina reuerendissimorum cardinalium & aliorum prælatorum, ac illustrium dominorum in ordine, prout in supradictis scriptum est.

Missa celebratur per reuerendissimum cardinalem sanctæ Crucis. Fit oratio per reuerendum episcopum Isernensem, cantatur euangelium per reuerendissimum sanctæ Mariæ in porticu cardinalem, quod incipit: *Ascendens Iesus in nauiculam.* Cantantur orationes & litaniæ, sicut in aliis scriptum est. Deinde Piperarius prædicti Conci- *Matth. 9.*

ANNO CHRISTI 1512. lii secretarius, ascenso ambone, legit literas serenissimi imperatoris ad pontificem.

Tenor literarum prædictarum sub datum vltima Februarii 1517.

Legitur schedula contra inuadentes domos cardinalium per reuerendum episcopum Militensem, quæ in aliquibus corrigitur propter diuersitatem opinionum.

Tenor schedulæ prædictæ correctæ, sub datum decima septima Kalendas Aprilis 1516.

Patriarcha Aquileiensis legit schedulam impositionis decimarum & absolutionis Concilii. Tenor autem schedulæ sub data prædicta.

Dantur vota ab omnibus fere super eadem schedula, exceptis reuerendis episcopis infra scriptis, qui varie dissentiunt: & procurator fiscalis petit omnium gestorum instrumenta. Deinde reuerendissimus dominus cardinalis Farnesius alta voce dicens, Domini, ite in pace, cantato hymno, Te Deum, &c. sanctissimus dominus noster omnibus comitantibus equitat ad palatium apostolicum, & sic duodecima & vltima sessio finitur, vnaque præsens Concilium soluitur: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, qui nos in pace custodiat. Amen.

ACTA SACRI GENERALIS LATERANENSIS CONCILII.

Ad omnipotentis Dei gloriam, fidei catholicæ exaltationem, schismatis extirpationem, & in nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

In his scriptis continentur ordinationes, statuta, constitutiones, decreta & alia acta & gesta in sacrosancto generali Lateranensi Concilio, præsidente sanctissimo in Christo patre & domino nostro, domino Iulio diuina prouidentia papa II. recollecta, & in publicam formam redacta per nos protonotarios, notarios & scribas infra scriptos, ad id per eumdem sanctissimum dominum nostrum papam, ipso approbante Concilio, deputatos.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen.

ANNO a natiuitate eiusdem 1512. indictione decimaquinta, die vero Lunæ tertia mensis Maii, qui fuit

dies inuentionis ſanctæ crucis, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Iulii diuina prouidentia papæ II. anno nono, præfatus ſanctiſſimus dominus noſter papa, qui alias indixerat Concilium generale in alma Vrbe, in eccleſia Lateranenſi, die Lunæ decimanona menſis Aprilis præteriti inchoandum & celebrandum, & deinde propter certum conflictum habitum apud Rauennam ciuitatem Romandiolæ inter milites ſuæ ſanctitatis & ſanctæ Romanæ eccleſiæ & regis Catholici ex vna, & exercitum Ludouici regis Francorum & prætenſos ſchiſmaticos, adhærentes Conciliabulo Piſano, ſeu conuenticulæ ſatanæ, ex alia parte; in quo conflictu fuerunt interfecta multa hominum millia, & inter ceteros dominus de Fuſſo magnus magiſter capitaneus regis Franciæ, & plures alii diuerſi duces & barones & proceres Gallorum & Hiſpanorum, & capti reuerendiſſimus dominus Ioannes cardinalis de * Medicis apoſtolicæ ſedis legatus, & Fabricius Columna, & alii plures, & dicta ciuitas eccleſiæ miſerabiliter a Gallis direpta; inchoationem huiuſmodi vſque ad Kalendas Maii eiuſdem anni prorogauit, & demum ex eadem cauſa ad ſupradictum diem Lunæ tertium ſupradicti menſis Maii iterum prorogauit, prout in literis apoſtolicis, quarum tenores infra acta primæ ſeſſionis inſeruntur, plenius continetur.

ANNO CHRISTI 1512.

* Medicibus

Volens idem ſanctiſſimus dominus noſter, dominus Iulius II. pontifex maximus inchoare dictum Concilium generale ex pluribus & variis, grauiſſimis & vrgentiſſimis cauſis, ſtatum vniuerſalis eccleſiæ & apoſtolicæ ſedis, ac perniciоſiſſimi ſchiſmatis extinctionem concernentibus, vt in literis indictionis Concilii latius continetur, indictum, cum die præcedenti ex palatio apoſtolico lectica vectus ob ſui corporis indiſpoſitionem in pontificali apparatu & comitiua omnium reuerendiſſimorum dominorum cardinalium, patriarcharum, primatum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, protonotariorum, abbatum, & vniuerſa curia & cuſtodia militum Rhodianorum cruce ſignatorum, & conſuetis ceremoniis, vt moris eſt, in dictæ baſilicæ Lateranenſis ædibus diuertiſſet & hoſpitaſſet & pernoctaſſet, conſtitutus di-

ANNO CHRISTI 1512. cta tertia die de mane in præfata basilica Lateranensi, celebrata prius in maiori altari Missa per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Raphaelem episcopum Ostiensem, cardinalem sancti Georgii vulgariter nuncupatum, sanctæ Romanæ ecclesiæ camerarium, & collegii sacri cardinalium decanum, ac facto sermone Latino per reuerendum patrem & magistrum fratrem Ægidium de Viterbio, sacræ theologiæ professorem, ac ordinis Eremitarum sancti Augustini priorem generalem, ac verbi Dei prædicatorem celeberrimum, cuius tenor in fine præsentis actus & solennitatis initii sacri Lateranensis Concilii ponetur. Facta etiam prius processione per eumdem sanctissimum dominum nostrum, reuerendissimos cardinales, patriarchas, archiepiscopos & episcopos ac abbates, nec non alios viros, qui de iure seu consuetudine ad Concilium generale venire consueuerunt, intrauerunt ornati pluuialibus, planetis. & dalmaticis iuxta ordinis qualitatem, & mitris, locum in medio prædictæ Lateranensis ecclesiæ pro celebratione Concilii huiusmodi paratum, cum suis subselliis, tabulatis, clausuris, altaribus, pontificali cathedra, ornamentis & ordinibus, quæ in huiusmodi sacrorum Conciliorum celebrationibus seruari & fieri consueuisse reperiuntur. In quo cantatis litaniis & aliis deuotis orationibus, & hymno, Veni creator Spiritus, &c. de more in principio celebrationis Conciliorum a sanctis patribus & sancta Romana ecclesia legi & decantari solitis & consuetis, capella cantorum incipiente, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.* &c. *Psal. 68.* & inuocata Spiritus sancti gratia, ac exhibita per omnes cardinales & prælatos præfatos sanctissimo domino nostro obedientia & reuerentia consueta in paramentis ordinate & conuenienter, cantatoque euangelio per reuerendissimum in Christo patrem dominum Ludouicum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem de Aragonia vulgariter nuncupatum, incipiente, *Designauit Dominus & alios septuagintaduo*, &c. *Luc. 10.* reuerendissimus in Christo pater dominus Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis de Farnesio vulgariter nuncupatus, stans in thalamo eminenti, vbi dictus dominus noster papa sedebat, legit schedulam tenoris infra scripti, nomine suæ sanctitatis, pro-

pter indiſpoſitionem ſui corporis impediti, videlicet. ANNO CHRISTI 1512.

Indicto per nos hoc ſacro Lateranenſi Concilio, de quo, cum in minoribus eſſemus, ſæpenumero cogitauimus, & ad ſummi apoſtolatus apicem vocati, omnino nobis celebrandum propoſuimus, dum ante ipſius inchoationem bella inter Chriſtianos vigentia ſedare, & oues perditas ad ouile dominicum reducere intendimus, repente inteſtina hæreſis, inſidiante ſatana bonorum operum perturbatore, domum Dei, quam decet ſanctitudo, inuaſit. *Pſal. 42.* Ne igitur contagioſa peſtis latius ſerperet, & Chriſti gregem nobis commiſſum ſenſim inficeret, paſtorali officio iugiter inuigilantes, vocemque Iſaiæ animo repetentes: *Iſa. 16.* *Ini conſilium, coge concilium*: diutius cunctandum fore non duximus. Conuenimus itaque, venerabiles fratres, voſque dilecti filii, hodierna ſolenni die in hac Lateranenſi baſilica, vt in Spiritu ſancto congregati viam veritatis eligamus, & abiicientes opera tenebrarum, induamur arma *Rom. 13.* lucis. Vos igitur hortamur in Domino, vt illum præ oculis habentes, qui eſt via, veritas & vita, in medium libere conſulatis, Deo magis quam hominibus placere ſtudentes. Speramus enim Domino cooperante in hac ſacra Lateranenſi Synodo ſentes ac vepres ab agro Domini penitus extirpare, deprauatos mores ad meliorem frugem redigere, pacem inter Chriſtianos principes componere, denique expeditionem aduerſus hoſtes fidei inter ſe diſſidentes decernere, vt in hoc vexillo ſalutiferæ crucis, quæ huic ſacro Concilio auſpicatiſſimum dedit initium, antiqui hoſtis inſidias ſuperare valeamus.

Qua lecta, ſanctiſſimus dominus noſter, approbante ſacro Concilio, Concilium ſacrum Lateranenſe inchoare decreuit, & declarauit primam ſeſſionem incipere die decima Maii futura, quæ erat dies Lunæ proxime ventura.

Iacobus Sadoletus Petro Bembo ſalutem plurimam dicit.

HABES, Bembe, orationem Ægidii Viterbienſis, quam tanta ope expetiuiſti, dignam illam quidem propter elegantiam quæ ab iis potiſſimum legatur, qui iudicare aliquid de præſtantibus ingeniis poſſunt; ſed & aliis quoque commendationibus prælucentem, tum quod magna auctoritate Lateranenſis principia Concilii auſpicata eſt,

ANNO CHRISTI 1512. quod a Iulio II. pontifice maximo paulo ante inſtitutum, ſanctæ Chriſtianæ reipublicæ optamus fore ſalutare: tum quod ab eo viro eſt, quem ego & tu ſæpe ſoliti ſumus in ſermonibus noſtris clariſſimum huius ſæculi tamquam obſcuraſcentis lumen appellare. Et quidem quæ in communibus hominum ſenſibus poſita ſunt, ea nemo eſt qui in Ægidio ſumma eſſe non agnoſcat. Sumus enim experti pluries illam huius viri mulcentem omnium aures atque animos eximiam eloquentiam, vernacula quidem lingua Etruſcorum, quæ illi patria eſt, abundantem, ſed ex vberrimis & Græcæ & Latinæ eruditionis fontibus deductam. Magno enim hic ſtudio theologiæ ac philoſophiæ altiſſimis artibus comites literas politiores adiunxit. Ergo illa in ſacris concionibus diuina ſemper & admiranda, flectere arbitrio ſuo hominum mentes, refrenare incitatas, languentes accendere, vel inflammare potius ad virtutis, iuſtitiæ, temperantiæ ſtudium, ſummi Dei venerationem, ſanctæ religionis obſeruantiam, nouit. Nec vero quidquam interfuit, illo dicente, inter doctos homines & idiotas: non ſenex ab adoleſcente, vir a muliere, non princeps ab infimo homine potuit dignoſci: ſed omnes pariter vidimus præcipites ferri impetu animos audientium, quocumque eos oratori impellere libuiſſet. Tanta vis orationis, tantum flumen lectiſſimorum verborum, pondus optimarum ſententiarum ex eo ferebatur. Ex quo, quod ſemper euenire cernimus, iam plane intelligimus neceſſitate euenire, non caſu, vt quotieſcumque dicturus eſt, concurſus maximi omnibus ex locis audiendi cauſa fiant. Sed nos hæc popularia cum multis, illa ſecretiota cum paucis cognoſcimus. Soleo enim mirari te, Bembe, vehementerque probare iudicium tuum, cum ita dicas: Humanitatem ipſam, & eas artes quæ humanitatis propriæ & affines ſunt, ſi malo hominum fato amiſſæ intereant, ab hoc vno homine exprimi & repræſentari poſſe, nec adumbrata in eo ſimulacra, ſed totam effigiem virtutis agnoſci. Quod vero addis, grandiorem tibi etiam in cubiculo videri Ægidium quam in pulpito, vbi certe eſt maximus, facile tibi aſſentior. Sed hæc alias. Nunc orationem leges, de qua teſtatum eſſe apud omnes volo, quicumque eam in manus ſument, redempturos eos non Hectorem, ſed Hectoris corpus:

quod ipsum tamen tanti precii est, vt iure optimo rependi auro queat. Certe non aderit calor ille & vis in dicendo oratoria, spirituſque ζωσης, vt aiunt, φωνης, quo tantum potuit Ægidius, vt omnium adstantium animos primum suauissime demulserit, deinde ad extremum vehementissime commouerit. Verum quid opus hæc ad te scribere, qui amore quidem & beneuolentia erga Ægidium mihi par, iudicio omnibus antecellis? Ego, quod egi, vt elucubratio optimi & religiosissimi viri non lateret in tenebris suppressa, sed in populum exiret, spero me bonis omnibus gratum feciſſe: tibi quidem certe scio. Vale. ANNO CHRISTI 1512.

viuæ vocis

Oratio prima Synodi Lateranensis, habita per Aegidium Viterbiensem, Augustiniani ordinis generalem.

NEMINEM hoc loco non mirari existimo, cum tot in Vrbe viri sint grauiter copioseque dicendi facultate clarissimi, cur ipse vnus qui cum luminibus his nulla sim ratione comparandus, & pro rostris appaream, & in tanta præsertim re, tantoque consessu, quo spectatius sacratiusque nihil habet terrarum orbis, audeam verba facere. Dicam sane aliquid interceſſiſſe, quamobrem ego non virtute vlla aliis præpositus, sed quadam superiorum tum temporum, tum actionum ratione, & tamquam a causa ipsa inuitatus videar, qui primus hoc conflictu telum iaciam, & sacrosancti Lateranensis Concilii auspicia capiam. Nam cum annis abhinc circiter viginti, quantū in me fuit, & perexiguæ vires tulere, euangelia populis interpretatus sim, prophetarum vaticinia aperuerim, Ioannis Apocalypsim de successu ecclesiæ, vniuersæ ferme Italiæ enarrauerim, ac sæpenumero affirmauerim, eos qui tunc audiebant, ingentes ecclesiæ & agitationes & clades visuros, illiusque emendationem aliquando conspecturos: nunc par esse visum est, vt qui hæc dixerat ventura, idem venisse testetur: & qui toties exclamauerat, Videbunt oculi mei salutaria tempora; iam tandem exclamet: Viderunt oculi mei salutare sanctumque principium expectatæ instaurationis. Modo adsis, orbis instaurator, diuini parentis proles, seruator sospitatorque mortalium: desque vim mihi dicendi, orationi commouendi, patribus non verbis, sed ipsa re, veri, sancti, exacti Concilii celebrandi, extirpandi vitia, virtutes

ANNO CHRISTI 1512.

tutes excitandi, vulpes quæ ad ſanctam demoliendam vineam hac tẽpeſtate ſcatent, capiendi: ac denique collapſam religionem in veterem puritatem, in antiquam lucem, in natiuum ſplendorẽ, atque in ſuos fontes reuocandi. Dicam itaque de Synodo, & quam eccleſiæ commoda ſemper ſit, & quam noſtris temporibus neceſſaria: præfatus, oraculorum ſtylum me inuertere non auſurum eſſe, ſed integra, vt legi ſolent, verba atque orationes vſurpaturum: tum quod homines per ſacra immutari fas eſt, non ſacra per homines: tum quod ἁπλὸς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ, ſimplex ſermo veritatis eſt. Atque a principio partitio illa in mentem venit, rerum alias diuinas eſſe, cæleſtes alias, alias humanas. Diuinæ quippe, quod ſunt motus ac mutationis expertes, emendatione non egent: cæleſtes vero atque humanæ, agitationi obnoxiæ, inſtaurationem deſiderant. Nam luna cum ad ſolis commercia venerit, ſol cum a cancro in brumam deſcenderit, quaſi magno mortalium diſpendio, damna ab integro reponunt; cogunturque, præſcribente natura, lucis iacturam rependere, & quidquid cadendo abſtulerint, aſcendendo mortalibus reſtituere. Quod ſi cæleſtia ſiderum itinera, quamquam perpetua, immortalia, ſempiterna, redeunt tamen, reſtituunturque, quidnam tertium hoc faciet rerum genus, vtpote fluxum, caducum, mortale? Profecto, aut interitu cito pereat neceſſe eſt, aut continua innouatione reficiatur. Quod enim eſt cibus corporibus, vt viuant; quod genitura generibus, vt perpetua ſint; id præſtat humanis animis ſua pro tempore emendatio, cultura, diſciplina: quamque abſque ciborum alimentis animantia diu viuere, tam humanæ animæ, tam eccleſia abſque cura Synodorum probe agere non poteſt. Ac quemadmodum ſi pratis imbres, ſi hortulis riuos, ſi agris cultum, ſi vineis putationem, ſi denique viuentibus alimenta ſubduxeris, illa areſcẽt breui, ſilueſcentque, hæc viuere deſinent atque emorientur: ita ferme poſt Conſtantini tempora, quæ vt ſacris rebus multum adiecere ſplendoris & ornamenti, ita morum & vitæ ſeueritatem non parum eneruarunt; quoties a Synodis habendis ceſſatum eſt, toties vidimus diuinã ſponſam a ſponſo derelictam, illudque euangelii factum, quod heri recitabatur: *Iam modicum, & non videbitis me.* Vidimus Chriſtum in nauicula obdormientem, vidimus ventorum *Ioan. 16.*

ANNO CHRISTI 1512.

rabiem, hæreticorum furorem in candida veritatis vela irruentem. Vidimus malas cupiditates, diram auri atque habendi ſitim. Vidimus perditam malorum audaciam aduerſus iura, auctoritatem, maieſtatem eccleſiæ ſæuientem. Vidimus, inquam, vim, rapinas, adulteria, inceſtus, omnem denique ſcelerum peſtem ita ſacra profanaque miſcere omnia, ita in ſanctam nauiculam impetum facere, vt pene ſcelerum fluctibus illa latus dederit, ac prope merſa & peſſumdata ſit. Rurſus cum eo monente ſpiritu, cui hodie ſupplicationes decretæ ſunt, patres ad Synodum confugerunt, quamprimũ emendauere compoſuereque omnia, ventis, turbinibuſque imperauere, & quaſi in tutiſſimum portum delati, impetum rationi, iniuriam iuſtitiæ, vitia virtuti, tempeſtates ac fluctus ſerenitati tranquillitatique cedere compulerunt, hymnumque cecinerunt ſancto Spiritui, piſcatorum, maris atque aquarum Deo: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem.* & illud: *Iam hiems tranſiit, imber abiit & receſſit: ſurge amica mea.* Iacet enim ſponſa, vt hieme frondes arborum: ſurgit reuireſcitque Synodorum ſtudio, vt ſiluæ veris tempore reuocato ſole frondeſcunt: ad Solis redeuntis radios & fecundi ſpirant Zephyri, & læta plantaria germinant: ad Synodorum lumen & diuini ſpiritus flant auræ, & emortui eccleſiæ oculi reuiuiſcunt ac recipiunt lucem, vbi pars altera impletur oraculi: *Iterum modicum, & videbitis me.* Quod quidem nihil aliud ſibi vult, niſi quod ſancti Spiritus lux, quæ Synodis omiſſis extinguitur, tamquam excuſſus e ſilice nouus ignis, iterum accenditur & recuperatur in Synodis. Ad hæc Paulus apoſtolorum decus, cum ſalutis caput oſtenderet, *Abſque fide*, inquit, *Deo placere nullo modo poſſumus.* Atqui ſine Synodis ſtare non poteſt fides: abſque Synodis igitur ſalui eſſe non poſſumus. Verum quod ratione dicimus, vt etiam experimento probemus, cogitandum nobis eſt, tres eſſe credendarum rerum radices, e quibus vniuerſa eccleſiæ fides manat. Prima diuinæ naturæ vnitas eſt. Altera, eadem in natura parentis, ſobolis, amoris feliciſſima Trinitas. Tertia, in Virginis vtero prolis diuinæ conceptio. In quibus veluti in altiſſimis apicibus ac ſanctiſſimis montibus, & reliquæ fidei partes nouem, & pietas vniuerſa fundata eſt. *Fundamenta enim eius in montibus ſanctis.* Vnitas nempe mons Dei

Cant. 8.

Cant. 2.

Ioan. 16.

Hebr. 11.

Pſal. 86.

ANNO CHRISTI 1512. nuncupatur, quod in vna dumtaxat Dei essentia sit atque natura: & vt vnitatem illam non solitariam, non sterilem, sed vberrima fecunditate præditam cogitemus, ideo mons pinguis adiicitur. Corpus vero in virgine Verbo iunctum, montem coagulatum vocat vates. Hæc itaque tripartita illa vinea est, super vertices montium sita, quam & futuram cecinere oracula, & præsentem euangelia indicauere. Sed iam perierat vinea: nam, vt testis est Dauid, illam aper e silua depopulatus erat, illam tumor philosophiæ vastauerat. Arius primum montem auellere conatus est, qui vnitatem * dispersit: Sabellius secundum, qui personas confudit: Photinus tertium, qui partum virgineum impura temeritate labefactauit. Tres veluti impiissimi gigantes qui gloriæ cupiditate de rerum nouarum studio illecti, montes loco mouere ausi sunt, vt viam sibi facerent ad cælum oppugnandum rescindendumque. Et erant iam voti compotes: nam quæ ipsi philosophia persuadebant, armis ea recipi principes imperabant. Philosophia nos argumentis vrgebat, arma collatis signis oppugnabant. Illa præstigiis, hæc vi fidem euertere conabantur. Illa inuertere quæ credebantur, hæc eos qui credebant, perdere contendebant. Illa in pietatem & animas, hæc in corpora vitamque sæuiebant. Quid faceret diuina sponsa iamiam peritura? quo se verteret? quo confugeret? cuius fidem, cuius opem, cuius auxilium imploraret? Exhorrescebat tempestas, nauicula mergebatur. Denique ne multis morer, nulla effugiendi, nulla euadendi inuenta via est, nisi Nicæna Synodus, vbi Siluestro ad clauum sedenti, & iamiam naufragium facienti, e cælo sese ostendens Deus, *Modicæ*, inquit, *fidei, quare dubitasti?* Ac statim diuinis fulminibus & fidei montes restituit, & gigantum temeritatem disiecit: vbi erepta puella experimento didicit, cum quidquam sibi aduersi imminere videat, nullum omnino præsidium ad se vel tuendam firmius, vel liberandam accommodatius, vel vindicandam efficacius habere, quam Synodum, qua sola fit, vt nullæ aquæ ecclesiæ caritatem extinguant, vtque diuinus spiritus in nostris animis mansionem efficiat, qui vnicus, velut aquarum victor, tempestatumque potens, teste Mose, fertur super aquas. Iam vero quod de fide dixi, quæ vtique nulla esset, si Synodi institutio non

* discerpsit:

Psal. 67. Isa. 5. Ier. 8. Matth. 20. & 21. *Psal. 79.* *Matth. 14.* *Gen. 1.*

ANNO CHRISTI 1512.

fuisset; idem ferme de temperantia, iustitia, sapientia, ceterisque virtutibus existimari velim. Omnes enim desidiam pro labore, otium pro negotio, voluptatem pro solicitudine expetimus. Verum cum animaduertimus, quandoque fore, quod in Synodis fit, vt census habeatur, vt morum & vitæ exploretur ratio, vt improbi deprehendantur, iudicentur, plectantur; contra probi alliciantur, foueantur, attollantur; incredibiles stimuli appetẽdæ virtutis iniiciuntur, vt homines colligant sese, vt meliora deliberent, vt ad vitia relinquenda & ad virtutem capessendam accendantur, nihilque non honestum, nihil non magnificum moliantur. Illud, illud Synodi discerniculum fuit, vnde veluti ex equo Troiano tot clarissima ingeniorum lumina emicuere. Illa virtutum approbatio, illa detestatio vitiorum, Basilios, Chrysostomos, Damascenos Græciæ, Hieronymos, Ambrosios, Augustinos, Gregorios Italiæ peperit: qui cum magna similium turba, bone Deus, quos libros, quæ scripta, quæ monumenta, quod doctrinarum, quod disciplinarum, quod diuini vel auri vel argenti genus in Christianum ærarium non congesserunt? Rem prætereo, nisi tempus obsisteret, minime prætereundam, de ecclesiarum rectoribus, de pastoribus populorũ, in quibus quidem vniuersa rei Christianæ sita est & summa & salus. Vt enim inferior hic mundus cæli tum motu, tum lumine regitur; ita Christianæ gentes a rectoribus suis, velut a cælestibus pastoribus gubernantur: qui, si boni futuri sint, necesse est vt & lumine disciplinarum fulgentes, alios doceant, & motum sanctarum actionum exercentes, quæ docuerint, ipsi in primis & maxime agendo præeant. Hæc duo illa sunt, quæ & docuit pastorum princeps Christus, cum & lucernas ardentes gestare ad clare instituendum, & ad sancte agendum præcinctos esse iussit, simul ipse mirifice exercuit, cum & lux mundi, & diuini Patris sapientia fuerit, & sanctus sanctorũ appellatus sit, quod probos omnes vitæ sanctimonia antecesserit: atque eas ob res, *Ego*, inquit, *sum pastor bonus*. Quod vero ob vtrumque bonum se dixerit, testatur euangelista, qui cœpisse eum scribit tum facere, tum docere. Quin & duodecim illi duces, qui super omnem terram constituti sunt principes, Spiritus afflati numine, completique, ita vtramque cæli vim sunt assecuti, vt etiam cæli appellatio-

Luc. 12.

Ioan. 10.

Act. 1.

Psal. 44.

ANNO CHRISTI 1512. nem promeruerint, vt vulgatissimum iactatur oraculum: *Cæli enarrant gloriam Dei.* Quo monemur, eorum rectorum celebrandam esse gloriam, qui cæli tum lucem sapientia, tum conuersiones sanctimonia imitati consecutique sint. Huius itaque rei, quæ omnium longe maxima est, quanta cura Synodis fuerit, historia memorat. Nam qui præstanti doctrinæ sanctum vitæ institutum adiunxerint, a Synodorum patribus ex vniuerso terrarum orbe conquisiti, euecti, exornatique sunt, summa cum eligentium laude, ecclesiarum fructu, commodo, lætitia, plausu populorum. Quid illud omnium grauissimum ac periculosissimum loquar, quod nemo tempestate nostra non deplorat? iniurias principum dico, legionum insolentiam, armatorum minas. Quid enim miserius vel audiri vel cogitari potest, quam vt cæli terrarumque regina ecclesia aut vi seruire, aut manus dare, aut grassantium tela pertimescere cogatur? Quæ quidem pestis adeo serpit hoc tempore, adeo insurgit, adeo inualescit, vt omnis illa ecclesiæ auctoritas, atque a Deo tradita libertas, euersa, profligata & plane extincta esse videatur. Quamobrem caue, Iuli secunde pontifex maxime, caue credas vllum mortalium quidquam melius salubriusve cogitasse vnquam, quam ipse, Spiritu sancto monente, cogitaueris in Synodo instituenda, cuius quidem nulli reges, nulli principes possunt vel decreta contemnere, vel iussa negligere, vel auctoritatem detrectare. Si qui enim forte pontificem ipsum per se inermem paruipendere ausi sunt, Synodi auctoritate, principumque & nationum consensu ac studiis instructum metuere ac vereri consueuerunt. Nam si Synodorum res gestas repetamus, nihil illis potentius, nihil maius, nihil munitius esse intelligemus. Synodo namque in Ioannem Hispanum & Alphonsum Lusitanum, Rodulphum imperatorem designat Gregorius X. Synodo Martinus IV. in Petrum Aragonensem animaduertit. Synodo VIII. Bonifacius in Philippum regem decernit. Synodo & olim Gregorius alter, & patrum memoria Eugenius Græcam ecclesiam Latinæ coniungit. Synodo in Fridericum imperatorem agit & IV. Innocentius, & Gregorius VIII. Quin in hac eadem æde omnium principe, & quæ vincere sem- *Psal. 18.*

per hostes solita est, vinci nunquam, non nisi Synodo & II. Innocentius aduersarios deiecit, & III. Alexander Victorem socioſque superauit: & III. Innocentius Othonem imperio submouit, & Martinus V. hostilia tyrannorum arma dissipauit. Et ne omnia persequar, quidquid laude, quidquid gloria dignum a Melchiadis ætate in ecclesia gestum est, aut ad hostem arcendum, aut ad rempublicam componendam, id omne de Synodis originem sumpsit, & proinde Synodis referendum acceptum est. Quid enim aliud sancta Synodus est, nisi malorum metus, proborum spes, errorum eiectio, seges & restitutio virtutum, qua dæmonum fallacia vincitur, sensus illecebræ auferuntur, ratio amissam arcem recipit, terris e cælo iustitia restituitur? Redit siquidem ad mortales Deus. Nam si dixerat: *Vbi duo vel tres meo nomine conuenerint, ad eos venio, interque eos sum:* quanto huc libentius se conferet, quo non duo tantum, vel tres, sed tot ecclesiæ capita proficiscuntur? Nam si angelos Ioannes appellat ecclesiarum pastores, quid est quod vel votis petere, vel precibus a Deo consequi non possit tanta simul frequentia angelorum? Hic Eua ab exilio reuocatur, hic serpentis caput talo premitur puellæ sanctioris: Abraham educitur e Chaldæorum terris, Agar ancilla obtemperat dominæ: fœdus cum Deo rursus feritur, animorum circumcisio introducitur. Hic scalam figens patriarcharum pater, in cælum aditum pandit, Deo iungitur in palæstræ ludo, & a videndo Deo accipit nomen. Hic populi velut in solitudine fame oppressi, diuinitus suppetias impetrant, cæli angelorumque panem recipiunt, & suauitate vescuntur cælestium epularum. Hic cum hominum pectora tamquam saxea euaserint, Mosis virga percussa, aquarum fontes effundunt. Hic thesaurus in agro abditus effoditur, margarita emitur, lampades accenduntur, semen in bonam seritur terram, sinapis granum surgit in arborem, & feraci oleæ oleaster inseritur. O beata itaque illa tempora, quæ Synodos susceperunt! hæc stulta, si non agnouerint: misera, si non admiserint. Et quoniam vetera Synodorum commoda strictim attigimus, nunc quam breuissime nostra delibemus. Appello ergo te, Iuli II. pontifex maxime, summus ille te appellat

ANNO CHRISTI 1512.

Matth. 18.
Apoc. 2. & 3.
Genes. 13.
Genes. 12.
Genes. 15.
Genes. 17.
Genes. 28.
Psalm. 77.
Num. 20.
Matth. 13.
Ibidem.
Matth. 25.
Marc. 4.
Matth. 13.
Rom. 11.

ANNO CHRISTI 1512. Deus, qui ſuam te gerere in terris vicem voluit, qui e tanto iam pridem ſenatu te vnum delegit, qui nonum vſque in annum eccleſiæ ſuæ te ſponſum defendit, qui & bonam cogitando mentem, & magnam agendo facultatem dedit, quantam nulli maiorum vnquam præſtitit; vt ſcilicet prædones abigeres, vias purgares, ſeditiones tolleres, domi templum omnium quæ vſquam viſa ſunt, magnificentiſſimum excitares: militiæ, quod nemo antehac potuit, eccleſiæ arma magnis regibus metuenda faceres, vt denique imperium propagares, vt Ariminum, Fauentiam, Rauennam, & alia permulta recuperares. Quæ etſi eripere tibi hoſtis poteſt, quin tamen primus pontificum hæc omnia geſſeris, efficere non poteſt. Magnorum enim principum virtus non ex caſu aut ex euentu, ſed ex conſiliis actionibuſque cenſenda eſt. Nunc rebus geſtis hæc duo deerant, vt Synodum vocares, & communi Chriſtianorum hoſti bellum indiceres, & quæ ab initio ſemper cogitaſti, ſpopondiſti, decreuiſti, iam Deo, iam Chriſtiano gregi, iam tuæ præſtes tum pietati, tum fidei. Ac ſcias, te bonos omnes in magnam ſpem erexiſſe, quippe qui bellorum & malorum temporum iniuria ad hæc differenda coactus quidem fueris, ad negligenda vero & deſerenda non minis, non telis, non cladibus adduci potueris, quin animum ea conſtantia firmaueris, vt ii fluctus, hæ aquæ quamquam multæ, firmam tamen caritatem tuam extinguere non potuerint. Ille itaque idem Deus, qui præter hæc omnia quæ ad animum excitandum enumeraui, immortalia beneficia, his ſuperioribus annis tum Bononiæ, tum Romæ, cum etiam intra ædes tuas extinctus habereris, in vitam reuocauit, & ad hæc maxima opera gerenda reſeruauit, vt & ipſe Deus extincto pontifici manifeſtiſſimo miraculo, & pontifex extinctæ eccleſiæ ſanctiſſima Synodo vitam reſtitueret, atque vna cum reuiuiſcente pontifice etiam eccleſia moribus reuiuiſceret. Ille, inquam, Deus petit mandatque, vt duo illa animo volutes, cures, peragas, & quemadmodum propheta iubet, deſtruas, euellas, eruas errores, luxum, vitia: inſtituas, ædifices, plantes moderationem, virtutem, ſanctimoniam. Ad hæc vero agenda, cum alia permulta, tum præcipue amiſſus exercitus excitare nos debet: quod equi- *Ierem. 1.*

ANNO CHRISTI 1512.

dem putem diuina prouidentia factum, quo armis ecclesiæ alienis freti cederemus, vt ad nostra redeuntes, victores euaderemus. Nostra autem arma sunt pietas, religio, probitas, supplicationes, vota, lorica fidei, atque arma lucis, vt Apostoli verbis vtar. Ad quæ si Synodi opera redibimus, vt armis non nostris inferiores aliquo hoste fuimus, ita nostris erimus omni hoste superiores. Veniat, quæso, in mentem Mosis bellum, quod aduersus Amalec regem gessit. Videbis populum Deo carum, gladiis fidentem, vinci semper: contra, semper vincere precibus supplicantem. Iosue exercitum in prælium ducebat, Aaron sacerdos cum Hur ac Mose montem ascendebant. Illi armato corpore ferebantur in hostem, hi Deum purgato animo precabantur: illi ensibus, hi votis agebant: illi ferro, hi pietate pugnabant. Vidimus vtraque arma, militiæ scilicet ac religionis. Sed iam quæ nostra sint, Deo rem ostendente, cognoscamus. Dum Moyses, inquit, manus attollebat, noster vincebat exercitus: dum manus remittebat, exercitus inclinabat. Ac ne casu id factum suspicemur, in calce sermonis illius scribitur, aduersus Amalec, hoc est in ecclesiæ hostem, Dei manum ac bellum esse in generatione & generationem. Quibus quidem verbis monet Deus, vtramque generationem atque vtramque ecclesiam & Mosis & Christi, militiæ armis vinci, pietatis studio vincere: superari telis decertando, sacra faciendo superare. Freta initio suis armis ecclesia Africam cepit, Europam obtinuit, Asiam occupauit, non vi, non bello, non ferro, sed religionis actionibus & sanctitatis opinione per vniuersum orbem Christiana signa circumtulit. At vbi sponsa quæ tunc vndique vocabatur, accersebatur, expetebatur in vestitu deaurato, aureum paludamentum ardentis spiritus ferreis Aiacis insani armis commutauit, imperium, duodecim ducum partum sanguine, amisit, Asiam & Ierusalem perdidit, Africam Ægyptumque relinquere coacta est, Europæ cum Byzantino imperio & Græcia, bonam eripi sibi partem vidit. Vox Dei est, dicentis, lassis Mosis manibus, votis, precibusque cessantibus, Iosue vinci, vincere Amalec: ita & nos vidimus, cum religio vota ferro commutauit, toto fere orbe pulsam, eiectam, explosam ecclesiam, aucto in immen-

Ephes. 6.
Rom. 13.
Exod. 17.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.
Exod. 17.

ANNO CHRISTI 1512. immensum Mahumete, qui, nisi ferro relicto, rursum in pietatis sinum ad aras & Dei puluinaria redeamus, crescet in dies magis, subiget imperio omnia, orbem vniuersum nostræ impietatis vltor impiissimus occupabit. Video, video, nisi vel hoc Concilio, vel alia ratione nostris moribus modum imponamus, nisi nostram humanarum rerum cupiditatem, malorum fontem, cedere diuinarum amori compellamus, actum de republica esse Christiana, actum de religione, actum de pietate, actum etiam de iis ipsis opibus, quas patres diuino cultu aucto peperere, nos contra, neglecto, amissuri sumus. Eæ enim ita ex extrema pauperie peruenere ad summum, vt non ita multo post interituræ esse videantur: ac nisi receptui canamus, nisi rationibus nostris consulamus, insula illa ditissima, cuius ad ornanda sacerdotis tempora vsus fuit, vix ad operienda inueniatur. Audite diuinas voces vndique sonantes, vndique Synodum, pacem, sanctam illam expeditionem efflagitantes. Quando enim vita nostra mollior? quando ambitio petulantior? quando cupiditas inflammatior? quando peccandi licentia impudentior? quando audacia aduersus pietatem loquendi, disputandi, scribendi, aut frequentior, aut securior fuit? Quando in populis rerum sacrarum, quando sacramentorum, quando & clauium & sanctorum præceptorum non modo negligentia, sed & contemptus maior? Quando apertius religio & fides nostra ludibrio vel tenui plebeculæ fuit? Quando, proh dolor, schisma in ecclesia pernicioſius? quando bellum periculosius? quando hostis potentior? quando exercitus truculentior? quando obiter monstra, portenta, prodigia tum cæli minantis, tum terræ expaueſcentis, aut crebriora, aut horribiliora apparuere? Quando (heu fletus me impedit) cædes, quando clades, aut post Brixiana, vel postea Rauennate cruentior? quando, inquam, vllus inter infaustos dies, quam sanctissima illa resurgentis Christi lux, aut luctuosior, aut calamitosior illuxit? Quæ quidem omnia, nisi ferrei simus, quidnam aliud, quam cælitus missæ voces sunt? Voces namque Dei, vti Proclus ait, facta sunt, de quo vno aiunt oracula, quod, *Dixit & facta sunt.* Et in arcanis Hebræorum legimus, decem dictis quæ in Genesi leguntur, orbem vniuersum esse

Psalm. 148.

Genes. 1.

ANNO CHRISTI 1512.

conditum. Voces igitur ſunt, quæ fieri cernimus, voces monentis Dei ac præcipientis vt Synodum habeas, vt eccleſiam emendes, vt vtriuſque hominis bellum tollas, vt ſponſæ tuæ vndique laceſſitæ pacem vtramque reſtituas, vt gladios auertas vrbis & Italiæ iugulis imminentes, vt noſtram frenes viuendi licentiam, eccleſiæ viſcera maioribus vulneribus ferientem. Non enim multi refert, quantum agri poſſideamus, ſed quam iuſti, quam pii, quam diuinarum rerum ſtudioſi ſimus: vt denique poſt tot mala, tot incommoda, tot calamitates, principem Chriſtum audias, Petro poſteriſque Synodum oſtendentem, vt vnicam omnium malorum medicinam, ſingularem periclitantis nauiculæ portum, ſolam reipublicæ confirmandæ rationem. *Tu*, inquit, *Petre, aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.* Audis Petre? audis Paule? Auditis auguſtiſſima ſemper capita, tutela ac præſidium vrbis Romæ? Auditis, in quem malorum cumulum eccleſia veſtro fundata ſanguine deducta ſit? Videtis acies vtrimque profligatas, videtis cædes? videtis clades? videtis campos occiſorum aceruis opertos? Videtis terram hoc anno plus cruoris hauſiſſe, quam pluuiæ; minus imbrium bibiſſe quam ſanguinis? Videtis tantum occubuiſſe Chriſtiani roboris, quantum fuerat ad fidei hoſtem debellandum ſatis? nihil nobis niſi exitium, nihil niſi interitum ſupereſſe? Ferte opem, iuuate, ſuccurrite, & quam de Iudæorum & tyrannorum faucibus eruiſtis eccleſiam, nunc domeſticis cladibus occumbentem erigite. Orat populus, viri, feminæque, omnis ætas, omnis ſexus, omnis orbis: rogant patres, obſecrat ſenatus, obteſtatur ipſe denique ſupplex pontifex, vt ſe, vt eccleſiam, vt vrbem Romam, hæc templa, has aras, hæc ſacra, hæc veſtra ipſorum capita ſeruetis, ac Synodum Lateranenſem, hodie ante ora veſtra a Iulio II. pontifice maximo indictam, (quod fauſtum, felix fortunatumque ſit nobis, eccleſiæ veſtræ, totique reipublicæ Chriſtianæ) in orbis terræ certiſſimam ſalutem ſancti Spiritus numine firmetis; curetiſque & pacari Chriſtianos principes, & in publicum Chriſti hoſtem Mahumetem noſtrorum regum arma conuerti, atque his fluctibus, his tempeſtatibus, his aquis, non modo non extingui eccleſiæ caritatem, ſed almæ crucis

Luc. 22.

ANNO CHRISTI 1512. meritis, & diuini spiritus ductu, quibus iunctim hodie sacra fiunt, ablui potius ab omnibus conceptis maculis, & in antiquum splendorem munditiamque restitui.

Dixi.

Habita fuit oratio in æde Lateranensi quinto Nonas Maias 1512.

SESSIO I.

DIE Lunæ decima mensis Maii, anno, indictione & pontificatu, de quibus supra, congregata fuit sacra & vniuersalis Synodus in basilica Lateranensi, præsidente præfato sanctissimo domino nostro Iulio, celebrata Missa de Spiritu sancto per reuerendissimum in Christo patrem dominum Dominicum episcopum Portuensem, cardinalem Grimanum, seu sancti Marci vulgariter nuncupatum: habitus sermo per reuerendum patrem dominum Bernardinum archiepiscopum Spalatensem. Interfuere infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, magistri generales ordinum, oratores principum, & alii illustrissimi domini, videlicet:

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

Presbyteri cardinales.

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigoniensis.
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Fliſco.
Reuerendissimus dominus Robertus tituli sanctæ Anastasiæ, Nannetensis.
Reuerendissimus dominus Christophorus tituli sanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sancti Vitalis, Siponti-nus.
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii Anconitanus.
Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti, Bononiensis.
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli sanctæ Sabinæ, de Saulis.

ANNO CHRISTI 1512.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.
Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſimus dominus Alphonſus ſancti Theodori, Senenſis.

Patriarchæ & aſsiſtentes papæ.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Alphonſus Antiochenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Patracēſis & Torcellanenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Iadrenſis.
Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Orlandus Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Vincentinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Caietanus.
Reuerendus pater dominus Laurentius Aſculanus epiſcopus, vicecamerarius & gubernator Vrbis.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Iacobus Barenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Auenionenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Antimarienſis.
Reuerendus pater dominus Mauricius Tuanienſis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Noboniaſienſis.

Epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Ioſue Eſculanus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Caualicenſis.
Reuerendus pater dominus Galaſius Bellunenſis.
Reuerendus pater dominus Albertinus Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Ortanus.
Reuerendus pater dominus Latinus Veſtanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1512. Reuerendus pater dominus Galaſius Sarſinatenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Signinus.
Reuerendus pater dominus Altobellus Polenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphenſis.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenſis.
Reuerendus pater dominus Thomas Ceruienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Marianenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Milopotamienſis.
Reuerendus pater dominus Raphael Crapitanenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Biſignianenſis.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriatinenſis.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Algarenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Caſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus pater dominus Aloyſius Interamnenſis.
Reuerendus pater dominus Guilhelmus Cortonenſis.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Neocaſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Launenſis.
Reuerendus pater dominus Michael Monopolitanus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Aquenſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinenſis.
Reuerendus pater dominus Georgius Callienſis,
Reuerendus pater dominus Ludouicus Signenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Marſicanus.
Reuerendus pater dominus Lambertus Venuſinus.
Reuerendus pater dominus Simon Modruſienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonenſis.
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Nolanus.
Reuerendus pater dominus Corradus Aſtunenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinenſis.
Reuerendus pater dominus Michael Mordanienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Arianenſis.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Licienſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinus.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus,

ANNO CHRISTI 1512.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Antonius abbas monaſterii ſancti Galgani ordinis Ciſtercienſis Vulteranenſis diœceſis.
Reuerendus pater dominus Floremondus abbas monaſterii ſancti Georgii de Vrbe, ordinis ſancti Benedicti.

Magiſtri generales ordinum.

Magiſter Thomas generalis ordinis Prædicatorum.
Magiſter Demetrius ordinis Minorum vicarius.
Magiſter Ægidius generalis ordinis eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Bernardus vicarius ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

Senator Vrbis.

Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentinus.

Oratores.

Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis & reginæ Hiſpaniarum.
Magnificus dominus Franciſcus Foſcarus eques, orator ſereniſſimi & illuſtriſſimi dominii Venetorum.
Magnificus dominus Antonius de Strozis, orator Florentinorum.

Illuſtriſſimi domini temporales.

Illuſtriſſimus dominus Iulius de Vrſinis.
Illuſtriſſimus dominus Marcus Antonius de Columna.
Illuſtriſſimus dominus Nicolaus de Ruuere.
Illuſtriſſimus dominus Franciottus de Vrſinis.
Dominus Fabricius de Careto, procurator ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.
Dominus Sixtus de Ruuere prior Vrbis, miles ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.
Dominus Petrus Grimanus prior de Hungaria, miles ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.

Deinde præſentibus ſupradictis, & aliis doctoribus & magiſtris, cantatiſque litaniis & aliis orationibus cum genuflexionibus, benedictaque Synodo per ſanctiſſimum dominum noſtrum iuxta morem & laudabilem conſuetudinē in ſacris Conciliis ſeruari ſolitam, & quampluribus deuotis orationibus, ac cantato euangelio per reuerendiſſimum dominum Ludouicum ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconum cardinalem de Aragonia, quod incipit: *Ego ſum paſtor bonus:* idem dominus noſter Iulius papa habuit orationem, ſumpto themate: Conueniſtis in vnum, patres, &c.

Ioan. 10.

ANNO CHRISTI 1512. Et allocutus est Synodum, exhortans omnes ad meditandum & solerter insistendum super ordinandis, quæ ad ecclesiæ pacem & statum pertinent, ac schismatis extinctionem, & dictæ ecclesiæ reformationem, ac contra infideles per Christianos principes expeditionem, pacemque inter eos componendam. Facta itaque exhortatione magna cum grauitate & caritate, quibus Romanũ pontificem decebat, idem sanctissimus dominus noster incepit hymnum, Veni creator spiritus, &c. Quo absoluto per cantores, reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis, de Farnesio vulgariter nuncupatus, stans in thalamo eminenti iuxta locum, vbi præfatus sanctissimus dominus noster sedebat, alta & intelligibili voce legit quamdam schedulam, cuius tenor est talis.

Schedula prima.

Bulla indictionis sacri generalis Concilii Lateranensis.

Julius episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

INTENDENTES executioni eorum quæ anno præterito & præsenti pro celebratione generalis Concilii in hac Lateranensi basilica tenendi, & proximis diebus inchoati, per nostras intimationis & prorogationis literas denuntiari & peruulgari fecimus, quarum tenor subsequitur, videlicet:

Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ martyrum sanguine consecratæ, magistræ fidei, veritatis alumnæ, omnium errorum expertis, vnicæ & immaculatæ, diuina institutione, sanctorum auctoritatibus Conciliorum, Canonumque omnium testimonio, ecclesiarum cunctarum primatum tenentis, fidelium matris, regimini superna dispositione præsidentes, circa religionis Christianæ puritatem, ipsiusque vnitatem, pacem & tranquillitatem, quæ in coniunctione membrorum ad vnum caput, Christum videlicet, cuius vices in terris gerimus, principaliter tendit, diuisionem ouilis nobis ex alto commissi, in illoque schisma, per quod ecclesia scindi & scandalizari, grexque domini-

cus nobis creditus turbari quoquo modo possit, quantum cum Deo possumus, prohibentes, ac damna & scandala quæ exinde euenire possent, eneruantes, ac palmites futuros infructuosos succidere, & quoscumque aliter quam per ostium ad ouile ingredi cupientes, ac a via Domini, postquam illam semel cognouerant, retrocedentes, ad semitam veritatis reducere, vulpeculasque ex vinea eiusdem Domini per ministerium summi apostolatus etiam expellere desiderātes, de opportunæ prouisionis remedio prouidemus, aliaque ordinamus & mandamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane non sine graui animi nostri molestia percepimus, quod quidam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales qui nobiscum, dum versus ciuitatem nostram Bononiensem pro recuperatione nonnullarū terrarum sanctæ Romanæ ecclesiæ etiam vna cum nostra curia personaliter accederemus, pro recuperandis terris huiusmodi venire simulauerant, ex nostra licentia ab vrbe recedentes, Florentiam diuerterunt, ibique se continuerunt, etiam postquam nos eos per dilectum filium nostrum Franciscum tituli sancti Clementis presbyterum cardinalem, tunc in minoribus constitutum episcopum Concordiensem datarium nostrum, ac per literas nostras ad nos tunc Bononiæ existentes, vocari feceramus; licet se venturos obtulissent, nihilo minus satore zizaniæ seminante, per quem morum subuersio in clero & populo frequenter obrepit, tamquam membra insana sine causa legitima a suo capite recedentes, armis satellitibusque stipati, imo in seipsis armis assumptis, & pro sacerdotalibus vestibus thoracem induti, & gladiis armati, Papiam se contulerunt. Quo cum peruenissent, stimulo conscientiæ, vt credimus, agitati, per internuntios, perque regiorum oratorum intercessiones reditum ad nos postularunt, & pro desertionis venia supplicarunt, quam benigne obtulimus. Sed ipsi qui nobis ex officio tamquam consultores assistere, neque sine licentia nobis & nostræ curiæ veluti corporis membra abesse debuissent, ausi tamen sunt os in cælum,* & spiritum blasphemiæ, & cum Lucifero sedem ad Aquilonem ponere, altitudinem nubium transcendere, vt se similes Altissimo constituant, pontificalem auctoritatem nostram sibi ipsis adscribere satagentes, conuenientes vt locustæ acephali, aggressi

Anno Christi 1512.

* al. ad spiritum blasphemiæ.

sunt

ANNO CHRISTI 1512. sunt sine Romani pontificis auctoritate œcumenicũ generale atque vniuersale Concilium conuocare, locum Concilii & tempus indicere, & valuis ecclesiarum ac aliis publicis locis per publica instrumenta etiam falsa indictionem huiusmodi affigere & publicare, eisdemque instrumentis falsis publice atque impudenter vti, quosdam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales sui propositi socios in eorum prætenso edicto falso declarando, qui tamen & publicis & priuatis scripturis eorũ propriis manibus scriptis, se illis in huiusmodi proposito, neque verbo, neque scripto vnquam iunxisse, seu quomodolibet consensisse protestati sunt, nosque ac venerabiles fratres nostros eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales ac alios tunc expressos, vocare & requirere, vt per nos vel alios ad huiusmodi eorum Concilium accedere vellemus, non formidarunt, asserentes decennium post vltimum vniuersale Concilium, etiam contra constitutionẽ Concilii Constantiensis quæ incipit, Frequens, iam dudum effluxisse, & nos illud conuocare neglexisse, maxime cum iurauissemus & vouissemus illud post bienniũ a creatione nostra tenere, tempusque pro homine interpellare, neque credendum fore, nostra auctoritate & voluntate Conciliũ futurum: & cum de grauibus criminibus notoriis durantibus, vniuersalem ecclesiam scandalizantibus in capite agendum foret, ad summum pontificem Concilii congregationem non attinere, sed secundo loco ad cardinales, qui pontifici in negligentia non adhæserunt, conuocationem Concilii spectare. Ac vt huiusmodi eorum conuocationem & conuenticulũ honestare viderentur, eisque auctoritatẽ adiicere, hoc idem fere per omnia, per quosdam assertos procuratores carissimorum in Christo filiorum nostrorum Maximiliani Romanorum imperatoris electi, & Ludouici Francorum regis Christianissimi, principum, sub eisdem datis, modo & forma, & similibus schedulis, præter tamen voluntatem & mentem dictorum principum, vt rationabiliter credi debet, fieri & publicari procurauerunt & ordinauerunt. Sed hæc vt falsa, ficta commentitiaque sunt, & non ex zelo caritatis & religionis, sed odii fomite & inimicitiæ procedentia; ita omnibus principibus, nec non Christi fidelibus cupimus nota fieri. Quis enim tanti erroris particeps est, qui nos de negligentia erga conuocationẽ Concilii redarguere

possit, cum nihil nobis per vltimos vndecim annos, quibus cardinalatus officio functi sumus, magis cordi fuerit, quam celebrari videre generale Concilium, & ecclesiæ Romanæ statum in melius reformari? Quid enim felicis recordationis Alexandro sexto Romano pontifici prædecessori nostro magis nos odiosos fecit, nisi studium & cura generalis Concilii celebrandi? Quid nos terra marique iactauit, cum nobis idem Alexander prædecessor esset infensus? Quid toties Alpes transcendere, trãsalpinas Gallias peragrare per æstus, niues & glacies compulit, nisi quod nitebamur, vt a Romano pontifice Concilium indiceretur, conuocaretur & celebraretur? Nota recensemus, & principibus Christianis apertissima, imo illis ipsis qui nos & fratrum nostrorum collegium criminantur, dudum pleneque comperta. Quare si anteactæ vitæ ratio apud prudentes de præsenti & futuro vitæ rationem facit, nulla subest ratio, cur dicti cardinales qui a nobis recesserunt, desperent nos facturos, quod tam longo tempore, tam ardenter, & non sine vitæ discrimine fieri desiderauimus & studuimus. Aperiant oculos cordis, & odii obstacula resecent, & cogitent, qua voce, quibus oculis, qua facie promiserimus, vt dicunt, in nostra ad pontificatum assumptione, iurauerimus & vouerimus generale celebrare Concilium: quoniam nostræ promissioni interfuerunt. Certe palpabunt, nos non sola voce, non simulate, sed in cordis simplici veritate id egisse quod prædicant. Quod si ea quæ diximus, attendere nolunt, examinent & inspiciant omne studium in pontificatu nostro circa præmissa. Nonne omnes principes Christianos, qui ad obedientiã ex more præstandam miserunt oratores, admonuimus de celebrando generali Concilio, deque expeditione in perfidos Turcas conciliariter decernenda, assumenda & prosequenda? Nonne primo pontificatus nostri toto biennio Christianos potentatus pacare studuimus, vt conciliatis animis Concilium iniretur? Quid vltra facere debuimus aut potuimus ad restituendam ecclesiæ pacem, quod omiserimus? Nouit ipse cardinalis, qui edicti seu indictionis huiusmodi & contentorum in ea se aurigam profitetur, & * claui moderatorem prædicat, quid a nobis habuerit in mandatis, cum ad Romanorum imperatorem electum per vniuersam Germaniã illum nostrum & sanctæ

ANNO CHRISTI 1512.

* clauiã

ANNO CHRISTI 1512. sedis apostolicæ legatum misimus: communicet illa fratribus suis qui cum illo sentire videntur; proferat monita in scriptis illi tradita: certo certius, & luce meridiana clarius erit, hanc indictionis desperationem de celebrando a nobis Concilio, nedum leuem & inanem, sed falsam, irrationabilem impossibilemque fuisse. Nulla nostra culpa, neque sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, dilata est generalis Concilii indictio, conuocatio & celebratio. Distulit hæc infelicitas temporum, quæ sub eodem Alexandro prædecessore nostro vexare cœpit Italiam, & adhuc vexare non cessat; & instans necessitas recuperandi terras & iura eiusdem Romanæ ecclesiæ. Nam propositum nostrum semper ad Concilii celebrationem promptissimum atque intentissimum fuit. Quare spiritum diffidentiæ deponant, & ita huiusmodi calumniæ auctores reuersi ad cor, mordere desinant pastorem & patrem animarum suarum. Desinant etiam calumniari fratres suos eiusdem Romanæ ecclesiæ cardinales. Quod si tam ardenter illis cordi est, se caput & auctores generalis Concilii constituere, quid ad hanc rem facto opus sit, prius discant. Reuoluant sanctorum patrum & Romanorum vitas pontificum, & antiquum morem indicendi & conuocandi & celebrandi Concilium; traditiones & leges super his editas a patribus inspiciant, videbunt huiusmodi Concilia a solis Romanis pontificibus esse indicta, & aliter indicta, rata non fuisse. Quod vero attinet ad constitutionem Concilii Constantiensis quæ incipit, Frequens huiusmodi; ea ad octuaginta annos seruata non fuit: & si seruata fuisset, teste piæ memoriæ Eugenio papa IV. etiam prædecessore nostro, ac sacrorum Canonũ sanctionibus, ex causis prædictis eam licuit nobis transgredi; & quod fortius est, stante legitimo impedimento, de quo supra, eam locum non habere certo certius est. Votum autem & iuramentum, quod ex prædictis causis de iure nobis transgredi licuisset, transgressi non sumus, quandoquidem legitimo impedimento detenti, non potuimus obseruare: & quia votum & iuramentum, quantum ad hanc materiam attinet, in foro conscientiæ versantur, de æquitate canonica purgatio moræ semper admittitur. Desinant nobis & fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus negligentiam impingere, quæ, vt præmittitur, nulla fuit; & si qua fuisset, ipsis

cum Alexandro prædeceſſore præfato & nobiſcũ manentibus multo magis imputari poſſet. Quod autem docentes iuxta prophetam, linguas ſuas loqui mendacium, & contra diuinum præceptum, aduerſus principem populi ſui maledicentes, confingunt in nos crimina, & ea quidem, vt aſſerunt, durantia, grauiſſima, notoria, ſcandalizantiaque vniuerſalem eccleſiam; dicuntque propterea negligentibus aliis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, ad eos deuolutam Concilii congregandi facultatem; non miramur: quoniam, teſte Hieronymo, ſchiſmatici, cum dubitant cauſas ſuas damnari, in contumelias proſiliunt. Dicant prædicti, nomine tantũ cardinales, Dathan & Abiron, Acaciumque & Dioſcorum repræſentantes, tenebrarum filii, numquid ſummo pontifici ſpectet & pertineat cõgregare Concilium, etiam ſi de ſua cauſa agatur? Legant vltra antiquos, geſta Conſtantienſis Concilii, in quibus ſe potiſſimum fundant, vt ex eis, tamquam Iudæi ex propriis codicibus confundantur: reperient, Ioannem papam XXIII. de cuius potiſſimum cauſa agebatur, Concilium Conſtantienſe huiuſmodi indixiſſe. Cum ergo Conciliũ prædictum congregare parati ſimus, ſatis conſtat, doloſas eorum linguas locutas fuiſſe mendacium. Sed ſi hæc omnia ceſſarent, ſtantibus impedimentis prædictis, in qua negligentia dici poſſunt eſſe fratres noſtri ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales huiuſmodi non requiſiti ad Concilium congregandũ, ita vt ad pauciſſimos, Romano pontifici eorum culpa ambitioneque infenſos, ſchiſmaticos, ac extra domum Dei poſitos, potuerit poteſtas vniuerſalis eccleſiæ deuolui, imo potius ab eis vſurpari? Adiiciamus ergo nunc huiuſmodi poteſtatis abuſum oſtendere trium menſium & quatuordecim dierum ab eis tempus in ſuo, vt volunt, edicto ſeu conuocatione aſſignatum, & ad œcumenicum Concilium congregandum: hoc tam breui temporis ſpatio poterit nationibus Chriſtianis a Mediolano remotiſſimis legitime innotuiſſe? Poterũtne, ſi innotuiſſet in termino, diœceſanas & metropolitanas Synodos conuocare, celebrare & perficere? Poteruntne, qui venturi decernerentur, ad tantum iter neceſſaria conquiſiuiſſe? Poterunt principes accedere volentes, populis ſibi ſubditis & ſtatus ſui ſecuritati *bonæ conſuluiſſe? Poterunt, quos mittere decreuerint, procuratores aut oratores

ANNO CHRISTI 1512.

*bene

ANNO CHRISTI 1512. plene informatos mittere ? Vix curſor expeditus trium menſium & ſemi ſpatio ire & redire poſſet ſine ſarcinis, vnde & quo ipſi graues viros & multa ſecum impedimenta trahentes, ſine quibus venire non poſſunt, putant, imo decernunt, accedere poſſe & oportere. Quare ſi nihil aliud, indictionem Concilii quam attentauerunt, in tempore præfixo accedendi impoſſibilitas ipſa penitus eneruat : ſed poſſibile fuerit & aliqua ratione decretum hoc ipſum Concilii tempus, loci ratio indictionem ipſam nullam facit. Locus Concilii commodus eſſe debet & tutus. Quis ignorat (quod dolenter dicimus) vrbem Piſas prope quatuordecim continuos annos obſeſſam duriſſime fuiſſe, & ad eam deſolationem bello redactam, vt rariſſimæ domus integris parietibus in illa conſiſtant, & fere nullæ ſint, quæ contignationibus & ſolariis muniantur? Habitarentne ibi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, principes ſæculares, vel oratores eorum, communitatum item nuntii? Habitarentne doctores celeberrimi, tam diuini iuris quam humani, ruinoſas domos, ciuitatemque penitus deſolatam pro celebrando œcumenico Concilio? Nunquam talibus in locis ſcriptum eſt Concilium generale fuiſſe celebratum. Reuoluantur omnes Conciliorum œcumenicorum hiſtoriæ : apparebit patribus noſtris ſanctis ſane & prudentibus viris, pro celebrando Concilio ante omnia cordi fuiſſe, eligere ciuitatem amplam, ædificiis accommodatam, ſalubris aeris, fertilis ſoli, conuehendis commeatibus facilem : quæ omnia ſi Piſis adeſſe quiſpiam affirmauerit, ruinæ ciuitatis, ædificiorum rudera, villarum & vinearum euerſiones redarguant ſic dicentem. Hæc tamen ſi Piſis eſſent integra, vt non ſunt, nec affirmari poſſunt ſine impudentia ; quomodo eſt ad Piſas tutus acceſſus, vel in ea manſio, cum omnis Tuſcia arma nunc tractet, & nos pro paſtorali, quod gerimus, officio, nil magis premat, quam Florentinos & Senenſes, inter quos fremit bellum, ne ſe armis inuicem impetant, continere? Fidem de re hac facere poſſunt plerique Chriſtiani principes, a nobis ſæpius & inſtantius requiſiti, ſuam per literas & nuntios auctoritatem & gratiam interponere, vt ſi inter ſe ii populi pacem habere

noluerint, per inducias saltem ab armis abstineant. Igitur cum ex præmissis & aliis etiam notissimis causis, accessus ad Pisas, vel ibi mansio secura habenda verisimiliter credi non possit, cum ciuitas ipsa desolatione, habitationibus pro Concilio non sit sulta; cum ager vastitate sit desolatus, cum tempus in edicto seu indictione præfixum sufficere non possit, & terminus assignatus ab illis tempori pro generali Concilio celebrando dari solito non respondeat: cum insuper indicentes nulla sint auctoritate suffulti, & si quam habere possent, illa, vt decuit & fieri oportuit, imo debuit, non sint vsi; cum edictum ipsum seu conuocatio de falsitate se conuincat: Nos considerantes, quanta cum difficultate & temporis diuturnitate prædecessores nostri præfati in eorum Conciliis celebratis priscas hæreses & schismata, etiam aliquando imperiali maiestate adiuuante, sustulerunt, quodque illa in totum extinguere nequiuerunt, cum eorum aliqua (quod dolentes referimus) vsque ad hodiernum diem in sua pertinacia perdurent, quamque calamitosa fuerint prælatis & omnibus Christi fidelibus schismatum tempora, supradicta omnia, tamquam pernicioſissima schismatum atque errorum seminaria, quæ aliquamdiu conniuentibus oculis tolerauimus, expectantes eorum ad cor reuersionem, ob Christi caritatem zelumque domus suæ dissimulare vlterius non valemus, timentes nobis improperari illud Ezechielis: *Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis vos murum pro domo Israel:* verentes etiam, ne figmenta erroresque prædicti Christi fidelium minus eruditorum mentes aliquo infidelitatis laqueo inuoluant, apud quos sæpe, vt inquit Origenes in cantica, pulcriora videntur mendaciorum sophismata, quam documenta veritatis: & ne error cui non resistitur, approbari videatur, & veritas Deique causa, & iura indefensa opprimantur, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione, de eorumdem cardinalium consilio & vnanimi consensu, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, prædictas indictionem, conuocationem & publicationem assertas, schismaticæ conuenticulæ, synagogæ satanæ, & ecclesiæ malignantium, per Dathan,

ANNO CHRISTI 1512.

Ezech. 13.

ANNO CHRISTI 1512. & Abiron auctores ſchiſmatum, eorumque ſocios, & alias ſupradictas procuratorio nomine dictorum cariſſimorum filiorum noſtrorum Maximiliani imperatoris Romanorum electi, & Ludouici Francorum regis Chriſtianiſſimi, illuſtrium principum, factas, indictas & publicatas, omniaque & ſingula in eis & qualibet earum contenta, & inde ſecuta quæcumque, quorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro ſufficienter expreſſis & inſertis haberi volumus, tamquam a non habentibus facultatem, & ex minus legitimis cauſis ac incongruis terminis & loco, nulla, irrita & inania, non legitime ad ſcindendum & ſcandalizandum vniuerſalis eccleſiæ vnitatem facta, ne canceroſus morbus inualeſcat, reprobamus, reuocamus, caſſamus, irritamus & annullamus, reuocataque, irrita, caſſa, reprobata & annullata haberi volumus, ac, prout ſunt, nullius roboris vel momenti fuiſſe & eſſe decernimus & declaramus. Diſtrictius ſub excommunicationis, anathematis & maledictionis æternæ, ac dignitatum & beneficiorum eccleſiaſticorum quorumcumque ſæcularium vel regularium, feudorum, indultorum, priuilegiorum, conceſſionum, facultatum & gratiarum priuationum ipſo facto, infamiæ, & aliis in vniuerſalem eccleſiam ſcandalizantes, & ſchiſma in ea diſcordiamque ſuſcitantes, eiſque conſilium, auxilium vel fauorem præſtantes, tam a iure quam alias promulgatis & indictis pœnis inhibemus. Nec non eiſdem cardinalibus qui a nobis receſſerunt, vt præfertur, ac omnibus & ſingulis cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, qualitatis, conditionis, præeminentiæ, auctoritatis & nobilitatis exiſtentibus, & quacumque eccleſiaſtica, etiam cardinalatus, patriarchali, * prouinciali, archiepiſcopali, epiſcopali, abbatiali, ſeu ſæculari, regali, reginali, ac etiam imperiali, ac aliis dignitatibus & præeminentiis fulgentibus, & quos ab omni vinculo iuramenti, conuentionis, obligationis & promiſſionis per eos forſan factarum, propterea abſoluimus & liberamus, ac abſolutos & liberatos fore nuntiamus, ne indictionibus, publicationibus & conuocationibus prædictis, omnibuſque aliis & ſingulis, vel eorum aliquo, per reprobos aut alios præfatos, vel eorum aliquem, vt præfertur, factis, directe,

* primitiali,

ANNO CHRISTI 1512.

vel indirecte, tacite vel expresse, seu quouis quæsito colore adhæreant, accedant, intersint, obediant, assistant, consilium, auxilium vel fauorem præstent, aut quomodolibet intendant, vt pessima * facta suis erroribus confusa tamquam nebula dissoluantur, etiam inhibemus. Omniaque & singula, ciuitates, terras & loca quæcumque, ad quæ peruersa Concilia, seu potius Conciliabula, schismaticas conuenticulas, synagogas, ac ecclesias malignantium huiusmodi indicentes, & eis adhærentes, obedientiam, consilium, auxilium vel fauorem aliquem, vt præfertur, præstantes, & eorum quemlibet declinare contigerit, & in quibus Concilia seu Conciliabula, aut ecclesias malignantium huiusmodi celebrari vel coadunari & congregari contigerit, ecclesiastico subiicimus interdicto. Et nihilo minus bonam intentionem nostram exequi volentes, vt antiquæ hæreses quæ in diuersis Christianorum partibus nondum extinctæ sunt, & pessimum nouiter pullulans schisma, extinguantur, reformationique morum, tam ecclesiasticorum quam sæcularium personarum, quæ de iure vel consuetudine reformationi vel determinationi Concilii subiiciuntur, bellorumque imminentium seditioni consulatur, vnicuique quod suum est reddatur, iustitia & pax sese inuicem osculentur, *Psalm. 84.* Christique fideles in pace & vnitate, in Dei nomine, non ex passionum priuatarum fomite, qui, vt ex gestis diuersorum Conciliorum apparet, pessimos effectus parere consueuit, congregati, ad faciendum expeditionem contra infideles iam regnum Siciliæ infestantes, meliora ac nobiliora loca Christianorum occupantes, præsertim Ierusalem matrem nostram antiquam, & ex antiqua Christianorum negligentia deperditam, facilius & promptius intendant: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, auctoritate omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, qua in terris fungimur, de simili eorumdem fratrum consilio & assensu, œcumenicum, vniuersale ac generale Concilium in alma vrbe nostra communi omnium patria, loco aptissimo & tutissimo, apud Lateranum, vbi plurima Concilia per antiquos & patres nostros habita fuerunt, & Altissimus Petri sedem collocari voluit, literatorumque

* secta

&

ANNO CHRISTI 1512. & peritorum numerus copiosus habetur, post festum resurrectionis Domini nostri Iesu Christi proxime futurum, inchoandum, anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, die Lunæ decimanona mensis Aprilis, quæ erit feria secunda post octauam eiusdem resurrectionis, celebrandum, &, vt sequitur, auctore Domino finiendum, nuntiamus, conuocamus, statuimus, indicimus & ordinamus, licet nos non lateat, hanc nouem mensium præfixionem pro sacro Concilio generali celebrando, ex tot longinquis mundi partibus venturis fortassis non sufficere, & de breuitate notari posse ad tantam rem peragendam, præsertim cum a sanctis patribus Romanis pontificibus prædecessoribus nostris assignato tempori ad similia generalia Concilia congreganda non respondeat, qui nunquam minus quam annum ad hoc inchoandum assignasse reperiuntur. Sed quia ad Christianissimum regem prædictum, & quosdam alios principes de inchoando generali Concilio in tempore præsentibus inserto, literas dedimus: & insuper, ne volentibus nos & venerabiles fratres nostros eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales calumniari, ansam daremus, si longius tempus statuissemus, visum est nobis hunc terminum assignare. Insuper præfatis & aliis venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, monasteriorum abbatibus & prælatis, præsertim sub vinculo iuramenti ad visitandum certis temporibus limina apostolorum Petri & Pauli, etiam tempore suæ promotionis adstrictis & obligatis, non obstantibus quibusuis concessionibus, priuilegiis & indultis, eis eorumque ecclesiis, monasteriis & beneficiis per dictos prædecessores nostros aut nos concessis, confirmatis & innouatis, quæ pro expressis habentes, ex certa scientia & plenitudine præmissis, cassamus, irritamus & annullamus. Omnibusque aliis ecclesiasticis vel sæcularibus, etiam regibus & principibus, ceterisque personis, quæ de iure vel consuetudine in congregationibus generalium Conciliorum solent interuenire, cessante legitimo impedimento, de quo legitime docere teneantur per se vel alios idoneos nuntios, procuratores vel oratores, legitima mandata habentes, sub excommunicationis, aliisque de iure vel consuetudine, aut

alias non accedentibus ad generale Concilium indictum, pœnis, mandamus, vt ad ipſum Concilium Lateranenſe accedere, & vſque ad dicti Concilii concluſionem & diſſolutionem per nos vel auctoritate noſtra fiendam, in dicta vrbe morari debeant, nec non cariſſimos in Chriſto noſtros & eiuſdem Romanæ eccleſiæ filios Maximilianum Romanorum imperatorem electum prædictum, ceteroſque Chriſtianorum illuſtriſſimos reges, duces, marchiones, comites & alios nobiles in virtute ſanctæ obedientiæ rogamus, hortamur & monemus, vt opem & operam adhibeant efficaces, quod omnes & ſingulæ tam eccleſiaſticæ quam ſæculares perſonæ, in eorum regnis, ducatibus & dominiis conſiſtentibus, quæ in generalibus Conciliis de iure vel conſuetudine intereſſe conſueuerunt, ad Concilium Lateranenſe huiuſmodi, ceſſante impedimento prædicto, accedant, poſtpoſitis odiis, conciliatis animis in Spiritu ſancto, non autem paſſionibus repleti, veramque domum Dei facientes, & his quæ ad Dei laudem, eccleſiæ exaltationem, vnitatem & reformationem, ſchiſmatum vero & hæreſum totalem extirpationem, fideliumque prædictorum pacem & ſalutem concernunt, caritate muniti intendant. Et ne ad tantum laudabile & neceſſarium opus accedere debentes aliquibus de cauſis ſeu figmentis ab acceſſu ad dictum Concilium Lateranenſe quomodolibet retrahantur, omnibus & ſingulis in congregationibus Conciliorum generalium adeſſe ſolitis, & ad dictum Concilium Lateranenſe venientibus, eorumque ſeruitoribus & familiaribus cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis vel nobilitatis exiſtentibus, eccleſiaſticis & ſæcularibus, pro ſe & bonis eorum quibuſcumque per ciuitates, terras & loca terreſtria & maritima dictæ Romanæ eccleſiæ ſubiecta, ad Concilium Lateranenſe, ad vrbem huiuſmodi veniendi, & in ea morandi & libere conſulendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, etiam poſt quatuor menſes poſt dicti Concilii Lateranenſis concluſionem & diſſolutionem, liberum, tutum & ſecurum ſaluumconductum, ac plenam & omnimodam ſecuritatem de conſilio & poteſtate præmiſſis, damus & concedimus, alioſque ſaluosconductus & ſecuritates habere

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. cupientibus dare pollicemur, eoſque benigne & caritatiue tractabimus & ſuſcipiemus. Mandantes ſub indignationis noſtræ & aliis arbitrio noſtro infligendis pœnis, omnibus & ſingulis gentibus noſtris armigeris, equeſtribus & pedeſtribus, ac arcium noſtrarum caſtellanis, ciuitatum, terrarumque & locorum dictæ Romanæ eccleſiæ ſubiectorum legatis, gubernatoribus, rectoribus, locatenentibus, poteſtatibus, officialibus & vaſſallis, vt, non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, legibus imperialibus, ſtatutis quoque & conſuetudinibus municipalibus, etiam iuramento, confirmatione apoſtolica, aut quauis alia firmitate roboratis, quæ ſaluoconductui & ſecuritati præmiſſis in aliquo derogare, ſeu illos quomodolibet impedire poſſent, etiam ſi talia forent, de quibus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, non autem per generales clauſulas id importantes, mentio ſeu quæuis alia expreſſio habenda foret, illarum omnium tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, pro expreſſis habentes: venientes ad Concilium Lateranenſe huiuſmodi libere, tute & ſecure tranſire, morari & recedere permittant & permitti faciant, ne tantum * taleque laudabile & neceſſarium Concilium Lateranenſe diſtrahatur, & vt ad illud venientes tute & in pacis tranquillitate viuere, dicere & expedire valeant, quæ omnipotentis Dei honorem concernent, totiuſque eccleſiæ ſanctæ ſtatum. Decernentes nihilo minus irritum & inane, quidquid contra indictionem Concilii Lateranenſis per nos * indictam huiuſmodi, ſeu ad impedimentum, præiudicium aut dilationem eiuſdem, per ſchiſmaticam conuenticulam & eccleſiam malignantium prædictas, ſeu quemuis alium, quauis auctoritate, quouis ingenio aut quæſito colore, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Inſuper, vt præmiſſa omnia & ſingula ad omnium, ad quos ſpectat, notitiam & cognitionem deueniant, omniumque quæ in præſentibus literis continentur, certa & indubitata notitia habeatur, nulluſque præmiſſorum ignorantiam iuſte prætendere poſſit, nec ſe legitime excuſare, cum etiam ad intimandum aliquibus perſonaliter in præſentibus literis comprehenſis tutus non pateat acceſſus, lite-

* *f.* tamque

* *f.* indicti

ANNO CHRISTI 1511.

ras prædictas : Volumus & decernimus , præsentes literas nostras , per aliquos curiæ nostræ cursores vel notarios publicos , in basilica principis apostolorum & ecclesia Lateranensi , hora diuinorum , dum ibi multitudo populi ad diuina audiendum conuenire & congregari consueuit , publice ac alta & intelligibili voce legi & publicari , & dictarum ecclesiarum portis siue valuis , & in acie campi Floræ & cancellariæ apostolicæ affigi,& ibidem per aliquod temporis spatium dimitti debere , vt ad singulorum notitiam publicamque notionem deuenire possit : transumptisque illarum manu publicorum notariorum factis vel subscriptis , sigilloque alicuius prælati munitis , fidem indubiam adhiberi , omnesque & singulos in illis comprehensos , & ad quos pertinet , perinde arctari & constringi ac teneri & obligari ad obseruantiam omnium & singulorum in eis contentorum , cuiuscumque gradus & dignitatis existant , ecclesiasticæ vel mundanæ , post lapsum vnius integri mensis a data præsentium numerandi , in omnibus & per omnia , & perinde ac si personaliter & in propria persona intimatæ fuissent , & eis personaliter præsentatæ , præsentium tenore decernimus , statuimus & declaramus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reprobationis , reuocationis , cassationis , irritationis , annullationis , declarationis , absolutionis , liberationis , inhibitionis , interdicti , nuntiationis , conuocationis , statuti , indictionis , ordinationis , concessionis , mandati , voluntatis & decreti infringere , vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit , indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum,anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo vndecimo , quintodecimo Kal. Augusti , pontificatus nostri anno octauo.

Sigismundus
D. de Comitibus.

Ego Iulius catholicæ ecclesiæ episcopus subscripsi.

Dominus mihi adiutor , non timebo quid faciat mihi homo.

Sanctus Petrus , sanctus Paulus.

Iulius papa secundus.

ANNO CHRISTI 1512. Ego Raphael episcopus Ostiensis, cardinalis sancti Georgii, camerarius, subscripsi.

Ego Dominicus episcopus Portuensis, cardinalis sancti Marci, subscripsi.

Ego Iacobus episcopus Albanensis, cardinalis Arborensis, subscripsi.

Cardinales presbyteri.

Ego Nicolaus cardinalis tituli sanctæ Priscæ, subscripsi.

Ego F. cardinalis de Claromonte manu propria.

Ego Marcus tituli S. Mariæ Transtiberinæ cardinalis Senogalliensis.

Ego Robertus tituli S. Anastasiæ presbyter cardinalis Nannetensis.

Ego Leonardus tituli sanctæ Susannæ presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Christophorus tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Sixtus tituli sancti Petri ad vincula presbyter cardinalis, vicecancellarius, subscripsi.

Ego Christophorus Eboracensis tituli sancti Petri & Marci presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Antonius tituli sancti Vitalis presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Petrus tituli sancti Eusebii presbyter cardinalis subscripsi.

Ego Achilles tituli sancti Sixti presbyter cardinalis Bononiensis subscripsi.

Ego F. tituli sancti Clementis presbyter cardinalis subscripsi.

Diaconi cardinales.

Ego Ioannes sanctæ Mariæ in Domnica diaconus cardinalis de Medicis, manu propria subscripsi.

Ego Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis de Farnesio, manu propria subscripsi.

Ego Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis de Aragonia, manu propria subscripsi.

*de Cornelliis. Ego Marcus sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis * Cornelius, manu propria subscripsi.

Ego B. sancti Hadriani diaconus cardinalis subscripsi.

Ego Alphonsus S. Theodori diaconus cardinalis Petrucius subscripsi.

* dictarũ literarum apostolicarum infrascripta verba erant. A tergo vero * dictæ bullæ erant verba executionis & publicationis & intimationis dictæ bullæ per tres cursores infra scriptos facta sub hac forma, videlicet:

Anno a natiuitate Domini 1511. indictione decimaquarta, die vero Veneris vigesimaquinta mensis Iulii, pontificatus sanctissimi domini nostri Iulii diuina prouidentia papæ II. anno octauo, retro scriptæ literæ apostolicæ conuocationis Concilii generalis, publicatæ & affixæ fuerunt in valuis sancti Iacobi Hispanorum de Vrbe, dum celebrabantur diuina, vbi magna multitudo conuenerat, tam

curialium quam officialium, & Romanorum, propter festum solenne quod in eadem ecclesia celebrabatur. Eadem die in Vesperis, dum celebrabantur diuina, publicata & affixa fuit in valuis principis apostolorum de Vrbe. Die vero sequenti Sabbati, retroscriptam bullam in basilica principis apostolorum de Vrbe, hora Missæ, dum celebrabantur diuina, & multitudo copiosa assisteret, ego Petrus Mengiuar præfati domini nostri papæ cursor alta & intelligibili voce coram omni populo dictam bullam de verbo ad verbum legi, lectamque ad valuas dictæ basilicæ affiximus, & per spatium vnius horæ affixam dimisimus. Eadem die dictam bullam publicauimus & affiximus in valuis cancellariæ apostolicæ, & affixam dimisimus, durante cancellaria. Eodem die in ecclesia sancti Ioannis in Laterano hora Vesperarum, dum celebrabantur diuina, ego Petrus Mengiuar sanctissimi domini nostri papæ cursor dictam bullam alta & intelligibili voce legi, lectamque ad valuas dictæ ecclesiæ affiximus & publicauimus, & per spatium vnius horæ affixam dimisimus. Eadem die retroscriptam bullam publicauimus, & affixam dimisimus per spatium duarum horarum in acie campi Floræ, vt moris est, per nos Onophrium Balestarium, Petrum Mengiuar, & Ioannem Bernardi, præfati domini nostri papæ cursores. Et ita fidem facimus, & manibus propriis scripsimus & subscripsimus. ANNO CHRISTI 1512.

Ita est, Onophrius Balestarii cursor.
Ita est, Petrus Mengiuar cursor.
Ita est, Ioannes Bernardi cursor.

Deinde prælibatus sanctissimus dominus noster dominus Iulius papa II. prorogauit Concilium generale huiusmodi ad certum alium terminum, vt in literis apostolicis desuper confectis plenius continetur, quarum tenor sequitur, & est talis.

Bulla prorogationis Concilii generalis.

Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Inscrutabilis diuinæ prouidentiæ altitudo ad hoc nos, maximæ potestatis desuper plenitudine tradita, super vniuersum gregem dominicum præsulem constituit, vt ad

ANNO CHRISTI 1512. remouendum atque extirpandum de agro Domini vepres, ex quibus possent ecclesiæ suæ sanctæ & Christianæ reipublicæ dissensiones & scandala prouenire, cura & solicitudine assidua ac peruigili intendamus, & vt ea congruo tempore, & sine alicuius incommodo & periculo expediri valeant, opportune prouideamus. Nuper siquidem cupientes generale Concilium in alma Vrbe nostra apud Lateranum, vbi plurima Concilia habita fuerunt, iuxta deliberationem & ordinationem per nos de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu factam, die Lunæ decimanona præsentis mensis Aprilis, quæ erit feria secunda post octauā festi resurrectionis Domini nostri Iesu Christi proxime præteriti, auctore Domino celebrare, vt illa in eo statuerentur & fierent, quæ cederent ad laudem Dei & ecclesiæ exaltationem, vnitatem & reformationem, ac schismatum & hæresum totalem extirpationem, fideliumque pacem & salutem, ac bonum publicum ecclesiæ suæ sanctæ, huiusmodi venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, monasteriorum abbatibus & prælatis, omnibusque aliis ecclesiasticis vel sæcularibus, etiam regibus & principibus, ceterisque personis, quæ de iure vel consuetudine in congregationibus generalium Conciliorum solent interuenire, cessante legitimo impedimento, de quo legitime docere tenerentur per se vel alios idoneos nuntios, procuratores vel oratores, legitima mandata habentes, sub excommunicationis, aliisque de iure vel consuetudine, aut alias non accedentibus ad generale Concilium indictum infligi solitis pœnis, mandauimus, vt ad ipsum Concilium Lateranense accedere, & vsque ad dicti Concilii conclusionem & dissolutionem per nos vel auctoritate nostra faciendam, in dicta vrbe morari deberent: nec non carissimos in Christo filios nostros & eiusdem Romanæ ecclesiæ filios, Maximilianum in Romanorum imperatorem electum, ceterosque Christianorum reges illustres, duces, marchiones, comites, & alios nobiles in virtute sanctæ obedientiæ rogauimus, hortati fuimus & monuimus, vt opem & operam adhiberent efficaces, quod omnes & singulæ tam ecclesiasticæ quam sæculares personæ in eorum regnis, ducatibus & dominiis consistentes,

quæ in generalibus Conciliis de iure vel cõsuetudine interesse consueuerunt, ad Concilium Lateranense huiusmodi, cessante impedimento prædicto, accederent, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur, ac locum apud Lateranum pro Concilio huiusmodi habendo præparauimus, & pro reformatione prædicta statuenda, puro corde & recta voluntate adimplere proponimus, ac ex literis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ferdinandi Aragoniæ & Siciliæ, ac Henrici Angliæ, & aliorum regum illustrium, aliorumque principum, nobis constet, episcopos & alios prælatos regnorum & dominiorum suorum, ad Concilium per nos indictum venire, & in itinere esse. Verum propter conflictum apud ciuitatem nostram Rauennam Romandiolæ prouinciæ nuper habitum, vbi magna hominum strages secuta fuit, cum non solum rei militari operam dantes, sed etiam incolæ & habitatores illarum partiũ ad prædam intenti existant, & propterea etiam prælati & alii ad Concilium huiusmodi venientes sine magno incommodo & vitæ discrimine per ciuitates & loca Romandiolæ, & illis circumuicina transire non valeant, viarumque itinera tuta non sint, ac proxima dies Lunæ, qua Concilium per nos indictum huiusmodi inchoari, ac prælati & ceteri huiusmodi Concilio interesse debebant, instare noscatur, ipsique prælati adhuc non venerint, & * propterea præmissa remorari aliquamdiu cogantur. Nos igitur archiepiscoporum & episcoporum, ac aliarum personarum ad Concilium huiusmodi accedentium periculis obuiare, & eorum commodo prouidere volentes, habita super his cum præfatis venerabilibus fratribus nostris matura deliberatione, & ipsorum communi consilio & assensu, tempus Concilii celebrandi huiusmodi ad hoc, vt archiepiscopi, episcopi & prælati, ac abbates, & alii ad Concilium huiusmodi accedentes, & in itinere existentes, inchoando Concilio interesse possint, ad Kalendas Maias proxime futuras auctoritate apostolica tenore præsentium prorogamus, non obstantibus præmissis ac aliis constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & prorogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc

ANNO CHRISTI 1512.

* propter

attentare

ANNO CHRISTI 1512. attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, quintodecimo Kalendas Maii, pontificatus nostri anno nono.

ALIA PROROGATIO SESSIONIS.

Successiue vero idem dominus noster papa ad alium certum terminum Concilium prædictum prorogandum duxit, & prorogauit, prout in Breui apostolico desuper confecto plenius continetur, cuius quidem tenor ad verbum de verbo sequitur, & est talis.

Iulius papa secundus, ad futuram rei memoriam.

Romanus pontifex dominici gregis suprema sibi dispositione commissi curam agere studens, ea quæ pro vniuersalis ecclesiæ reformatione, & eiusdem gregis vtilitate, ac catholicæ fidei & reipublicæ Christianæ exaltatione, certo præfixo tempore fieri ordinauerat, nonnunquam ad aliud breue tempus, subsistente causa, libenter prorogat & extendit. Nuper siquidem cupientes generale Concilium in alma Vrbe nostra apud Lateranum, vbi plurima Concilia habita fuerunt, iuxta deliberationem & ordinationem per nos de fratrum nostrorũ sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & assensu factam, die Lunæ decimanona præsentis mensis Aprilis, quæ fuit feria secunda post octauam festi resurrectionis Domini nostri Iesu Christi proxime præteriti, auctore Domino celebrare, vt illa in eo statuerentur & fierent, quæ cederent ad laudem Dei & ecclesiæ exaltationem, vnitatem & reformationem, ac schismatum & hæresum totalem extirpationem, fideliumque pacem & salutem, ac bonum publicum ecclesiæ sanctæ, huiusmodi venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, monasteriorum abbatibus & prælatis, omnibusque aliis ecclesiasticis vel sæcularibus, etiam regibus & principibus, ceterisque personis, quæ de iure vel consuetudine in congregationibus generalium Conciliorum solent interuenire, cessante legitimo impedimento, de quo legitime docere tenerentur per se vel alios idoneos

nuntios, procuratores, vel oratores legitima mandata habentes, ſub excommunicationis, aliiſque de iure vel conſuetudine, aut alias non accedentibus ad generale Concilium indictum infligi ſolitis pœnis, per quaſdam mandauimus, vt ad ipſum Concilium Lateranenſe accedere, ac vſque ad dicti Concilii concluſionem & diſſolutionem, per nos vel auctoritate noſtra faciendam, in dicta vrbe morari deberent. Nec non cariſſimos in Chriſto filios noſtros, & eiuſdem Romanæ eccleſiæ filios, Maximilianum in Romanum imperatorem electum, ceteroſque Chriſtianorũ reges illuſtres, duces, marchiones, comites, & alios nobiles, in virtute ſanctæ obedientiæ rogauimus, hortati fuimus & monuimus, vt opem & operam adhiberent efficaces, quod omnes & ſingulæ tam eccleſiaſticæ quam ſæculares perſonæ in eorum regnis, ducatibus & dominiis conſiſtentes, quæ in generalibus Conciliis de iure vel conſuetudine intereſſe conſueuerunt, ad Concilium Lateranenſe huiuſmodi, ceſſante impedimento prædicto, accederent, ac locum apud Lateranum pro Concilio huiuſmodi habendo præparauerimus, ac pro reformatione prædicta ſtatuenda puro corde & recta voluntate adimplere propoſuerimus, ac cariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Ferdinandi Aragonum & vtriuſque Siciliæ, ac Henrici Angliæ, & aliorum regum illuſtrium literis intelligeremus, epiſcopos & alios prælatos regnorum & dominiorum ſuorum ad Concilium per nos indictum huiuſmodi venire, & in itinere eſſe, ac propter conflictum apud ciuitatem noſtram Rauennæ Romandiolæ prouinciæ nuper habitum, vbi magna hominum ſtrages ſecuta fuit, non ſolum rei militari operam dantes, verum etiam incolæ & habitatores illarum partium ad prædam intenti exiſterent, & propterea prælati & alii ad Concilium huiuſmodi venientes, ſine magno incommodo & diſcrimine tranſire non valerent, viarumque itinera tuta non eſſent, ac dies Lunæ, in qua Concilium per nos indictum huiuſmodi inchoari, ac prælati & ceteri huiuſmodi Concilio intereſſe debebant, inſtare noſceretur, ipſique prælati tunc non veniſſent, & propterea remorari cogerentur: nos habita ſuper his cum præfatis venerabilibus fratribus noſtris matura deliberatione, ac de ipſorum communi conſilio & aſſenſu, per alias

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. noſtras literas tempus Concilii celebrandi huiuſmodi, ad hoc vt archiepiſcopi, epiſcopi & prælati, & abbates, & alii ad Concilium huiuſmodi accedentes, & in itinere huiuſmodi exiſtentes, inchoando Concilio intereſſe poſſent, ad Kalendas Maii proxime futuras prorogauimus, prout in ſingulis noſtris literis plenius continetur. Cum autem terminus prorogationis huiuſmodi inſtare noſcatur, & cauſæ prorogationis huiuſmodi non ſolum non ceſſauerint, verum etiam noui incendii, quod prope Vrbem exoriri inceperat, & in dies magis augeri formidabatur, extinctioni ſumma diligentia operam dare ſtuduerimus: nos itaque habita ſuper his cum præfatis venerabilibus fratribus noſtris matura deliberatione, ac de ipſorum conſilio & aſſenſu, Concilii celebrandi tempus prorogatum huiuſmodi, vt præfertur, ad feſtum inuentionis ſanctæ crucis, quod erit tertia Maii proxime futuri, auctoritate apoſtolica tenore præſentium prorogamus pariter & extendimus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris, die vigeſimanona Aprilis 1512. pontificatus noſtri anno nono.

Poſtmodum vero lectis ſupradictis bullis, idem reuerendiſſimus dominus Alexander proſecutus eſt eamdem ſchedulam tenoris infra ſcripti.

Statuto itaque tempore congregati per Dei gratiam vna cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, & noſtra curia, præſignato in loco Lateranenſis ipſius baſilicæ, de ſacræ Synodi huius conſilio, publicæ fidelium paci, catholicæ fidei propagationi, & reformationi vniuerſalis eccleſiæ, nec non hæreticæ prauitatis nuper exortæ extirpationi intendentes, quia non ſatis in re tam ardua & ponderoſa per ſe conſilia humana ſufficiunt, niſi diuinum adſit auxilium, ab ipſo per orationes & cultum Dei ſumentes initium, hoc ſacro generali approbante Concilio ſtatuimus, vt hac ipſa die *ſpeciali ad hoc conſtituta celebretur Miſſa, quemadmodum eſt per Dei gratiam celebrata: quam etiam iuſſimus & in hac & in ſingulis aliis collegiatis, tam ſæcularibus quam regularibus vrbis Romæ eccleſiis ſemel in hebdomada, videlicet feria ſecunda, ſacro hoc durante Concilio celebrari. Vtque

*ſpecialis

ANNO CHRISTI 1512.

ferentius eiusdem sacri Concilii celebrationi fideles assistant, ampliori se gratiæ munere sentientes refectos, omnibus vere pœnitentibus & confessis, videlicet sacerdotibus easdem Missas celebrantibus, pro singulis Missis annos tres, interessentibus vero duos de iunctis eis pœnitentiis in Domino relaxamus in forma ecclesiæ consueta. Ad cuius Missæ etiam celebrationem hortamur venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, nec non patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios abbates, ceterosque in sacerdotali ordine cõstitutos, vt & ipsi ad impetrandum diuinum auxilium cum deuotione singulis septimanis prædictam Missam celebrent semel, quibus celebrantibus & celebrationi interessentibus similes gratias largimur. Hortamur in Domino etiam omnes & singulos qui Christi nomine censentur, vt ad consequendum inceptæ rei prosperum successum & optatam consummationem, diligenter precibus, orationibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus velint insistere, vt Deus nostra & ipsorũ humilitate placatus, dignetur felicem exitum huic sacræ congregationi concedere. Insuper, quia veterum Conciliorum & patrum sanctorũ instituta nos monent, vt a concernentibus catholicam fidem sacra incipiatur Synodus, & seruandam esse laudabilem consuetudinem censeamus, attendentes talia propter eorum arduitatem & pondus, diligentiam & spatium temporis capax exigere, hortamur omnes & singulos literarum peritiam habentes, quibus huic sacro generali Concilio interesse continget, vt diligenter secum & cum aliis illa cogitent atque tractent, quæ eis videbuntur ad hanc rem vtilia & opportuna, & cum primum commode poterunt, illa ad nostram huiusque sacræ Synodi notitiam referant, vt tempore opportuno terminari possint, quæ tenenda vel repudianda pro vtilitate & ipsius catholicæ fidei incremento videbuntur. Hortamur propterea congregatos hic omnes, aliosque ad Synodum hanc sacram venturos, vt cogitare diligenter velint, deinde proponere ea per quæ possit etiam congregatio catholicorũ ad debitam reformationẽ & tranquillitatem optatam Deo iuuante perduci. Nostræque intentionis & mentis est, vt omnes hac causa congregati cum omnimoda libertate dicere, consulere & facere omnia & singula quæ ad præmissa pu-

ANNO CHRISTI 1512.

tauerint pertinere, possint & valeant, iuxta aliorum Conciliorum antiquorum consuetudinem. Vt autem notus sit omnibus modus, qui in sacræ huius Synodi processu erit seruandus, tam quoad ea quæ dicenda terminandaque erunt, quam quoad consessum & gestum, iuxta tenorem Canonis Toletani, erit hic norma notata. Tolet. XI. cap. 1. qu. 4. In loco.

In loco benedictionis considentes sacerdotes Domini, nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut vllis tumultibus perturbari, nullis etiam vanis fabulis & risibus agi, & quod deterius est, obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. *Si quis enim*, vt ait apostolus, *religiosum se putat, non refrenans linguam suam, sed cor suum seducens, huius vana est religio.* Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentia iudicii obstrepentium turbatio confundit, dicente propheta: *Erit enim cultus iustitiæ, silentium.* Debet ergo, quidquid aut considentium consultationibus agitur, aut a causantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus * sensus audientiam turbent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruent. Quicumque ergo in conuentu Concilii hæc quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis vel risibus Concilium conturbauerit, iuxta legis diuinæ edictum, quo præcipitur: *Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium*: cum omni dedecore * de confessione abstractus, a communi cœtu recedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat. Quoniam vero communiter contingere potest, quod aliqui ex considentibus non erunt in sedibus debitis collocati, eodem sacro approbante Concilio decernimus, quod ex sessione huiusmodi nulli ecclesiasticæ vel sæculari personæ præiudicium generetur. Quia etiam ad prosecutionem huius generalis Concilii ministri & officiales idonei requiruntur, hoc eodem sacro approbante Concilio, infra scriptos spectatæ fidei sufficientesque viros ad ipsa ministeria deputauimus, videlicet: In primis dilectum filium nobilem virum Constantinum Conunatum Macedoniæ ducem, Achaiæ principem, generalem Concilii custodem, conseruatores almæ Vrbis & officiales Romanos loci ipsius Concilii. Milites autem Hierosolymitanos, perso-

Iacob. 1.

Isa. 32.

Prouer. 22.

* sensus audientiũ conturbet, nec iudicii vigorem

* al. & cõfusione

næ noſtræ curam habere volumus. Item dilectos filios Nicolaum Lipamanum, Franciſcum Spinulam, Alphonſum de Lerma & Paulum de Ceſis, notarios noſtros, qui videndi omnes ſcripturas quæ in eodem Concilio fient, curam habeant ſpecialem, ita quod concorditer & ordinate fiant, ſicut decens eſt, & omnibus ordinatis in præfato Concilio ſe ſubſcribant. Nec non dilectos filios magiſtrum Benedictum Trulleti, Bernardum Sculteti, Bernardinum de Conteras, Franciſcum de Atauantis, præfati Concilii notarios & ſcribas, qui notariis ſupradictis ſubalternent. Item dilectos filios Thomam Phædram bibliothecæ noſtræ præfectum, & Bartholomæum Salicetum, eiuſdem Concilii ſecretarios: nec non dilectos filios Iacobum Simonetam cauſarum ſacri palatii auditorem, Hieronymum de Genutiis apoſtolicæ cameræ auditorem, Aluarottum de Aluarottis literarum apoſtolicarum abbreuiatorem ex maiori parco, Manilium Rabbum acolytum capellæ noſtræ, ſcrutatores votorum. Quorum duo ex vna, alii vero ex altera præfati Concilii parte vota ſcrutentur, & cum ipſis duo ex eiſdem notariis, & duo ex ſcribis ſupradictis in votorum ſcrutatione ſemper debent intereſſe. Dilectos filios Paulum Plancam, Iuſtinum de Caroſiis fiſcalem, Angelum de Ceſis, Ioannem Baptiſtam de Senis, Melchiorem de Bardaſinis, aduocatos; Marianum de Cuccinis fiſcalem, Thomam Regis & Bernardum Mocharum procuratores. Locorum autem aſſignatores, Paridem de Graſſis, & Baltaſſarem Nicolai Viterbienſem, magiſtros ceremoniarum volumus * loca aſſignare debentibus in Concilio ſedere. Si qua vero legenda occurrerint ſeſſione ſequenti, venerabilem fratrem archiepiſcopum Spalatenſem ei muneri deputamus.

ANNO CHRISTI 1512.

* *f.* ella, & loca

Lecta itaque ſchedula huiuſmodi, idem reuerendiſſimus dominus Alexander petiit ab omnibus, ſi placebant eis contenta in ſchedula: & omnes annuerunt, quod ſic, nemine diſcrepante. Deinde infra ſcripti officiales in ſupradicta ſchedula contenti, ad pedes præfati ſanctiſſimi domini noſtri, tactis ſacroſanctis ſcripturis, præſtiterunt corporale iuramentum, & quilibet eorum præſtitit, de

ANNO CHRISTI 1512. fideliter exercendo officia eis commissa: videlicet, reuerendus pater dominus Alphonsus de Lerma, & Paulus de Cesis, protonotarii apostolici de numero: dominus Aluarottus de Aluarottis, literarum apostolicarum de maiori parco abbreuiator: excellentes iuris vtriusque doctores, domini Paulus de Planca, Iustinus de Carosiis, Angelus de Cesis, Ioannes Baptista de Senis, & Melchior de Bardasinis, aduocati; dominus Bernardus Mocharus, & Thomas Regis, procuratores: domini Bernardus Sculteti, & Bernardinus de Conteras, scribæ: excellens iuris vtriusque doctor dominus Paulus de Capozuchiis, & nobiles domini Iacobus de * Fragapanibus, & Petrus Pauli de Vechis, Vrbis almæ conseruatores: & dominus Fabricius de Careto, Sixtus de Ruuere, Petrus Grimanus, priores & milites ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani. Et deinde idem sanctissimus dominus noster Iulius commisit reuerendissimo domino Raphaeli episcopo Ostiensi, cardinali sancti Georgii, sanctæ Romanæ ecclesiæ camerario, vt reciperet & iurare faceret officiales absentes in prædicta schedula contentos, præsentibus magistris ceremoniarum, &c. Et hæc fuerunt pro prima sessione.

* Fregepanibus,

Insuper idem reuerendissimus dominus Alexander cardinalis, de mandato præfati domini statuit & pronuntiauit secundam sessionem fieri debere die Lunæ sequentis hebdomadæ, quæ erit decimaseptima huius mensis, in qua tractabitur de annullatione gestorum in conuenticula satanæ & Conciliabulo Mediolanensi, seu Pisano, super quo cogitare deberent. Super quibus omnibus & singulis magister Thomas Regis procurator fieri petiit per protonotarios & notarios ad hoc deputatos publicum & publica, instrumentum & instrumenta.

Tenor vero sermonis & orationis habitæ per reuerendum patrem dominum archiepiscopum Spalatensem, præsente sanctissimo domino nostro & reliquis patribus Concilii in habitu consueto prælatorum, videlicet, cum pluuiali sericeo & mitra, ascenso ambone consueto, sequitur, & est talis.

ANNO CHRISTI 1512.

Thomas Niger canonicus, archipresbyter & vicarius Spalatensis, doctissimo & integerrimo M. Marulo nobili Spalatensi, salutem.

Cum vrbem Romam sanctorumque reliquias ex voto inuisere statuissem, eo tunc temporis euocatum ad Concilium Lateranense Bernardum Zane archipræsulem nostrum Spalatensem operæprecium visum est comitari. Quo cum longo postliminio tandem peruenissem, peragratis omnibus pene sanctorum sacellis, eorumque sacris reliquiis ex Christianorum instituto adoratis, contigit interfuisse orationi ab eodem archipræsule nostro luculentissime peroratæ coram maximo pontifice Iulio II. ceterisque patribus ex industria in Lateranensis ecclesiæ Synodo, ad id in prima sessione congregatis. Quam quidem orationem, M. Marule, amicorum doctorumque virorum rarissime, ad te præcipue mittere visum est, vt, cui tu, in illo tuo præclaro opere de imitatione Christi, eruditionis atque ingenii laudem tribuisti singularem, dignumque censuisti, cui ipsum opus præcipue dedicares, eius nunc non minus commendes erga rempublicam Christianam studium atque curam, cum perspexeris, qualibus ipse argumentis, quanta animi verborumque concitatione totus in eo sit, vt bella inter Christianos principes exorta sedentur, vt vnusquisque suis limitibus contineatur, vt hæresis schismataque extirpentur, vt pax reddatur ecclesiæ, vt tandem aduersus communes fidelium persecutores Turcas communia Christianorum arma sumantur. Talia tu cum legeris, putabis illum non in auditorio ac frequenti consessu celeberrimorum virorum verba facere, sed in acie totum versari, arma tractare, buccina militari concrepare: tam acer est in dicendo, tam vehemens in exhortando, tam efficax in suadendo: sed omissa actione, pronuntiationem vehementiamque verborum Demosthenis Æschinisque, sua verba trutinantium, crederes. Quod nequaquam auderem adstruere, nisi & orationi prius peroratæ, quam pene demandatæ, ipse interfuissem, & ab omnibus fere qui interfuere, commendatissimam cognouissem. Nam & tunc totius pene sacratissimi theatri applausu est excepta,

ANNO CHRISTI 1512. cepta, & postea omnium qui eam legerunt, seu audierunt, rotundo ore celebrata, ac doctissimi cuiusque sententia commendata. Magisque eius eloquii venustatem vehementiamque admirantur, qui philosophiæ insuper & theologiæ peritissimum eum esse non ignorant. Rarum enim est, vt quis ad tam ingenuas, tantæque difficultatis artes etiam rhetoricam examussim adiecerit. Illud etiam non in vltimis archipræsulis nostri laudibus computandum censeo, vt qui in ecclesia sua metropolitana, in prædicatione annuntiationeque diuini verbi per totam pene quadrageſimam indefesso gradu, ac veluti quodam continuato virtutum pariete, a nullius ordinis religionisque professore se passus est superari, in orando etiam eisdem professoribus præferri merito & debuit & meruit, cum prælatorum, non monachorum, id præcipue sit muneris: sed quibus mores quoque hominis, sicut nobis, liquido innotescunt, nihil in eo desiderari aiunt, vel quod ad eruditionem, vel quod ad vitam pertineat. Idem te de ipso iampridem sentire non dubito. Eo etiam magis in eo tantas fortunæ dotes mirandas censeo, quod & nobilitate præcipua splendescens, & opibus non immodicis pollens, in gremio luxuriantis fortunæ molliter educatus, literas non est aspernatus, nec eruditos eruditorumque consuetudinem fastidienter illusit. Nam bona mens bonaque fortuna rarenter copulantur. Quotus enim quisque ex globo nobilium eloquentiæ studet? quotusquisque aut eruditus est, aut eruditionis assertor? E contrario complusculos videas (de nobilibus opulentioribusque loquor) qui vbi occeperint adolescenturire, se totos dedant dedicentque belluinis voluptatibus, quibus literatorium gymnasium carcer est, doctrina supplicium; qui spretores sunt studiorum, osores studiosorum. At archipræsul noster in amplissimis, vti prædixi, fortunarum bonis constitutus, præcipuo Veneti senatus genere præfulgens, stemmata suorum tum summorum pontificum, tum cardinalium patriarcharumque affatim numerans, a teneris, vt Græci aiunt, vnguiculis ad hanc vsque ætatem, literarum studia scienter amplexus est, datque iugiter operam, vt natalium suorum splendor eruditione magis illustretur, quam genere. Verumtamen, vt re-

uertamur, vnde digreſſi ſumus, cum orationem quam mittimus, mi Marce, perlegeris, quod intra te fortaſſe tacitus ſentis, etiam verbis ſcriptiſque in publicum ſecurus dabis; delectabitque te ab eo plurimum amari, quem plurimum laudas: imo qui iam multorum ore celebratur vbique & extollitur, adeo vt nemo ſit, qui dubitet, ex oratione ſuaſuque ſuo pontificem maximum Iulium, compoſitis eccleſiæ rebus, & his quæ per tyrannos erant occupata, reparatis, continuo expeditionem indicturum in Turcas, omneſque Chriſtianorum principes, qui ad hanc vſque diem dormitauerunt, ſimul & dormierunt, veluti ex ſomno Endymionis excitaturum, conuocaturumque ad eam perficiendam, vt qui Chriſtiano nomini tam infenſi infeſtique ſunt, ipſius Chriſti vicarii inuictiſſimi auſpiciis profligentur. Etenim ſi nemo priorum pontificum æque ac iſte magnas res aut aggreſſus ſit, aut feliciſſime geſſerit, cur non ſperemus, ipſo duce, & hoc futurum? Oremus igitur, vt qui pontifici maximo Iulio ſecundo tantæ gerendæ rei contulit voluntatem, non deneget facultatem. Ceterum felix Spalatina ciuitas patria noſtra, cui Bernardus Zane contigit archipræſul, qualem & habere iucundiſſimum eſt, & habuiſſe glorioſum. Vale. Ex Vrbe quinto Idus Maias, milleſimo quingenteſimo duodecimo. ANNO CHRISTI 1512.

Bernardi Zane Veneti patricii, artium doctoris & ſacræ theologiæ magiſtri, archipræſulis Spalatenſis, oratio habita in prima ſeſſione Concilii Lateranenſis, præſente Julio ſecundo pontifice optimo maximo.

Solent hi qui coram ſingulis principibus, priuatiſque conſeſſibus orationem habent, beatiſſime ac ſacratiſſime pontifex maxime Iuli, loci, temporisac perſonarum rationem, venerandumque conſpectum in ſui excuſationem adducere, ſi minus concinne, minuſve eleganter verba facerent, ſeu in media oratione deficerent. Ego vero, qui coram te, hoc eſt, coram totius orbis principe & vero Chriſti vicario, in excelſiſſimo humani generis faſtigio poſito, coram tot ſapientiſſimis pontificibus, tot doctiſſimis prælatis & magiſtris, tot tantiſque principibus, ac vt vnico verbo verum fatear, coram toto terrarum orbe

ANNO CHRISTI 1512.

sum verba facturus, non dicam, vt fieri solet, quo me vertam? sed quo animo, quibus viribus, quo dicendi genere, qua demum memoria tantum oneris sustinere, ad finemque perducere valeam, nescio. Ad loci, temporis & personarum rationem, grauitatem, rarissimum augustissimumque conspectum, accedit rei de qua dicturus sum, magnitudo, amplitudo & dignitas maxima. Non enim vnum dicendi genus sese mihi offert, sed omnia simul: non de vnius personæ dignitate vel statu, non de vnius prouinciæ conseruatione, non de terrarum orbe tantum, sed de diuinis humanisque rebus, de rerum omnium principe & moderatore Deo optimo maximo, de eius vicario summo sanctissimoque pontifice, de vtraque ecclesia militante & triumphante, de eius firmissimis cardinibus, de principibus, de cælo ac terra denique sum verba facturus. Quæ omnia sicuti ardua sunt, impossibiliaque videntur vni quamuis consummatissimo ad pronuntiandum ac perorandum, ita me recreat & reficit summa benignitas sanctitatis tuæ, sacratissime pontifex, qui vtpote humanissimus munificentissimusque, non tam oblatum officium, quam animum quo offertur, inspicis & perpendis. Suscepi igitur a sanctitate tua demandatum munus ea mente, eo animo, vt si ad optatum finem perducere non valuero, intueatur saltem tua beatitudo animi mei promptitudinem, desiderium, voluntatem. Ignoscent præterea omnes hi sapientissimi patres, si ego præ ceteris ad munus hoc difficillimum subeundum ab eadem tua beatitudine selectus fuerim, quandoquidem id non inconsulto euenit. Sanctitas enim tua non tam viri doctrinam & eruditionem, qua hi omnes facile præstant, quam summa dignitate, vtpote metropolitica, summorumque pontificum affinitate insignitum, & tuæ sanctitati ab ineunte pueritia summo studio, obseruantia & deuotione obnoxium præelegit. Verum quia instabile, insolidum & caducum est fundamentum, quod supra firmam petram iactum non fuerit, ideo a diuinis auspicabimur, nec dimittendo Patrem Filiumque diuinum, Spiritum sanctum, amborum nexum, submissa ac reuerenda voce inuocabimus: Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple superna Patris & Filii gratia, quæ tu creasti pectora. Amen.

ANNO CHRISTI 1512.

Salomonis verba initium orationis meæ aptum idoneumque mihi propono, beatissime ac sacratissime pontifex maxime, dicentis: *Ad hoc facta est domus tua, vt respicias orationem serui tui, & audias preces quas fundit famulus tuus coram te, & aperias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus, super locum, in quo pollicitus es, vt inuocaretur nomen tuum, & exaudires orationem quam seruus tuus orat in eo.* 2. Par. 6. Exaudi, inquam, orationem meam, imo nostram, summe Deus, æterna veritas, vera caritas, & cara æternitas, vniuersi mens: qui quidquid videmus, & quidquid non videmus, existens, per immensas mundi partes vniuersamque naturam commeans, omnibus animantibus vitam præstas; orbem vniuersum quem condidisti, summa ac ineffabili prouidentia assidue gubernas, & ita gubernas, vt excellentiori quodam modo nos, hoc est rationalem creaturam, quam cetera, ames & conserues. Quam quidem amoris & protectionis præstantiam, sacratissime pontifex, in tribus potissimum licet intueri. Primo equidem nos propter nosmet, cetera vero non propter seipsa, sed ob rerum naturas & species conseruandas, amat & tuetur. Secundo, ita nobis consulit, vt nosmetipsos nobismet consulere permittat: cetera vero ab ipso summo rerum principio reguntur, in finesque proprios diriguntur. Tertio demum cetera omnia ad nos, nos item ad seipsum decreuit & ordinauit, tamquam ad finem, quietem, perpetuamque nostram felicitatem, quam baptizatis credentibusque repromisit, testibus Marco & Ioanne. Baptizatis equidem, ob sacramentum ab ipso in Iordane institutum, vt veterum macularum sordibus ablutis, nouum hominem indueremus in Christo Iesu Domino nostro, testante Apostolo: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Rom. 5. Credentibus vero, vt per duodecim articulorum, decemque præceptorum, ac ineffabilis incomprehensibilisque vnitatis & Trinitatis diuinæ fidem, tamquam religionis sanctissimæ fundamentum & veritatis vinculum, ad veram sempiternamq; vitam certissime deduceremur, eodem Apostolo constantissime asseuerante, fide aptata esse sæcula verbo Dei, sine fide impossibile esse Deo placere. *Oportet enim accedentem ad Deum credere quia est.* Heb. 11. Ibidem. Cu-

ANNO CHRISTI 1512. ius quidem fidei noſtræ præſtantiam, excellentiam, dignitatem & veritatem probare nec poſſum, nec debeo. Non equidem poſſum, quia ſupra humanam rationem, vtpote diuinitus reuelata, conſiſtit. Non debeo, quia nimis elatus, nimiſque mihi de me promittens profecto iudicarer, ſi id probare conarer, quod tot doctiſſimi & ſanctiſſimi patres per tot annorum curricula firmiſſime aſſeuerarunt. Quod item firmiſſime tenet ſanctitas tua, pater beatiſſime, tamquam caput & dominus: tenent & hi ſapientiſſimi patres, Chriſtianiſſimi reges & principes, & reſpublica noſtra Veneta, quæ ſanguine & vita propria, nedum opibus & diuitiis, per octoginta ferme annos contra immaniſſimos Turcas fidem ipſam facile comprobauit, quam demum firmiſſime tenet magna orbis terrarum pars. Sed duo ſilentio præterire non poſſum, quæ eamdem fidem noſtram ſtabiliunt & muniunt. Alterum, tot doctiſſimorum & ſanctiſſimorum patrum conuerſio, qui inanes fabulas fallaceſque ritus quibus iam aſſueti & adſtricti tenebantur, non dimiſiſſent, niſi eamdem fidem noſtram certam, indubitatam & diuinam inſpexiſſent. Et vt ceteros dimittam, ne modum excedat oratio, proponite vobis, patres, Paulum apoſtolorum principem, electionis vas, humanarum & diuinarum rerum ſcientiſſimum, quem Chriſtianam religionem mirifice inſequentem vnica de cælo vox, vt teſtatur Actuum caput nonum, ad Chriſtum deduxit. Ipſe quoque teſtatur, ſe vſque ad tertium cælum, id eſt, vſque ad ipſam ineffabilem Trinitatem intuitiue contemplandam raptum extitiſſe, vt & ipſius Trinitatis, & omnium inde pendentium fidem firmiſſime ſtabiliret. Proponite & vobis Auguſtinum Africanum Tagaſtenſi vrbe oriundum, qui Chriſtianæ religionis oppugnator acerrimus Ambroſium doctiſſimum Mediolani antiſtitem intuens diſputantem, ſacrum baptiſma ſuſcepit e manibus eius, dicentis: Te Deum laudamus: ipſoque Auguſtino reſpondente, Te Dominum confitemur. Quem bene & optime confeſſus eſt in mille & pluribus excellentiſſimis & eminentiſſimis voluminibus, & potiſſimum in libris Trinitatis, de fide ad Petrum, & Retractationum. Accedit & alterum non minoris efficaciæ argumentum. Poſt Chriſti veri Domini, Dei, mediatoris, reparatoris & redemptoris noſtri natiuitatem, paſſionem,

2. Cor. 12.

ANNO CHRISTI 1512.

resurrectionem & ascensionem, vbi prisca illa inania & vanissima omina, responsa & oracula? vbi idolorum templa? vbi vanissimi ritus? vbi sacris initiati, vel potius profanis dehonestati sacerdotes? Non hæc omnia iam in visceribus totius humani generis insita & stabilita, non, inquam, hæc omnia tam facile credere potuissent, nisi firmissimæ, constantissimæ ac indubitatissimæ veritati, hoc est, orthodoxæ fidei, catholicæ & apostolicæ disciplinæ, cuius tu, sacratissime pontifex, in terris vicarius & caput existis, ac vna cum sacris cardinalibus, pontificibus, sacerdotibus, catholicisque principibus ipsam Christi ecclesiam militantem constituis. Sicut enim humanum corpus ex capite multisque membris conficitur ad diuersa naturæ munera obeunda, ita & ecclesia militans ex te sanctissimo pontifice tamquam capite, ceterisque Christicolis tamquam membris integratur, testante Apostolo: *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo.* Et alibi: *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa; ita Christus vnus est, & in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vno spiritu potati sumus.* Huius autem corporis & ecclesiæ sub Christi vexillo militantis potestas, libera amplissimaque iurisdictio & habenæ, tuæ sanctitati, sacratissime pontifex, sunt demandatæ, non quidem per internuntios, siue prophetas, seu apostolos, vel sanctos alios, sed ab ipsa prima veritate Iesu Christo vero Domino & Deo nostro, dicente Petro, & in eo omnibus summis pontificibus: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris, erit solutum.* Et iterum: *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Sed quis pastus suauior, quis amabilior, quis decentior a tua sanctitate, sacratissime pontifex, in membra & subditos tuos potest prouenire, quam vnitas in credendo, credulitas in amando, amor in amplectendo, amplexus in perficiendo, perfectio in contemplando catholica, apostolica, diuina & sanctissima instituta, quibus iurgia remouebuntur, bella sedabuntur, seditiones, proditiones, periuria, sacrilegia, homicidia, vsuræ, luxuriæ, adulteria, ceteraque detestanda humani generis facinora euellentur, destruentur, & in pacem, fidem, constantiam, fortitudinem,

Locus mutilus.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Matth. 16.

Ioan. 21.

ANNO CHRISTI 1512. modestiam, temperantiam, liberalitatem, iustitiam, ceteraſque animi & corporis virtutes commutabuntur? Hic est, inquam, pastus ille, qui nos vera Christi membra, non subditicia; vigorosa, non inania; recta, non obliqua efficiet: qui demum nos de militante deducet ad triumphantem ecclesiam, quam beatissimi nos tam corpore quam animis in beatifica illa & Christi benedicti veri Dei nostri intuitiua visione constituemus, vbi felici æternitate & æterna felicitate perfruemur. Verum, pater sanctissime, duo sunt, quæ nos in militante ecclesia potissimum perturbant, & a triumphante retrahunt & deuiant: alterum, dominandi cupiditas, luxuria & ambitio: alterum, & id pernicioſissimum, hæresis infidelitasque. Vtrique debet sanctitas tua, debemus & nos omnes totis viribus, toto mentis affectu occurrere, ne vniuersalis ecclesiæ status deturpetur, dehonestetur, confundatur. Priori quidem optime consultum erit, si Concilium istud, quo te præsente, pater beatissime, nihil est maius in terris, decreuerit, imperauerit, sanxerit, vt omnes principes finibus suis contenti, magis vltra non progrediantur: vti possident, possideant castra, oppida, vrbes, regiones, quarum possessionem ipsa temporum diuturnitas, nullo interim reclamante, propriam fecit. Quæ vero vi, sæuissimis & iniustissimis armis, in oculis maxime tuæ sanctitatis diripuere, dilaniauere, reddant, restituant. Sic dominandi cupiditas cessabit, sic sanguis innoxius puerorum & innocentum non effundetur: sic virginum, matronarum pudicarum, & (proh scelus) etiam Deo dedicatarum honos, pudor, virginitas non corrumpetur, non violabitur, non postergabitur: sic incendia, rapinæ & violentiæ cessabunt: sic denique Christianus Christiano, fidelis fideli, frater fratri non succensebit, non comminabitur, non insidiabitur. Hæc sunt, beatissime ac sacratissime pontifex, amplissimi & sapientissimi patres, quæ vobis, celeberrimo augustissimoque consessui vestro supplicant, quæ a vobis auxilium expostulant, quæ quotidie sine intermissione proclamant: Succurre, pater sanctissime, succurre orthodoxa & apostolica fides, succurre, inquam, miseris, adiuua pusillanimes, refoue debiles. Detineret me profecto istarum calamitatum prolixior commemoratio, nisi in dicendo mihi modus haben-

dus esset: tum, ne tanta tua audiendi facilitate viderer abuti, pater beatissime: tum, quia his maiora potioraque me expectant & vocant, quæ pauciſſimis breuiſſimiſque abſoluam. Officit nobis deinde alterum, & nos vniuersalemque ecclesiam magnopere perturbat, hæresis infidelitasque. Hæresis ab electione dicta, teste diuo Hieronymo, plures inducit ad eligendam disciplinam quam meliorem existimant, catholicam & apostolicam dimittentes, diuersos errores seminantes, schisma interponentes: quod quam pernicioſum & deteſtabile reperiatur, auctoritate, exemplis ac ratione facile comprobatur. Testis itaque est Auguſtinus inquiens: Non dubito catechumenũ catholicum, diuina caritate flagrantem, hæretico baptizato anteponere. Testis est & diuus Bernardus, asserens, plus nocere falsum catholicum, quam si verus appareat hæreticus. Testis demum est doctissimus & sanctissimus prædecessor tuæ sanctitatis diuus Leo, dicens: Quid autem iniquius est, quam impia sapere, & sapientioribus doctioribusque non credere? In hanc autem insipientiam cadunt, quicumque ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro, non ad propheticas voces, apostolicas literas, euangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt, & ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. Perlege Apostolum ad Corinthios: *Scissuras esse inter vos non laudo.* Et infra: *Deus temperauit corpus, vt non sit schisma in corpore, sed in idipsum pro inuicem solicita sint membra.* Et ad Timotheũ: *Si quis aliter docet, & non acquieſcit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, superbus est, nihil sciens, & languens circa quæstiones & verborum pugnas.* Et infra: *Profana & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Deinceps: *Vanas & sine disciplina quæstiones deuita, sciens quia generant lites.* Secundo loco, exempla magis mouentia sese nobis offerunt. Innocentius itaque tertius Othoni quarto a se primitus coronato, & de se deque Romanis ac vniuersali ecclesia pessime merito, imperium abstulit. Honorius item tertius Fridericum secundum ecclesiastica diuinaque instituta peruertentem, anathemate notatum, imperiali dignitate priuauit. Innocentius deinde quartus Fridericum tertium, ob eius insidias ac pontificum persecutionem, Siciliæ Apuliæque

ANNO CHRISTI 1512.

1. Cor. 11.
1. Cor. 12.
1. Tim. 6.
2. Tim. 2.
Ibidem.

ANNO CHRISTI 1512. que regno ac imperio exauctorauit. Bonifacius octauus Petro & Iacobo Columnenſibus cardinalatum, Philippo Gallorum regnum ademit. Ioannes demum XXII. Ludouicum Bauariæ ducem, eccleſiæ rebellem ac ſchiſmaticum declarauit, ſicuti ſuæ ſanctitatis originales plumbatæ literæ ad prædeceſſorem meum Spalatenſem archipræſulem, ac penes me exiſtentes, apertiſſime demonſtrant. Plurima alia ſchiſmatis, ac, qui pœnas luerunt, ſchiſmaticorum deteſtabilia exempla præterire me cogit ratio, quæ tertium ſibi locum vendicauit. Schiſma igitur ab animorum ſciſſura, quæ obduratas mentes auerſoſque animos ab vniuerſalis eccleſiæ vnitate ſeiungit, appellari, nemo eſt qui ambigat. Vnitas vero ipſa nos, hoc eſt, Chriſticolas omnes in apoſtolica atque catholica eccleſia, eccleſiamque ipſam catholicam & apoſtolicam in nobis ſpiritali quodam dilectionis vinculo vnit, coniungit, confirmat. Ipſam autem eccleſiæ vnitatem ſacri doctores in duobus conſiſtere affirmarunt. Primo, in membrorum eccleſiæ, id eſt, fidelium adinuicem commixtione: ſecundo, in eorumdem ordine ad vnum caput, Chriſti ſcilicet vicarium, ſanctitatem tuam, ſanctiſſime Iuli, iuxta Apoſtoli dictum ad Coloſſenſes: *Inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput.* Coloſſ. 2. Inde merito infertur, neceſſarioque concluditur, ſchiſmaticos illos appellari, qui ſummo pontifici ſubeſſe, membriſque eccleſiæ ſubiectis communicare recuſant, renuunt, inficiantur. Et quia iure humano atque diuino ſancitum eſt, per ea quemque puniri debere, per quæ peccat, ideo ſchiſmaticorum peccato duplici duplex pœna debet infligi. Altera, quia a fidelium communione ſe abdicarunt, merito excommunicari, id eſt, eſſe extra fidelium conſuetudinem declarari debent. Altera vero, quia eccleſiæ capiti, hoc eſt, tuæ ſanctitati ſubdi recuſant, omni apoſtolico priuilegio & pontificio priuari promerentur. Quare, ſacratiſſime pontifex, ſapientiſſimi patres, perſequimini, euellite, de medio auferte hæreticos ac ſchiſmaticos; manifeſtos, manifeſta, acri & ſeueriſſima punitione: occultos, ſolerti, vigilanti ac diligentiſſima indagatione, ne eueniat quod teſtatur diuus Hieronymus: & Deus auertat. Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit: ſed quoniam ſtatim oppreſſus non eſt, eius Sapient. 6.

flamma per totum orbem * populata est. Resecandæ denique sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis a caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Infidelitatis postremo tres sunt species, teste diuo Thoma, & vt eius verbis vtar, paganorum, quæ grauis est: Iudæorum, quæ grauior: Hæreticorum, quæ grauissima. Cum hæreticos præmiserim, ac deliberauerim, Iudæos dimittam, qui, apostolicis & prædecessorum tuæ sanctitatis, Gregorii, Alexandri, Clementis & Innocentii decretis, in sua obstinatione viuere permittuntur, in attestationem nostræ verissimæ redemptionis, in perpetuam erroris sui detestationem, in exemplum denique acerrimæ punitionis. Et quia ad id quod magis vrget, & me, imo omnes plurimum mouet, orationis nostræ finis se conuertit: dimittam plures barbaras nationes, quæ sua ac parentum suorum culpa Christum verum Deum & redemptorem nostrum ignorantes, varios nefandosque ritus seruant. Dimittam orientales fere omnes, qui potius ferinis quam humanis moribus vitam ducunt, & ad id quod ceruicibus nostris imminet, me conuertam. Sed equidem sine maximo dolore, sine singultibus, sine lacrymis, nec memorari, nec cogitare, nedum exprimere valeo immanissimam Turcarum rabiem & potentiam. Hi, vt optime nouit sanctitas tua, nostis & vos, patres amplissimi, a centum octoginta ferme annis, hoc est, ab Ottomano primo vsque ad * Pacietem præsentem vndecimum eorum principem, magnam Asiæ partem, & eam potiorem, occupauere. Deinde Europæ non minorem cum maxima Christiani cruoris effusione vsurparunt, dilaniarunt, lacerarunt, duodecim imperiis & duodecim regnis vsurpatis, & quod formidabile est, imperium suum Dalmatiam & Liburniam vsque dilatauere, a quo quidem loco ad vrbes tuæ sanctitatis Picentinas vnius noctis spatio cõmodissime possunt transfretari, effrenata gens, immanissima, Christiano nomini inimicissima. Suo enim sordidissimo Mahumeto obsequium maximum se præstare putat, Christianos insequendo, dilaniando, occidendo. Et ne recenseam calamitates ab eisdem retroactis temporibus nobis illatas, vtpote vobis omnibus notas, considerate, patres, præsentes ærumnas Christi

Anno Christi 1512. * propagata

* f. Baiazetem

ANNO CHRISTI 1512. fidelium, in quos Turcæ crudeliſſime deſæuiunt: filios a complexu parentum, infantes a matrum vberibus eripiunt, vxores in virorum conſpectu violant, virgines e matrum amplexu in hoſtilem libidinem rapiunt, ſenes parentes tamquam inutiles in filiorum oculis trucidant, iuuenes ſicuti boues aratro iungunt, & terram vomere vertere cogunt. Sed quid pluribus opus eſt? Nulla in eis reperitur feminei ſexus reuerentia, nulla puerilis ætatis pietas, nulla ſenectutis miſeratio. Hæc a me, ſacratiſſime pontifex, ſapientiſſimi patres, non tamquam audita vel lecta, ſed certe viſa, ſunt repetita. Vidi ego oculis propriis, vidi, inquam, eos vſque ad ſuburbia archipræſulatus mei Spalatenſis & illius miſerrimæ vrbis Spalati, depopulantes omnia, igni ferroque deuaſtantes, & in miſerabilem captiuitatem vtriuſque ſexus filios tuæ ſanctitatis & meos abducentes. Viderunt & hæc in vrbibus ſuis duodecim ſuffraganei eiuſdem ſanctitatis tuæ & mei. Adeſt & locupletiſſimus teſtis ampliſſimus totius Hungariæ primus archipræſul Strigonienſis, qui proximis his elapſis diebus, intellecta immaniſſima eorumdem inuaſione in noſtrates, Dalmatiæ, Illyriæ, Croatiæ, Pannoniæ, imo totius religionis Chriſtianæ ſtatum amariſſime deploratus eſt. Sæpe, pater ſanctiſſime, & ſæpius ego (o me miſerum & infelicem) diuinis officiis aſſiſtens, coactus ſum cappam indumentaque pontificia dimittere, arma ſumere, ad vrbis portas percurrere, afflictum populum Spalatenſem tua apoſtolica benignitate mihi demandatum ſolari, animare, & aduerſus ſanguinem noſtrum ſitientes aſſurgere. Miſerere itaque, ſanctiſſime pater & domine, filiorum & ſeruorum tuorum, affer opem tam dura ferentibus, redime de miſerabili ſeruitute, quos Chriſtus benedictus ſuo precioſiſſimo ſanguine a perpetua morte liberauit. Miſeremini & vos patres ampliſſimi, nec vos tutos idcirco exiſtimetis, quia manſionem fortaſſe procul a Turcis fortiti eſtis. Nemo enim tam remotus eſt, quin reperiri queat. Si vicinum qui ante vos proximus eſt igni, in periculo dimiſeritis, dimiſſi eritis & vos a vicinis qui retro habitant. Tales nos eſſe oportet in alios, quales illos erga nos cupimus inuenire. Nolite Germani Gallorum auxilia ſperare, niſi & vos Hungaris; nec vos Galli Hiſpanorum, niſi

Anno Christi 1512.

Matth. 7. Germanis opem feratis. *Qua enim mensura mensi eritis, eadem remetietur & vobis.* Nec putet sanctitas tua, pater beatissime, vosque patres amplissimi, Turcas esse insuperabiles. Vinci possunt, & sæpius victi sunt. Multitudinem qua potissimum vincunt, inermem ducunt, confisi pernicissimis equis. Adde plurimos eorum subditos esse Christianos, Christianamque religionem ardenter amplecti, qui anhelanti ore sanctitatis tuæ aduentum, auxilium, redemptionem, & e miserabili seruitute liberationem expectant. Scio ego, & certissime mihi promitto, (modo ceteri principes non deficiant, prout deficere non debent, si veri sunt Christiani, vt cupiunt appellari) sanctitas tua non deerit, quin tanto imminenti periculo & præsentaneo morbo occurrat. Noui enim ego, imo totus orbis nouit, sacratissime pontifex, animi tui fidem, fortitudinem, sapientiam, liberalitatem, magnitudinem, qua tum in ceteris, tum in Dei ecclesia catholica & apostolica defendenda, augenda & conseruanda semper vsus es. In hoc etiam defensionis genere quam necessario, scio & certissime vobis promitto, sapientissimi patres, quod sanctitatis suæ non maximus labor fidem, non formidolosum periculum fortitudinem, non denique expectata (quod absit) egestas liberalitatem extinguere poterit, quin sanctitas sua humani generis maximam partem fide redimat, fidei inimicos fortitudine expellat, Christi ecclesiam liberalitate amplificet. Quare, pientissime & misericordissime Deus, de excelso sancto tuo angustias nostras aspice. Nosti enim, quod præter nominis tui gloriam, & dominici gregis salutem, nil aliud quærit vox nostra. Memento Domine Iesu Christe, quod diuo Petro & successoribus eius regni cælorum claues tradidisti. Ecce adest diui Petri successor Iulius, auctoritate non minor, vicarius tuus. Respice ad preces sanctitatis suæ & nostras, & exaudi nos de excelso

Psalm. 78. solio tuo. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ. Adiuua nos Deus salutaris noster, propter gloriam nominis tui, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.* Respice benignis oculis super populum tuum. Da felicem cursum cœptis nostris, vt tandem reformata, aucta & stabilita ecclesia tua, maiestati tuæ laudes gloriose cantemus, tibi perpetuo seruiamus, & omnis ter-

ANNO CHRISTI 1512. ra, vna cum vicario tuo, patre & domino noſtro Iulio, ſummo ſanctiſſimoque pontifice, adoret te, & nomini tuo pſallat in ſæcula ſæculorum. Amen.

SESSIO II.

DIE Lunæ, ſeptima ſupradicti menſis Maii fuit ſecunda ſeſſio in ſupradicto loco. In qua fuerunt præſentes infra ſcripti reuerendiſſimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, magiſtri generales ordinum, oratores principum, & alii illuſtriſſimi domini, videlicet:

Epiſcopi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Raphael Oſtienſis.
Reuerendiſſimus dominus Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſimus dominus Iacobus Albanenſis.
Reuerendiſſimus dominus Marcus Prænestinus.

Presbyteri cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Thomas tituli ſancti Martini in montibus, Strigonienſis.
Reuerendiſſimus dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus dominus Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nannetenſis.
Reuerendiſſimus dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.
Reuerendiſſimus dominus Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendiſſimus dominus Antonius tituli ſancti Vitalis, Siponti-nus.
Reuerendiſſimus dominus Petrus tituli ſancti Euſebii, Anconitanus.
Reuerendiſſimus dominus Achilles tituli ſancti Sixti, Bononienſis.
Reuerendiſſimus dominus Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.
Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſimus dominus Alphonſus ſancti Theodori, Senenſis.

ANNO CHRISTI 1512.

Patriarchæ & aſsiſtentes papæ.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Alphonſus Antiochenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Patracēſis & Torcellanenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Iadrenſis.
Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Orlandus Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Vicentinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Caietànus.
Reuerendus pater dominus Laurentius Aſculanus epiſcopus, vicecamerarius & gubernator Vrbis.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Iacobus Barenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Auenionenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Antimarienſis.
Reuerendus pater dominus Mauricius Tuanienſis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Noboniaſienſis.

Epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Caualicenſis.
Reuerendus pater dominus Galaſius Bellunenſis.
Reuerendus pater dominus Albertinus Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Ortanus.
Reuerendus pater dominus Latinus Veſtanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Galaſius Sarſinatenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Signinus.
Reuerendus pater dominus Altobellus Polenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphenſis.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenſis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1512. Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Ioſue Eſculanus.
Reuerendus pater dominus Thomas Ceruienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Marianenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Milopotamienſis.
Reuerendus pater dominus Raphael Crapitanenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Biſignianenſis.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriatinenſis.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Algarenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Caſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus pater dominus Aloyſius Interamnenſis.
Reuerendus pater dominus Guillelmus Cortonenſis.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Neocaſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Launenſis.
Reuerendus pater dominus Michael Monopolitanus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Aquenſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinenſis.
Reuerendus pater dominus Georgius Callienſis,
Reuerendus pater dominus Iacobus Marſicanus.
Reuerendus pater dominus Lambertus Venuſinus.
Reuerendus pater dominus Simon Modruſienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonenſis.
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Nolanus.
Reuerendus pater dominus Corradus Aſtunenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinenſis.
Reuerendus pater dominus Michael Mordanienſis.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Licienſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinus.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.
Reuerendus pater dominus Carolus Montis regalis.
Reuerendus pater dominus Siluеſter Nigorinenſis.
Reuerendus pater dominus Gaſpar ſanctæ Iuſtæ.
Reuerendus pater dominus Marcus Vrgentinus.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Scalenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenſis.
Reuerendus pater dominus Raphael Groſſetanus.
Reuerendus pater dominus Matthæus Bethelenenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Narnienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus ciuitatis Ducalis.

ANNO CHRISTI 1512.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Antonius abbas monasterii sancti Galgani ordinis Cistercienſis, Vulteranenſis diœceſis.
Reuerendus pater dominus Guillelmus abbas monasterii beatæ Mariæ Britonis.

Magiſtri generales ordinum.

Magiſter Thomas Caietanus generalis ordinis Prædicatorum.
Magiſter Demetrius ordinis Minorum vicarius.
Magiſter Ægidius generalis ordinis eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Bernardus vicarius ordinis beatæ Mariæ de Monte Carmelo.

Senator Vrbis.

Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentinus.

Oratores.

Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis & reginæ Hiſpaniarum.
Magnificus dominus Franciſcus Foſcarus eques, orator ſereniſſimi & illuſtriſſimi dominii Venetorum.
Magnificus dominus Antonius de Strozis, orator Florentinorum.

Illuſtriſſimi domini temporales.

Conſtantinus dux Macedoniæ.
Illuſtriſſimus dominus Fridericus marchio Mantuanus.
Illuſtriſſimus dominus Iulius de Vrſinis.
Dominus Fabricius de Careto, procurator ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.
Dominus Sixtus de Ruuere prior Vrbis, miles ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.
Dominus Petrus Grimanus prior de Hungaria, miles ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.
Excellens iuris vtriuſque doctor, dominus Paulus de Capozuchiis, & nobiles domini Iacobus de Fragapanibus, & Petrus Pauli de Vechis, Vrbis almæ conſeruatores.

Celebrata Miſſa per reuerendiſſimum in Chriſto patrem dominum Thomam tituli ſancti Martini in Montibus, presbyterum cardinalem; facta oratione per reuerendum patrem dominum Thomam Caietanum ordinis Prædicatorum priorem generalem; aſcendit ambonem dominus Baltaſſar Tuerdus, domini noſtri papæ ſecretarius, & legit quoddam mandatum illuſtriſſimi Henrici regis Angliæ, de confœderatione cum eodem ſanctiſſimo domi-

ANNO CHRISTI 1512. domino nostro papa: quo perlecto, reuerendus pater dominus Thomas Phædra præfectus bibliothecæ sanctissimi domini nostri papæ, ac Concilii secretarius, ascendit ambonem, & legit quoddam mandatum Catholici Ferdinandi regis Aragonum, in personam magnifici domini Hieronymi de Vich, ad intereſſendum & incorporandum ac vniendum se Concilio Lateranensi, cuius tenor talis est.

MANDATVM REGIS HISPANIÆ.

Ferdinandus Dei gratia rex Aragonum, Siciliæ citra & vltra Pharum, Ierusalem, Valentiæ, Maioricarum, Sardiniæ & Corsicæ, comes Barchinoniæ, dux Athenarum & Neopatriæ, comes Rossilionis & Ceritaniæ, marchio Oristani & Gotiani, nec non administrator & gubernator regnorum Castellæ, Legionis, Granatæ, &c. pro serenissima & potentissima regina Joanna filia nostra carissima, cuius personæ & bonorum curam gerimus, vniuersis & singulis præsentium seriem inspecturis.

Notum facimus, quod licet nos cum primum intelleximus, sanctissimum ac beatissimum dominum nostrum Iulium diuina prouidentia papam secundum, pro defendenda sanctæ Romanæ ecclesiæ indiuisibili vnitate, schismatum hæresumque pullulatione secanda, morum vniuersali reformatione, & sanctissima contra infideles & sacrosanctæ fidei catholicæ hostes * obeunda, Concilium Lateranense conuocasse, proposuerimus, & tota mente ac totis viribus nostræ præfatæ ecclesiæ & summi pontificis monitionibus facere satis: multo tamen acrius solicitati sumus, posteaquam venerabilis & dilectus noster vtriusque iuris doctor Guillelmus Cacador causarum sacri palatii auditor, & eiusdem sanctitatis capellanus & nuntius ad hoc specialiter destinatus, ad nos & alios Christianos principes missus, publice atque palam insinuauit dicti sacri Lateranensis Concilii conuocationem, & schismatici Pisani continuationem, esse ecclesiæ vnicæ Romanæ scissuram, & nauiculæ Petri fluctuationem, quod in causa tam ardua prouidendum sit: quandoquidem tuitionem & propugnationem ecclesiæ, licet requisiti, sponte tamen & gratuiter susceperimus, ne Dei optimi maximi honorem negligere videremur. Profitemur enim nos filium eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ matris nostræ de-

* *f.* expeditione

ditissimum, proque eius honore atque statu animam po- ANNO CHRISTI 1512.
nere paratissimum. Cum igitur præfata sacrosancta Romana ecclesia innitatur tam sanctum, tam salubre atque laudabile propositum prosequi atque perficere, vt * sedes catholica non modo conseruetur & manuteneatur, sed etiam augeatur, & Mahumetana secta eneruetur, cuius rei nos impulsores atque effectores, Deo auctore, semper extitimus; operæprecium arbitramur, vt ea omnia pro portione nos contingente præparemus, quæ dicto sacro Lateranensi Concilio consentanea & opportuna fore videantur. Quapropter fidem, constantiam, sagacitatem, atque agibilium experimentum nostri magnifici & dilecti consiliarii Hieronymi de Vich, nostri in Romana curia oratoris, haud paruifacientes, non tamen in præiudicium, nouationem, seu derogationem quarumuis potestatum per nos vobis hactenus tributarum, sed illis potius addendo & accrescendo, eis quidem melioribus, validioribus & efficacioribus via, modo, iure & causa, quibus facere possumus & debemus, facimus, constituimus, creamus, deputamus, & solenniter ordinamus, nostrum & dictæ sereniſſimæ Ioannæ reginæ filiæ nostræ cariſſimæ verum, certum, legitimum & indubitatum procuratorem, factorem, negotiorumque infra scriptorum gestorem, ac nuntium specialem & generalem, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec econtra; videlicet vos eumdem Hieronymum de Vich oratorem nostrum, licet absentem tamquam præsentem, ad interesſendum videlicet, consentiendum, dissentiendum, protestandum, ac fieri requirendum, pro nobis dictis nominibus, proque dicta sereniſſima regina Ioanna filia nostra cariſſima, regniſque atque dominiis & populis ditioni vtriusque nostrum subiectis, omnia & singula quæ præparationi celebrationis dicti sacri Lateranensis Concilii opportuna, suffragantia, conducibilia & conuenientia sint, & sine quibus illud commode celebrari non posset, nec non dicti schismatici, pernicioſi, Pisani Conciliabuli impeditiua, refragantia, & ad nullitatem in eo attentatorum, seu attentandorum tendentia, ne illud longius procedat, sed tamquam iniuria, perperam & inique congregatum, dissoluatur & euanescat, & pernicioſiſſimum schi-

* fides

ANNO CHRISTI 1512.

sma fugetur & tollatur; comparendumque atque intereſſendum, dum tempus adfuerit, eiſdem nominibus in dicto ſacro Lateranenſi Concilio, & in omnibus actis & proceſſu eiuſdem, ibique obedientiam debitam præfato beatiſſimo domino noſtro papæ toties, quoties opportunum fuerit, præſtandum & recenſendum, confitendumque atque recognoſcendum, eumdem dominum Iulium papam ſecundum eſſe verum, vnicum, canonicum & indubitatum pontificem, & dominici gregis paſtorem: & in eodem ſacro Lateranenſi Concilio dicendum, proponendum, tractandum, vouendumque dictis nominibus, & vtrouis eorum, omnia & quæcumque inchoationi, celebrationi, continuationi & concluſioni dicti ſacri Lateranenſis Concilii, & quæ in eo proponentur & tractabuntur, vnionique & indiuiduitati dictæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ matris noſtræ & membrorum eius, nec non morum vniuerſali reformationi, & dicti pernicioſiſſimi ſchiſmatis nullitati & extinctioni, fideique augmento, & ſanctiſſimæ atque catholicæ ligæ nuper initæ conſeruationi & implemento, atque præfatæ, iamdiu eſt, a nobis optatæ, inceptæque in hoſtes eiuſdem fidei expeditioni neceſſaria, ſeu etiam opportuna, & ſine quibus ea commode fieri ſeu perfici nequirent. Et quoniam multa eorum veriſimiliter in dies occurrere poſſunt, quæ nobis ad præſens minime occurrunt, exprimi & ſpecificari ad validitatem actorum, ſeu agendorum neceſſaria, & ſine quorum expreſſione forte de iure non tenerent, de quibus ſi notitiam informationemque haberemus, ea omnia exprimere non omitteremus, prouidere volentes, ne ipſa expreſſio per nos præſentibus non facta vllum incommodum tantæ rei propter loci diſtantiam pareret, ſeu cauſaret, vobis poteſtatem tribuimus, ea omnia huic noſtro mandato dictis nominibus & vtrouis eorum, de peritorum conſilio addendi, exprimendique per quoſcumque notarios atque tabelliones, inde per vos requirendos, ſecundum eorum ſtylum adiicienda, annotanda ſeu extendenda, iuxta occurrentium qualitatem & exigentiam negotiorum & rerum de quibus ſupra. Quæ omnia & ſingula per vos, vt præfertur, extendenda & declaranda, illam vim illudque robur habere volumus, quam habe-

rent, si per nos extensa & declarata præsentibus extitis- ANNO CHRISTI 1512.
sent, & pro omnibus & singulis supradictis quæcumque iuramenta de secreto seruando, & alia nomine nostro & in animam nostram præstandi & subeundi, omniaque & quæcumque instrumenta necessaria & opportuna cum pactis, pactionibus, stipulationibus bonorum nostrorum & dictæ sereniſſimæ reginæ filiæ nostræ cariſſimæ, obligationibus, renuntiationibus, iuramentis, clausulis & cautelis necessariis, vtilibus, seu etiam opportunis, faciendi & seruandi, firmandi seu concedendi generaliter, & omnia alia peragendi, quæ in prædictis & circa prædicta necessaria & vtilia sint, seu etiam opportuna, etiam si talia forent, quæ mandatum specialius exigerent, quam præsentibus est insertum, & sine quibus ea fieri nequirent, quæ nos dictis nominibus faceremus seu facere possemus, si adessemus. Nos enim supradictis nominibus, & vtrouis eorum nomine, in & super prædictis omnibus & singulis, cum suis incidentibus, dependentibus & emergentibus, annexis & connexis, committimus atque conferimus vobis eidem procuratori, nuntio & oratori nostro plenarias vices nostras, cum omnimoda & indefectura facultate, ratum, gratum, validum atque firmum perpetuo habituri, quibus supra nominibus, totum id, & quidquid & quantum in prædictis & circa ea & quodlibet eorumdem procuratum & actum fuerit, siue gestum, & nunquam reuocaturi, sub bonorum & iurium nostrorum & dictæ sereniſſimæ reginæ Ioannæ filiæ nostræ cariſſimæ respectiue omnium hypotheca, & sub omnis iuris & facti renuntiatione ad hæc necessaria, pariter & cautela. In quorum fidem & testimonium præsentes fieri iussimus, manu propria subsignatas, sigilloque nostro impendente munitas.

Datum Burgis, die secunda mensis Decembris, anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo vndecimo.

Yo el Rey.

Dominus rex mandauit mihi Michaeli Perez Daluiacan.

Quo perlecto, dictis orationibus & litaniis more solito, præstitaque solita & consueta obedientia per cardinales & prælatos sanctiſſimo domino nostro papæ, & bene-

ANNO CHRISTI 1512. dicto Concilio, cantatoque euangelio per reuerendiſſimum dominum Ludouicum ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconum cardinalem de Aragonia, quod incipit: *Attendite a falſis prophetis:* idem ſanctiſſimus dominus noſter incepit hymnum, Veni creator, &c. Quo finito per cantores, reuerendus pater dominus Bernardus archiepiſcopus Spalatenſis aſcendit ambonem, & legit quamdam ſchedulam tenoris infra ſcripti. *Matth. 7.*

BVLLA SECVNDÆ SESSIONIS SACRI generalis Concilii Lateranenſis.

Iulius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sacro approbante Concilio, cum inchoatam huius ſacri Lateranenſis Concilii celebrationem, ad Dei laudem, vniuerſalis eccleſiæ pacem, fidelium vnionem, ſchiſmatis & hæreſum euerſionem, morum reformationem, ac contra perfidos fidei hoſtes expeditionem, Altiſſimi dextera aſſiſtente, proſequi intendamus, vt omnium ſchiſmaticorum & pacis hoſtium, latrantium canum ora obtundantur, vniuerſique Chriſti fideles valeant a tam peſtifero & venenoſo contagio ſe immaculatos ſeruare, in hac præſenti ſecunda ſeſſione in Spiritu ſancto legitime congregata, indictionis, conuocationis & publicationis ſchiſmaticæ conuenticulæ, & aſſerti Conciliabuli Piſani, ad ſcindendum & ſcandalizandum eccleſiæ præfatæ vnionem, emanatarum citationum, monitionum, decretorum, abſolutionũ, ſententiarum, actorum, legatorum, creationum, obedientiarum, ſubtractionum, aſſertarum cenſurarum, appoſitionum, ipſiuſque Conciliabuli tranſlationis ad Mediolanum vel Vercellenſem ciuitates, aut alia loca quæcumque, omniumque & ſingulorũ in dicto Conciliabulo geſtorum & concluſorum reprobationes, damnationes, reuocationes, caſſationes, irritationes & annullationes, per nos habita cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus deliberatione matura, & de eorumdem fratrum conſilio & vnanimi conſenſu, ac ex certa ſcientia, & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, per diuerſas noſtras literas reſpectiue, præſertim ſub data decimaquinta Kalendas Auguſti, pontificatus noſtri anno octa-

uo, ac tertio Nonas Decembris, & Idibus Aprilis, eiusdem pontificatus anno nono editas, factas & emanatas, literasque ipsas cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, mandatis, hortationibus, monitionibus, interdictorum ecclesiasticorum appositionibus, & aliis sententiis, censuris & pœnis, tam a canonicis sanctionibus, quam a nobis, maxime in literis indictionis huius sacri vniuersalis Concilii, ac omnibus & singulis aliis clausulis in dictis literis contentis, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, pro expressis haberi volumus, licet, vt firma & valida, nulla alia confirmatione aut approbatione egerent, ad abundantiorem cautelam & veritatis manifestationem, hoc sacro approbante Concilio, confirmamus, approbamus & innouamus, illaque inuiolabiliter obseruari volumus, statuimus & ordinamus, supplentes omnes & singulos defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem. Nec non Conciliabulum præfatum illiusque translationem, ac omnia & singula per ipsum Conciliabulum, illique assistentes, adhærentes, fautores & consentientes, directe vel indirecte, quomodocumque & qualitercumque a die indictionis ipsius Conciliabuli, vsque in præsentem diem acta, facta, gesta & prolata, ac in posterum gerenda, agenda, facienda & proferenda, etiamsi talia sint vel fuerint, de quibus specialis, specifica, expressa ac indiuidua mentio habenda foret, illorum tenores & qualitates etiam pro expressis habentes, vt alia adulterina & a veritate deuiantia Concilia, & in eis gesta, a iure sacrisque Canonibus damnata & reprobata fuerunt, damnamus & reprobamus, ac prout sunt, nulla, irrita & inania, nulliusque roboris vel momenti fuisse & esse nuntiamus, & quatenus opus sit, cassamus, irritamus & annullamus, ac pro cassis, irritis & annullatis haberi volumus. Et nihilo minus hoc sacrum Concilium œcumenicũ iuste, rationabiliter, ac ex veris & legitimis causis, riteque & recte indictum celebrari inceptum, omniaque & singula quæ in eo facta & gesta sunt, & de cetero fient ac gerentur, iusta, rationabilia, firma & valida fore, ac idem robur, eamdemque vim, potestatem, auctoritatem & firmitatem habere & obtinere, quæ alia Concilia generalia, præsertim Lateranense, a sacris Canonibus approbata habent & obtinent,

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. hoc eodem sacro Concilio approbante, decernimus & declaramus. Insuperque temporum dispositione, æstiuisque caloribus instantibus, vt commoditati & valetudini prælatorum consulatur, vltramontanique & trans mare existentes, qui hactenus ad hoc sacrum Concilium venire non potuerunt, expectentur, propterque alias iustas & rationabiles causas præfato sacro Concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam sessionem continuationis celebrationis Concilii præfati, tertio nonas Nouembris proxime futuri faciendam, hoc præfato sacro Concilio similiter approbante, indicimus. Omnibusque & singulis prælatis, & aliis in eodem Concilio * tunc existentibus a Romana curia recedendi, & pro eorum voluntate vbi eis placuerit morandi, dummodo dicta tertio nonas Nouembris in præfato Concilio Lateranensi, cessante legitimo impedimento, de quo clare constet, sub pœnarum in literis indictionis ipsius Concilii & canonicis sanctionibus contra non accedentes ad Concilia indictarum incursu, præsentes existant, licentiam & facultatem, præfato sacro Concilio etiam approbante, concedimus & indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis, approbationis, innouationis, statuti, ordinationis, suppletionis, damnationis, reprobationis, nuntiationis, cassationis, irritationis, annullationis, voluntatis, decreti, declarationis, indictionis, concessionis & indulti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

* *f.* nunc

Datum Romæ in publica sessione in Laterane nsi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1512. sextodecimo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno nono.

Postmodum idem reuerendus pater dominus Bernardus archiepiscopus petiit ab omnibus, an placeant paternitatibus suis contenta in schedula. Qui responderunt, & quilibet eorum respondit, placere contenta in schedula. Super quibus omnibus magister Bernardus Mocharus, procurator Concilii, petiit fieri per protonotarios & notarios

ad hoc deputatos publicum & publica, instrumentum seu instrumenta. ANNO CHRISTI 1512.

Deinde reuerendus pater dominus Vincentius Caraffa archiepiscopus Neapolitanus, procurator reuerendi patris domini Donati episcopi * Neselitani ad interessendum sacro Concilio, dedit quoddam mandatum subscriptum per dominũ Iacobum Andream Parlatum ciuem Neapolitanum notarium curiæ archiepiscopalis Neapolitanæ. Et venerabilis vir dominus Franciscus Insart, solicitator literarum apostolicarum, dedit mandatum reuerendi patris domini Petri de Costa episcopi Portugalensis diœcesis * publicum notarium, in quo ipse dominus Franciscus principaliter nominatur ad interessendum sacro Concilio. Et reuerendus pater dominus Ioannes Baptista episcopus Caualicensis, procurator reuerendi patris domini Hieronymi Palauicini episcopi Alerienſis, dedit mandatum eiusdem ad interessendum dicto Concilio, subscriptum per dominum Luchinum de Belganderio & Balauic laicum Marianensem publicum notarium, & sigillatum sigillo præfati episcopi Alerienſis. Ac reuerendus pater dominus Gisbertus episcopus Rapolanus dedit mandatum procurationis reuerendi patris domini Ioannis Baptistæ episcopi * Fanensis, subscriptum per dominum Malatestam Thomasinum publicum notarium, & sigillatum sigillo dicti episcopi. Et venerabilis vir dominus Petrus Perini, assertus procurator reuerendi patris domini Aynionis episcopi Lausanensis, dedit mandatum eiusdem ad interessendum Concilio, subscriptum per dominum Perret, & sigillatum sigillo dicti domini episcopi. Et reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Achilles tituli sancti Sixti presbyter cardinalis Bononiensis vulgariter nuncupatus, dedit mandatum reuerendi domini Ioannis de Scluſa abbatis Præmonstratensis, vt totius ordinis iudicis superioris & reformatoris generalis, subscriptum per dominum Ioannem Ray canonicum ecclesiæ collegiatæ sancti Quintini, de sancto Quintino Nouiomensis diœcesis, publicum notarium.

* Neſquitani

* subſcriptum per

* Malateſta

Anno a natiuitate Domini 1512. indictione decimaquinta, pontificatus præfati sanctissimi domini nostri Iulii papæ secundi anno nono, die vltima mensis Octobris, per discretum

ANNO CHRISTI 1512. cretum virum Bartholomæum de Mantua, præfati sanctissimi domini nostri papæ cursorem, affixæ fuerunt & publicatæ in basilicarum principis apostolorum de Vrbe, & sancti Ioannis Lateranensis valuis seu portis, nec non cancellariæ apostolicæ,& acie campi Floræ,certæ literæ prorogationis tertiæ sessionis propter aduentum reuerendi & illustris domini Matthæi electi Gurcensis, sereniſſimi Maximiliani electi imperatoris locumtenentis,vsque ad tertium diem mensis Decembris proxime futuri, prout in eisdem literis continetur, quarum tenor sequitur.

PROROGATIO SESSIONIS PROPTER aduentum Gurcensis.

Iulius episcopus seruus seruorum Dei.

CVPIENTES ingenti desiderio ad omnipotentis Dei gloriam, plurimorumque optimorum operum perfectionem, alias inchoatam sacri Lateranensis Concilii celebrationem prosequi, in secunda sessione in Spiritu sancto legitime congregata, vt temporum indispositione, æstiuisque caloribus instantibus, commoditati & valetudini prælatorum opportune consuleretur, vltramontanique & trans mare existentes, qui eatenus ad Concilium huiusmodi venire non poterant, expectarentur: propterque alias iustas & rationabiles causas dicto Concilio notas, & ab eo approbatas, tertiam sessionem continuationis celebrationis præfatæ,tertio Nonas Nouembris proxime futuri faciendam, sub data XVI. Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno nono, indiximus: sperantes tunc Deo duce, ac Christianorum regum & principum ope, Italicis & exteris rebus pacatis, prælatos præfatos tutis itineribus cum quiete ad ipsum Concilium venturos, nullumque aliud impedimentum inesse, quo minus tertia sessio huiusmodi die, vt præfertur, indicta haberi potuisset. Cum autem satore zizaniæ instigante, & nonnullorum malignitate, qui Christianorum nomen in vanum recipere non formidant, bella atrocia tam in Italia quam extra eam viguerint & vigeant, dictique prælati Germani, Hispani, Anglici, Poloni & alii, propter hostium pericula tute adhuc accedere non potuerint, nu-

perrimeque venerabilis frater noſter Matthæus epiſcopus Gurcenſis, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Maximiliani Romanorum regis in imperatorem electi in tota Italia locumtenens generalis, & ad nos orator deſtinatus, prope vrbem ad illam venturus ſit, cum quo multa * grauia importantia & magni ponderis, ſtatum & quietem eccleſiæ, principum Chriſtianorum & Italiæ concernentia, præſertim de pace inter ipſum Maximilianum regem & dilectum filium Leonardum Lauredanum Venetorum ducem, quæ nobis cordi eſt, componenda, agenda ſint: ex quorum concluſione vniuerſalem pacem, aliaque innumerabilia bona ex eorum auctoritate *, intermiſſione vero grauiora prioribus ſcandala, damnaque intolerabilia futura *, dilationemque indictæ ſeſſionis ad paucos dies, * nedum præiudicium, ſed vtilitatem allaturam arbitramur. Idcirco vt ſine perturbatione aliqua continuationi celebrationis tam celeberrimi & neceſſarii Concilii inſiſtere valeamus, prælatiſque & oratoribus principum ad dictum ſacrum Concilium venturis, in itinere exiſtentibus, vt accepimus, aliqua vlterior dilatio concedatur, dictuſque venerabilis frater Matthæus epiſcopus Gurcenſis Cæſareæ maieſtatis locumtenens & orator, circa diem ipſam celebrationis tertiæ ſeſſionis, & forte ipſa die vel ſequenti almam Vrbem eſt ingreſſurus, & de noſtro mandato ob perſonam quam gerit & repræſentat, honorifice excipiendus ſit, & cum ſolitis ceremoniis & curiæ Romanæ comitiua aſſociandus, & ad nos deducendus, qui cum omni celeritate deſiderare videtur expeditionem negotiorum ſibi commiſſorum, vt infra paucos dies ex vrbe recedere poſſit: habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus deliberatione matura, expreſſis aliiſque iuſtis & rationabilibus cauſis vrgentibus, de eorumdem cardinalium conſilio vnanimique conſenſu, tertiam ſeſſionem, continuationem, celebrationem Concilii præfati ad tertium Nonas Decembris ſimiliter proxime futuri, ceteriſque in indictione Concilii, & in ſecunda ſeſſione præfatis contentis, firmis manentibus, prorogamus, & iudicibus præmiſſis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque, prout ſemper deſidera-

ANNO CHRISTI 1512.

* grauis importantiæ

* f. ſperamus

* f. timemus

* f. vellum

ANNO CHRISTI 1512. uimus, feliciter incepimus, & Domino adiuuante omnino perficere intendimus.

Placet, & publicetur.

Anno a natiuitate Domini 1512. indictione decimaquinta, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Iulii diuina prouidentia papæ secundi anno nono, vltima mensis Octobris, præsentes suprascriptæ literæ sanctissimi domini nostri papæ, prout in eisdem continetur, affixæ & publicatæ fuerunt in basilicarum principis apostolorum de Vrbe, & sancti Ioannis Lateranensis, valuis seu portis, nec non cancellariæ apostolicæ in acie campi Floræ; & sic affixas per longum temporis spatium dimisi: copiam earumdem literarum in locis suprascriptis affixi, & affixam dimisi, per me Bartholomæum de Mantua, sanctissimi domini nostri papæ cursorem.

Reuerendissimo in Christo patri & domino, domino Thomæ sanctæ Romanæ ecclesiæ tituli sancti Martini in montibus presbytero cardinali Strigoniensi, procurator ordinis Prædicatorum seruus salutem dicit.

Ad XVII. Kalendas Iunii, qui dies secundam Concilii sessionem in æde præbuit Lateranensi, cum alia habuimus illius solennis & sacratissimæ lucis grata monumenta, tum illud maximum, quod tu eodem die ac loco Romæ tum primum diuinas res publice peregisti, magna quidem apud Deum, vt credimus, ob tuam virtutem gratia, sed non minore apud homines ob virtutis opinionem laude & existimatione. Quamquam enim tuum nomen vbique apud omnes probatum sit ac clarum, Romæ tamen apud bonos & graues clarissimum certe & probatissimum est. Eo itaque die, quo de rerum summa grauiter constituendum erat, Conciliumque ipsum, patrum sententia, in aliud tempus differendum, cum rite a te & sancte mysteria sanctissima celebrata essent, tum pulpitum, vt scis, ascendit meus & totius Prædicantium ordinis generalis magister, vir tum religione & doctrina singulari, tum præstanti excellentia animi atque ingenii. Quod quidem quasi geometricam quamdam videtur habuisse rationem, vt ille sui ordinis primus secundæ sessionis orationem pronuntiauerit, tu secundi ordinis in senatu

princeps, primis in hac vrbe myſteriis publice fueris initiatus. Verum cum hæc ipſa oratio diues optimarum ſententiarum & luculenta, digna a ſummo pontifice iudicaretur, quæ in acta referretur, multique illam boni viri quotidie efflagitarent, operæprecium fore duxi, ſi ego qui Prædicatorum ordinis hic res curo, eamdem orationem, priuſquam ab aliis legeretur, tibi potiſſimum dedicarem. Feci igitur, & perquam libenter feci, vt & illa tui nominis inſcriptione illuſtrata, maiore auctoritate in publicum prodiret, tantique viri præſidio eſſet munitior, & meæ erga te obſeruantiæ ac venerationis magnitudo hoc primo teſtimonio tibi innoteſceret. Sed & aptum viſum eſt, cum illius diei ceremonias coniunctim egiſſetis, vt non ſeparatim in ora hominum peruenireris, quamquam tua virtus & auctoritas multo maioribus & grauioribus rebus celebritatem promerita eſt. Scimus enim, tuus in vrbem aduentus quantam ſpem lætitiamque bonis omnibus attulerit, qui pacem quidem & ſalutem continue optant, bellum autem diuturnum & infeſtum coguntur ſuſtinere. Subit namque multos qui virtutes amant, qui tuo exemplo crudelia bella abhorrent, qui Chriſtianæ fidei infidelibus armis infeſtiſſimi ſunt: ſubit illos, puto, faſtidium incredibile, cum videant huiuſce temporis ſcelera & ruinas. Quis enim non ſtomachetur, vacare Chriſtianos inteſtinis diſſenſionibus, pace toties attentata, nunquam vero firmata, elapſamque e manibus fuiſſe occaſionem retinendæ Africæ, Græciæ atque Aſiæ in libertatem & religionem vindicandæ. Ad quam Chriſtianorum vecordiam ne forte putemus Deum dormitare, omitto reliqua quæ domeſtica ſunt. Ecce nuper Turcarum rex ſenex, inualidus, & imperio, & pecunia, & exercitibus ceſſit, præter omnium opinionem, filio ætate tertio, iuueni ferociſſimo, & Chriſtiani ſanguinis appetentiſſimo, qui magno donatiuo conciliatis ſibi militum animis, additiſque ad fœdus ſuum Scythicis nationibus, nihil non auſurus breui timetur. Iure hoc quidem optimo factum eſt, vt Chriſtiani qui oblatam occaſionem iuſtitiæ atque laudis contempſerunt, quique nuper recuperatam fere Africam totam iterum canibus illis abripiendam deuorandamque obiiciunt. Iuſte, inquam, factum eſt, vt ii quan-

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. doque de præsenti suo imperio trepidare cogantur, qui imperium Christi nec amplificare studeant, nec defendere: quin illud potius & vitiis oppugnare, & labefactare dissensionibus non verentur. Sed de iis satis. Melius enim longe tu quam ego, aut quisquam, hæc nosti & cogitasti, quippe qui a puero acceptas contra Turcas inimicitias, & ab incunabulis susceptam sacratissimæ fidei tutelam & defensionem, adhuc perpetuam retinuisti. Proptereaque in hanc vrbem venisti, vt pacatis vniuersis, non solum iis partibus quæ fidei sunt, consuleres, sed etiam illis quæ infidelitatem & discordiam alunt, vehementissime te opponeres. Sed redeo ad orationem, quæ mihi cum doctissima videtur esse, tum ita largiter ampla, vt non tantum quæ præsentis Concilii sunt, sed omnium Conciliorum vim, auctoritatem rationemque amplexa videatur. Quam cum tua amplitudo benigno vultu acceperit, existimabimus magnum & illi ornamentum, & nostro ordini vniuerso ex tua beneuolentia accessisse. Vale.

Oratio reuerendi patris, fratris Thomæ de Vio Caietani, sacræ theologiæ professoris, ac totius ordinis Prædicatorum generalis magistri, habita Romæ in secunda sessione Concilii Lateranensis, decimoseptimo Kalendas Iunii 1512.

Cum animaduertam, Iuli secunde pontifex maxime, reliquas omnes ecclesiasticæ reipublicæ consuetudines actionesque singulas esse singulis ecclesiæ partibus accommodatas, generales vero Synodos vniuersalem ecclesiam penitus respicere, eamque tamquam finem sibi proprium attendere, existimaui me facturum rem & vtilem & omnibus gratam, si hodierno die primum de ecclesia ipsa, deinde de Synodis huius temporis, illarumque differentia ac diuersitate dicerem. Sed cum iis diebus ex hoc loco viri doctissimi, qui hoc oratorio munere magna cum laude perfuncti sunt, de iis fere rebus verba grauiter sapienterque fecerint, ego, qui ingenio illis & doctrina inferior sum, quo meis viribus minus confido, pater sancte, eo humilius atque propensius tuam humanitatem & clementiam mihi propitiam esse & summisse oro, & suppliciter peto. Sed quoniam nihil est, quod homo de semet-

ANNO CHRISTI 1512.

ipso sine auxilio opeque diuina possit polliceri, ad gloriosam ipsam virginem Dei matrem primum conuertam orationem meam. Aue Maria, &c.

Cum dilectus Christi discipulus & euangelista multa nobis ex prophetica illa mysticaque visione nuntiare instituisset, de Deo, de agno, de Dei agnique gloria, deque venturis præteritisque temporibus ac rebus diuinitus retulit, atque is etiam Christianam rempublicam & ecclesiam contemplatus, in hunc modum ipse, aut per ipsum potius sanctus Spiritus locutus est: *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo.* Apoc. 21. Magna profecto & diuina, maximaque insuper, atque omnem humanæ rationis terminum exuperantia Ioannes vidit. Vidi, inquit, ciuitatem, vidi sanctam, vidi Ierusalem, vidi illam nouam ac de cælo descendentem. Quæ est ista ciuitas, quam Ioannes vidit? Quæ est ista, quam magister discipulo, Christus apostolo, Spiritus sanctus euangelistæ ac vati figuris & allegoriis reuelauit? Certe ciuitas hæc Christianæ reipublicæ vrbs est, quæ non vallo aliquo terreno, non caduco murorum mœniumque ambitu cincta est, sed multitudine copiaque innumerabili clausa est ac permunita. Quamquam enim huius mundanæ sapientiæ antistites certo quodam & præscripto ciuium numero ciuitates constitui oportere arbitrati sint, nimiamque & nimis late diffusam multitudinem submouerint, neque inter centies centena millia, vt ipsi aiunt, commercium fieri posse vllum existimauerint, solum tamen Christianum genus tanta tamque mirabili a Deo optimo maximo cognationis, necessitudinis, societatisque copula deuinctum ac coniunctum est, vt in vnitate maximam multitudinem, vnius vrbis ambitu spatium amplissimum, in vna denique ciuitate totum terrarum orbem complectatur. Nam cum in condenda & constituenda qualibet ciuitate duo in primis requirantur; primum, vt partibus suis omnibus ipsa constituatur respublica; deinde, vt eæ partes inter sese ciuili amicitia quadam & consensione conspirent; licet cognoscere, quomodo priuatis publicisque in rebus, ambabus iis partibus nostra hæc Christiana ciuitas excellat. Quod enim ea partes omnes perfectissimæ reipublicæ habeat atque contineat,

ANNO CHRISTI 1512. ea in primis sacra, quæ sacramenta appellamus, ostendunt, quæ tantæ sunt efficaciæ & virtutis, partim vt hominum generationes matrimonio propagent, partim Deo filios baptismate vt gignant, tum vt genitos communicatione corporis Christi alant & vegetent, deinde diuina chrismatis virtute corroborent: vbi corroborauerint, potestate atque auctoritate ecclesiasticis ordinibus augeant: mox aliquo errore lapsos confessione restituant, & postremo, humanis culpis abluendis, sancti olei vnctione perungant. Præter hæc autem diuina & præclara munera, multa habet alia hæc ciuitas cumulatissime. Habet namque apostolos, habet euangelistas, habet prophetas, habet pastores, doctores, martyres: habet sermones scientiæ, sermones sapientiæ, genera linguarum, interpretationes sermonum, discretionem spirituum, gratiam sanitatum, fidem, vaticinia, miracula, & eam cælum claudendi rursumque aperiendi potestatem, vt quidquid in terris ligauerit, quidquid soluerit denique, id continuo in cælo dissolutum vel ligatum sit. Et quamquam hæc magna maximaque sint, satis tamen non fuit, tot tantaque ecclesiam habuisse, nisi & angelorum reuelationes, illuminationes, defensionesque habuisset. Quibus omnibus actionis nostræ contemplationisque studia non tueri modo ac defendere, sed propensius etiam & augere & ornare & perficere conatur. Ciuitas igitur hæc diuina illis reipublicæ partibus illustratur, quibus nulla vnquam alia vel melioribus vel ornatioribus illustrata est. Quod autem ciues ipsi arctius in hac, copulatiusque quam in ciuili alia communitate deuinciantur, vel hinc patet manifeste, quod ii non iam ciues sunt aut aduenæ, sed ciues sanctorum, sed domestici Dei, sed membra Christi, & ita vnius eiusdemque mystici corporis membra, vt alii aliis & membra sint, & quemadmodum sunt, mutua sese communicatione ac societate confoueant. Cum igitur hæc ciuitas ex perfectissimæ reipublicæ partibus perfectissimis constituatur, ipsiusque ciues interiore & cognatiore quam omnes aliæ societates genere colligentur; patet certe, hanc vrbem aliis esse digniorem, perfectiorem, excellentiorem, ipsamque præstare omnibus honore, decore, & quod maximum

est, humana beatitudine ac felicitate. Quamquam enim cuiusuis ciuitatis proprium esse videatur, sufficienter ex se, beneque ac beate viuere, nulla tamen alia, nisi hæc nostra, hoc ipsum habere cumulate ac largiter potest, sed ne imitari quidem. In aliis namque finis ciuilis amicitiæ & societatis est, optima inter se hominum coniunctio: in hac vero nostra, in qua heredes Dei omnes, coheredes autem Christi sunt, ad Deum ipsum, vt proprium Christiani generis finem, cuncta referuntur. Hæc cum ita sint, recte Christi ecclesia non tam ciuitas ab Apostolo Christi, quam ciuitas sancta a viro sanctissimo commemoratur. Id autem, patres, vt nunc vos alloquar, mox extrema oratione ad hunc summum pontificem caput omnium reuersurus, id, inquam, patres, qua & ego quoque ratione demonstrauero, quæso, intelligite. Sanctitas ipsa, vt a definitione incipiamus, vtque Dionysio Areopagitæ placet, immaculata, libera, perfectaque munditia est. Proinde tametsi hoc summis antiquorum, nostrorumque rationibus firmatum sit, in Deo vniuersorum auctore & gubernatore omnium rerum naturas, excellentias dignitatesque consistere: Deus tamen ipse præ iis omnibus propriam ita sibi vendicat sanctitatem, vt etiam summi philosophi Dei substantiam munditia & sanctitate definirent. Nam cum inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt, sempiternam quoque eius virtutem ac diuinitatem intellectu conspicerent, vellentque Dei naturam & voluntatem, ac quidquid in Deo est, vnica, aliisque rebus incommunicabili proprietate exprimere, non virtutis quidem, non diuinitatis, aut reliquis tantæ maiestati consentaneis nominibus vsi sunt, sed munditiæ & sanctitatis significationibus. Solam enim deitatis substantiam a totius potentiæ macula & labe liberam remotamque esse perpendentes, illamque ob id esse dicentes actum purum, eamdem certe ipsam definitione hac mundissimam esse sanctissimamque dixerunt. Nec mirum, si talis tantaque sanctitas tantum in mentibus hominum & numinis habuit & maiestatis, quandoquidem intelligentijs etiam beatis, quas angelos dicimus, hymnum carmenque Deo proprium constituat. Angeli namque atque archangeli, cherubim quoque & seraphim,

repe-

ANNO CHRISTI 1512. repetitis ingeminatisque vocibus, *Sanctus, sanctus, sanctus,* Isa. 6. proclamant. Quo fit, vt Dei quoque ciuitatem, in qua magnus Dominus est, deceat sanctitudo. Atque hanc partem quæ paucis demonstrari potest, breuissime ostendam. Omnibus rebus tum natura, tum arte constitutis, hoc principio attributum ingeneratumque est, vt cum aliæ aliis iungendæ sint, pari mutuaque dispositione ac similitudine conueniant. Hoc ipsæ formæ, secundum materiæ recipientis merita distributæ, testantur. Hoc ad propria peculiariaque munera obeunda aptæ appositæque nostrorum membrorum habitudines manifestant. Denique hoc confirmant innatæ materiis ipsis, vt ita dicam, patientiæ, quibus ipsæ res hominum artificio subiectæ obtemperant. Hæc namque omnia & reliqua id genus, siue natura, siue arte componenda sint, nisi primum amica inter se consensione conueniant, componi coniungive non possunt. Cum igitur sanctitas & mundicia propria Deo sit, illique conueniat maxime; cumque coniungendas res ipsas habiles inter sese ad coniunctionem esse oporteat, nemini dubium est, puto, ecclesiasticam ciuitatem, quæ Deo coniunctissima est, puram, mundam, sanctam immaculatamque existere. Veritate etenim prima, qua confirmatur, ac in qua fundatur, & errorum omnium expers pura mente perseuerat, & dilectione perpetua, qua ipsa in Christo & Christus in ipsa manet vsque ad sæculi consummationem, ab omni vitiorum sorde & contagione remota est, atque ita virtute bonitateque perficitur ac vallatur, vt neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque altitudo, nequeprofundum, neque creatura alia illam possit a Christi amore separare. Recte igitur ciuitas hæc nostra, quandoquidem omnium cælestium virtutum præcipua a Deo pollet sanctitate, omnibus ea ceteris mundi dignitatibus, potestatibus, imperiis antecellit. Satis esse arbitror huius ciuitatis demonstratam sanctitatem: quæ ciuitas quia sancta est, iure optimo a sancto Spiritu nomen illi impositum est præclarissimum. Is enim hanc sanctam ciuitatem Ierusalem appellauit. Quod profecto nomen ob hanc causam adepta est, quod Ierusalem non modo pacem ipsam, sed ea etiam quæ pacis sunt, innuere, sanctorum inter-

pretatione tradatur. Tria igitur in hoc sunt. Nam & hoc Ierusalem atque pacis optimum est, & id verum huius ciuitatis nomen, & postremo huic ciuitati ita proprium, vt nulli præterea alteri vere conuenire possit. Optimum certe est. Nam optima res pax est, adeoque magna & diuina, vt vniuersa creatura hanc appetere & perquam desiderare videatur. Cum enim pax ipsa, Augustino teste, tranquillitas ordinis sit; & tranquillitas ordinis tunc sit, cum seclusis contrariis quibusque ordo conquieſcit: constat res omnes, siquidem naturaliter fines suos appetant, & impedientia cuncta submouere contendant, pacem appetere, pacisque & quietis fructus vt adipiscantur, summa ope laborare. Quod autem Ierusalem pacisque nomen, verum nostræ ciuitatis nomen sit, is testis bonus est, qui dixit: *Et factus est in pace locus eius:* Dei scilicet, qui & huiusce vrbis fines pacem posuit, & tantam in ea voluit propagari abundantiam pacis, vt ciues ipsi non modo cum Deo pacis auctore & principe, non modo inter se omnes pacem haberent, sed singuli etiam pacis tranquillitatisque abundantia, & intelligendo in veritate, & appetendo in ipsa bonitate conquieſcerent. Ea vero pax, hæc vrbs Ierusalem, hoc sanctissimum Dei hominumque domicilium, non quidem impiorum hominum est, qui quomodo non vera bona sectantur, ita nec veram pacem inquirunt: sed illorum est, patres, qui pacifici sunt, qui pacis domum vnanimes inhabitant, qui pacem his qui prope & his qui longe sunt, annuntiant: qui his ad quos diuertunt, pacem deferunt; & cum hospitio recepti non sunt, redeuntem ad se pacem ipsi recipiunt. Illorum est hæc sanctissima Ierusalem, quæ ex viuis lapidibus constructur, de qua Dauid loquitur, & cuius portarum seræ ac claustra a Domino confortantur. Hæc est illa Ierusalem, patres, in qua, sicut paulo ante inter diuinas res perlectum est, rex pacificus pacem relinquit nobis, pacem suam dat nobis: sed non quomodo huius mundi homines dant, ipse dat nobis. Ii enim pacem dant, vt molestia careant. Sed pax ibi vera non est, vbi nec vera concordia est, nec corda hominum coniuncta, sed disiuncta sunt. Ea autem pax quam Christus dat, & quæ in testamento pacis & in Ierusalem inuenitur, ea est,

Psalm. 75.

Psalm. 147.

Psalm. 121.

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. patres, amoris vinculum, tranquillitas animi, simplicitas cordis, consortium diuinitatis. Quis vnquam vidit vel audiuit talia? Quid fuit vnquam tam singulare, tam nouum, tam inusitatum? Pax Christi non modo corda nostra & nostras intelligentias custodit, sed omnem etiam & humanum & angelicum sensum exuperat, omnisque homo sanctus vocatur, qui scriptus, & qui relictus, & qui residuus fuerit in Ierusalem. Hanc itaque præclaram in mutatione mundi rerum nouitatem videns Ioannes, ciuitatem hanc non solum sanctam, non solum Ierusalem, sed nouam etiam Ierusalem, Spiritu sancto dictante, appellauit. Noua est enim. Nam qui in throno sedebat, & qui de thesauro suo noua & vetera profert, noua in ea fecit omnia. Fecit namque, vt neque langueſceret aut veteraſceret vnquam, neque senio conficeretur. Ex quo fit, vt hæc longe sit origine, dignitate atque auctoritate eminentior Hebræorum synagoga, quæ per antiquæ legis vetustatem consumpta, cultum & notitiam veri olimque promissi Dei Filii solita pertinacia, atque animi obstinatione repudiauit. Nam cum in synagoga ipsa in hodiernum vsque diem vetus homo sit, vetus lex, vetus fermentum, pristina conuersatio: in nostra certe hac noua Ierusalem omnia noua sunt, nouum cor, noua lex, nouus homo, noua conspersio. Quæ enim maior nouitas esse potest, quam Deum hominem esse, & rursus hominem Deum, eumdemque verum Deum ac hominem clauis confixum, spinis coronatum, & innumeris affectum contumeliis, non aliis ipsum armis, quam cruce, quam morte, quam vulneribus infernum vicisse, cælos ascendisse, ad Patris dexteram conscendisse, propterque suum nomen ac legem trucidatos & gloria & honore & felicitate perpetua affecisse? Quid, quod illius discipuli rudes, pauperes, abiecti obscurique homines, cum vniuersus fere terrarum orbis ignorantiæ tenebris inuolueretur, & erroribus ac superstitionibus sceleribusque obtemperaret tot atque tantis, vt dæmones omnium gentium dominarentur, ac summopere ab hominibus colerentur: hunc tamen ipsum mundum immundum ii Christi discipuli, ii ex infima plebe viri contra synagogæ pontifices, contra mundi imperatores, contra humani generis hostes, con-

tra leges, consuetudines, opiniones, non armis, non opibus, non vi aut ferro vicerunt, sed fide tantum, spe & caritate superarunt, purgauerunt, illuminarunt? Tam autem propria est nostræ ecclesiæ diuina atque sempiterna nouitas hæc, vt nulla hominum ætas fuerit, nulla vnquam ciuitas aut respublica, quæ non ab hac Christiana ecclesia cuncta acceperit, quæ filiorum Dei adoptionis perpetuæ existunt. Nam vt a diuo Thoma præclare scribitur, summum illud Dei beneficium, quod nostri gratiam appellant, & quo Dei filii efficimur, id adeo noui testamenti est, vt a mundi creatione sancti sanctæque omnes, quatenus naturæ diuinæ participes fuerunt, eatenus sub nouo testamento comprehendantur, ad quod veteris omnia sunt referenda. Verum cum hoc fieri nequiuerit, vt excellens hæc diuini humanique consortii nouitas ex terra terrenisque rebus oriretur, (quod enim natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est) par certe & consentaneum rationi fuit, vt de cælo ciuitas hæc sancta & noua Ierusalem descenderet. Descendit namque de cælo vrbs hæc noua, cuius fundamenta nec in poetarum figmentis, nec in humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, neque in cuiusuis mortalis aut creatæ voluntatis appetitu, seu opinione iacta sunt: sed quæ in montibus sanctis, hoc est, in patriarcharum figuris, in prophetarum testimoniis, in præconiis apostolorum, in suppliciis martyrum, in admirandis Christi operibus, in sanctorum proborumque hominum purgatissimis mentibus, in virtutis denique & spiritus ostensione inconcussa ac firma perseuerant. Descendit autem de cælo non gressibus corporis, sed imitatione ac similitudine. Illius namque exemplo quæ in cælis est, reipublicæ beatissimæ, huius quæ in terris est, regimen constituit Deus, vt illud non penes omnes aut multos, sed penes vnum Christi vicarium & dominici gregis pastorem consistat. Nam sicut in Ierusalem illa quæ in cælis est, matre nostra vnus tantum Dominus est Iesus Christus: ita in hac Ierusalem illius filia, quæ Christi sanguine irrigata, & matris est illustrata splendoribus, vnus tantum princeps est, vicarius Christi & pontifex maximus, cui omnes descendentis Ierusalem ciues & incolæ, non solum vt separatim singuli, sed etiam

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. vt simul vniuersi obedire debent: quemadmodum qui in superna sunt Ierusalem sancti, cum singulatim, tum vniuerse, diuisimque ac simul omnes vni omnium creatori subsunt, parent, obtemperant. Vt vero præclarissima hæc sunt? At dicet forte quis: Cum iis temporibus duæ nobis ecclesiæ & duæ Synodi proponantur, vna Romana, Pisana altera; vtrum ambæ de cælo descenderunt? Alteram enim earum tantummodo descendisse necesse est, siquidem Christi sponsa vna est. Sinite me hoc in loco, patres, respirare paulisper: nam quid a vobis in hac re constituendum sit, paucis dicam. Quinque Christi ecclesiæ conditiones nobis, vt audistis, sanctus euangelista proposuit. Illam enim in primis esse ciuitatem, deinde sanctam, Ierusalem post, tum nouam esse, & de cælo postremo descendisse affirmauit. Illam igitur Synodum & in terris ecclesiam militantem, quam de cælo credimus descendisse, consentaneam esse præscriptis conditionibus, & in cælo triumphantis ecclesiæ formulis, procul dubio reperiemus. Eam vero quæ a supernorum imitatione prolapsa in præceps, ab illis deflectit viam, non vtique de cælo descendisse, quin potius ab inferis ascendisse iudicabimus. Hoc quando ita se habet, non descendit de cælo, patres, Pisana nuper patrum illorum ecclesia, non descendit de cælo infaustus vbique & inuisus cœtus: non tantum e cælo facinus, non descendit, inquam, sed ruit. Quamobrem? quia non obseruat ea quæ cæli sunt: non imitatur quæ cælorum regni esse traduntur. At quare hoc rursus? Quia prorsus aliena est a reuelatis Apostolo conditionibus. Vt autem eas congruo ordine percurramus, quis vestrum putabit, patres, illum conuentum qui vnius tantummodo nationis est, si tamen vnius est, & non dimidiatæ, vel nullius potius gentis legitima coitio, quis putabit illum vniuersam coëgisse Synodum, eius ciuitatis, ad quam fortitudo gentium venit, ad quam multitudo maris conuertitur, ad quam omnes per circuitum orbis terrarum congregantur, cuius minimus in mille est, & paruulus in gentem fortissimam?

Tantum enim abest, vt ecclesia illa Pisana vera Dei ciuitas sit, quantum abest, vt sancta & legitima sit: tantumque recedit a candore sanctitatis, quantum ad errorum

sordes accedit: accedit autem plus tanto, quanto magis & Petrum ecclesiæ, & papam Concilio, & suo Conciliabulo summum, verum certumque Christi vicarium subiicere conatur. Quod tamen nil aliud est, mea sententia, quam naturæ ipsius rationisque ordinem peruertere, & filios patri, & membra capiti, pastorique ipsi suarum greges ouium præficere. Sed & illud perspicuum est, Ierusalem nomen illi ecclesiæ nequaquam conuenire, propterea quod nec pacem habet, nec ordinis tranquillitatem, quodque tam excellentem ecclesiæ ordinem subuertere connititur, vtpote quæ contra Romanam ecclesiam togata armataque bella commouerit, quæque ad quoscumque diuerterit, non modo pacem illis non attulerit, sed spem omnem pacis funditus euerterit. Quæ singulatim omnia commemorarem, nisi intelligerem nimio etiam plus quam vellem esse manifesta. Non igitur Pisarum: Synodus, Synodus Ierusalem est, sed ciuitas ac turris Babel potius, quæ in terra Sennaar confusionem fecit, & concordiam ædificantium disiecit. At dicent nonnulli: Saltem vna ex multis, & quarta ex quinque præscriptis conditionibus Pisano cœtui conueniet, nouitas scilicet. Quid enim tam nouum & inusitatum ac mirabile est, quam esse qui conentur efficere, vt miles duci, filius patri, domino seruus imperet, oues pastori, denique pedes & cetera membra capiti? Fateor equidem & ego quoque noua hæc esse, sed tamen aliena prorsus ab illa sempiternæ sanctissimæque ciuitatis nouitate. Multum enim inter hanc illamque interest nouitatem. Nomen vtriusque commune est, sed res & significatio diuersa. Hæc enim Ierusalem nouitas a Spiritu sancto est, & æterna est. At illam Pisanam vnica tantum obedientia & ecclesiæ pars tunc effecit, cum schismatis illius tempore tres ita maximi pontifices habebantur, vt nullus eorum aut certus quidem, aut absque ambiguitate verus Petri successor existimaretur. Hæc itaque nunc Pisana nouitas Constantiæ tunc ortum habuit, & euanuit; Basileæ repullulauit, & explosa est: atque iis etiam temporibus, si vos viri eritis, interibit, quemadmodum sub Eugenio quarto summo maximæ huiusce sedis pontifice repressa est. Neque enim de cælo descendit, atque ob id diuturna non est: neque vnius principatum am-

Anno Christi 1512.

ANNO CHRISTI 1512. plectitur, qui & in illa triumphante ecclesia est, & hanc militantem conseruat, quemque Synodus Pisana amplecti deberet, si e cælo descendisset, & nunquam multitudinis regimini, vti facit, inniti. Longe igitur ab hac Christi Pisarum ecclesia discrepat. Hæc enim fidelium est, illa cauillantium: hæc domesticorum Dei, illa aberrantium: hæc Christianorum hominum, illa vero eorum qui Christi vestem conscindere, & a mystico Christi corpore mystica Christi membra seiungere non verentur. Habetis, patres, quid de Pisana Synodo communiter locutus sum. Hoc enim vniuersi totis deuotisque animis deprecamur. Assequetur autem hoc, te volente, teque imperante, si tu ipse, pater sancte, omnipotentis Dei, cuius vices in terris non solum honore dignitatis, sed etiam studio voluntatis gerere debes; si ipsius Dei potentiam, perfectionem sapientiamque imitaberis. Atqui vt in primis potentiam imiteris, accingere, pater sancte, gladio tuo, tuo, inquam, accingere: binos enim habes, vnum tibi reliquisque huius mundi principibus communem; alterum tibi proprium, atque ita tuum, vt illum alius nemo nisi a te habere possit. Hoc itaque gladio tuo, qui ecclesiasticæ potestatis est, accingere potentissime, & accingere super femur tuum, id est, super vniuersas humani generis potestates. Cumque accinctus fueris, tum intende contra errores, contra hæreses, contra dissensiones, denique contra inferni portas, errorum, hæresum & dissensionum auctores. Nec intende solum, sed etiam procede & regna. Procede in primis, & prospere procede, gentes quæ bella volunt, dissipando: tum regna, sacerdos & rex, quæ pacis sunt cogitando, inquirendo, persequendo. Is namque idem, quem imitari debes, & rex regum est, pacisque princeps, & Dominus dominantium, rexque pacificus. Hanc autem summam potentiam tuam diuina perfectio comitetur. Perfectio hæc, misericordia est, qua pater ille cælestis & perfectus solem suum oriri facit super bonos & malos, pluitque super iustos ac peccatores. Nam si tanta vbique misericordia præstabis, vt non modo amicos, sed inimicos etiam ac hostes ad tui nominis reuerentiam, ad apostolicæ sedis cultum, ad Christi ecclesiæ vnitatem, ad huius Concilii manifestam professionem ve-

nire compellas, recte, pater sancte, Dei perfectionem i- ANNO CHRISTI 1512.
mitaberis humano more. Nulla enim de virtutibus omnibus nec admirabilior, nec excellentior misericordia est, nulla magis principi propria, nulla potentiæ summæ cognata magis atque amica est. Hæc te præ regibus terræ excellentissimum, hæc te vniuersis populis adorandum, Deoque insuper te & gratum & amicum & simillimum reddet. Verum cum multos multarum nationum gentiumque viros clarissimos per Dei tuamque misericordiam ad hanc Synodum venturos accessurosque existimemus, vna se tibi ad hanc rem offert diuina sapientia, quæ a fine ad finem fortiter attingit, & disponit omnia suauiter. Huius nuper exemplo a fine ad finem tum attigisti fortiter, pater sancte, cum indicto Concilio hoc atque inchoato, vniuersos ad bene de Christiana republica sperandum excitasti. Dispones autem suauiter, prouidendo sapienter, ne vocati a te, iuste queri possint, se, vt par erat, in re tanta expectatos non fuisse. Quare postquam hodierno die, quod bonum, faustum felixque sit, de singulis quæ ad huiusce sanctissimæ Synodi conseruationem & statum spectare videbuntur, constitutum fuerit, tum de iis quoque constituatur nationibus, quæ cum intellexerint Romæ & a Romano pontifice Concilium Synodumque haberi, & desiderari se atque expectari, cunctæ procul dubio nobiscum vna ad Christianæ religionis disciplinam, ad apostolicæ auctoritatis maiestatem, ad communem fidelis populi salutem, ad labentium rerum restitutionem, ad totius præterea ecclesiæ defensionem & rem conuertentur. Sic namque hoc sacrosanctum Concilium in cælum ascendet cum catholica ecclesia, quam refert, & quam Ioannes ciuitatem esse sanctam, esse Ierusalem, nouamque esse, atque de cælo descendisse, contemplatus est. Dixi.

SESSIO

ANNO CHRISTI 1512.

SESSIO III.

In hac sessione reuerendus & illustris dominus Matthæus episcopus Gurcensis & princeps imperii, dedit mandatum inuictissimi principis Maximiliani electi imperatoris.

ANNO & indictione quibus supra, pontificatus præfati sanctissimi domini nostri, domini Iulii papæ II. anno decimo, die vero Veneris, tertia mensis Decembris, fuit celebrata tertia sessio Concilii generalis in basilica Lateranensi, præsente præfato sanctissimo domino nostro, in qua fuerunt, præsentes reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, magistri generales ordinum, oratores principum, & alii illustres domini, videlicet:

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.
Reuerendissimus dominus Franciscus Sabinensis.
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

Presbyteri cardinales.

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigonienſis.
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Fliſco.
Reuerendissimus dominus Robertus tituli sanctæ Anastasiæ, Nannetensis.
Reuerendissimus dominus Leonardus tituli sanctæ Susannæ, Agennensis.
Reuerendissimus dominus Christophorus tituli sanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sancti Vitalis, Siponti-nus.
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii, Anconitanus.
Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti, Bononiensis.
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli sanctæ Sabinæ, de Saulis.

Diaconi cardinales.

Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii, Farnesius.
Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin, de Aragonia.
Reuerendissimus dominus Marcus sanctæ Mariæ in Porticu, de Corneliis.

ANNO CHRISTI 1512.

Patriarchæ & aßiſtentes papæ.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Alphonſus Antiochenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Patracenſis & Torcellanenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Iadrenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Vicentinus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Cibo Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Caietanus.
Reuerendus pater dominus Hercules Auguſtenſis epiſcopus, & illuſtriſſimi domini ducis Sabaudiæ orator.
Reuerendus pater dominus Laurentius Montis regalis epiſcopus, & gubernator Vrbis.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Raynaldus Raguſinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Noboniaſienſis.
Reuerendus pater dominus Robertus Rheginus.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Maria Sipontinus.

Epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Lucas Fulginatenſis.
Reuerendus pater dominus Silueſter Vuigornienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis
Reuerendus pater dominus Franciſcus Spoletanus.
Reuerendus pater dominus Guillelmus Cortonenſis.
Reuerendus pater dominus Baſilius Tudertinus.
Reuerendus pater dominus Bertrandus Adrienſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregienſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Algarenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudenſis.
Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Biſignianenſis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1512. Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Simon Modruſienſis.
Reuerendus pater dominus Corradus Aſtunenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Iacobus Camerinenſis.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Montis viridis.
Reuerendus pater dominus Lambertus Venuſinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Arianenſis.
Reuerendus pater dominus Baptiſta Aquinatenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinus.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Elnenſis.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Sagonenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Signienſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aſculanus.
Reuerendus pater dominus Petrus Foroliuienſis.
Reuerendus pater dominus Lucas Gaurdienſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Anſarenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Inſulenſis.
Reuerendus pater dominus Latinus Veſtanus.
Reuerendus pater dominus Andreas Literenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Calenenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Nicienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Policaſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Imolenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Bellicenſis.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Agrienſis.
Reuerendus pater dominus Paulus Lectorienſis.
Reuerendus pater dominus Albertinus Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Narnienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Marianenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Albenſis.
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Vincentius Launenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Caſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriatinenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonenſis.
Reuerendus pater dominus Hugo Regienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.
Reuerendus pater dominus Galaſius Bellunenſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterranus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Bidrienſis.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetenſis.

Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Caualicensis.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbiensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Ortanus.
Reuerendus pater dominus Iacobus ciuitatis ducalis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Aloysius Parentinus.
Reuerendus pater dominus Albertus Valuensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphensis.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruisinus.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Floremondus abbas monasterii sancti Gregorii de Vrbe, ordinis sancti Benedicti.
Reuerendus pater dominus Guillelmus abbas monasterii beatæ Mariæ Britonis.

Magistri generales ordinum.

Magister Thomas Caietanus generalis ordinis Prædicatorum.
Magister Ægidius generalis ordinis eremitarum sancti Augustini.
Magister Bernardus vicarius ordinis beatæ Mariæ de monte Carmelo.
Magister Angelus ordinis beatæ Mariæ Seruorum.

Locumtenens Maximiliani.

Reuerendus & illustris dominus Matthæus episcopus Gurcensis sereniſſimi domini Maximiliani electi imperatoris *.

Oratores, & senator Vrbis.

Illustris dominus Albertus de Carpi, dicti Maximiliani orator.
Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentinus, senator Vrbis.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis & reginæ Hispaniarum.
Magnifici domini, Iacobus de Saluiatis & Matthæus de Strozis, dominii Florentini, ac Parmensis, oratores.

Illustrissimi domini temporales.

Illustrissimus dominus Fridericus marchio Mantuanus.
Dominus Nicolaus de Ruuere.
Illustrissimus dominus Iulius de Vrsinis, & alii illustres domini de Vrsinis.

Celebrata Missa per reuerendissimum dominum Marcum episcopum Prænestinum, cardinalem Senogalliensem, & facta oratione per reuerendum patrem dominum Alexium episcopum Melfitensem, cantatis litaniis & aliis

ANNO CHRISTI 1512. orationibus, & cantato hymno, Veni creator Spiritus, vt moris est; cantatoque euangelio per reuerendissimum dominum Ludouicum sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem de Aragonia, quod incipit: *Ego sum pastor bonus*, &c. reuerendus dominus Thomas Phædra secretarius Concilii ascendit ambonem, & legit quoddam mandatum procurationis sereniſſimi & inuictiſſimi principis Maximiliani electi imperatoris, datum per supradictum dominum Matthæum Gurcensem episcopum, locumtenentem. Cuius tenor sequitur, & est talis.

MANDATVM MAXIMILIANI.

Maximilianus, diuina fauente clementia, electus Romanorum imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. comes palatinus Hannoniæ, &c.

Recognoscimus, & tenore præsentium notum esse volumus vniuersis, cum impræsentiarum nos destinamus in Italiam & ad Vrbem, venerabilem Matthæum episcopum Gurcensem, principem, consiliarium & locumtenentem nostrum generalem in Italia, deuotum ac dilectum, pro quibusdam rebus nostris ibi faciendis. Idcirco nos de eius dexteritate, ingenio atque rerum gerendarum peritia plurimum confisi, motu proprio, & ex certa scientia, ac animo deliberato fecimus, constituimus, creauimus & ordinauimus, ac tenore præsentium facimus, constituimus, creamus & solenniter ordinamus præfatum Gurcensem principem & locumtenentem nostrum procuratorem, actorem ac negotiorum nostrorum gestorem specialem, omni meliori modo, via, iure & forma & ordine, quibus melius & validius de iure possumus & debemus, ad comparendum pro nobis & nomine nostro in Synodo seu Concilio Lateranensi superiori, per sanctissimum in Christo patrem & dominum dominum Iulium secundum sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summum pontificem, dominum nostrum sanctissimum, de consensu sacri reuerendissimorum dominorum cardinalium collegii indicto & denuntiato, & illud approbandum & prosequendum, & si, & inquantum opus foret, illud ad alium locum & aliud

tempus transferendum, etiam ex toto tollendum & extinguendum, nec non reuocandum, annullandum & irritandum & penitus delendum omnia & singula ea quæ per ecclesiam Gallicanam in ciuitate Turonis eodem anno superiori fuerunt acta, concluſa & deliberata, & similiter ad reuocandum omnia & singula mandata & procuratoria, si qua a nobis emanauerunt pro indictione Concilii Pisani, quod nonnulli cardinales tunc indixerant, & idem Concilium Pisanum penitus tollendum & extinguendum. Dantes & concedentes eidem Gurcensi principi, locumtenenti & procuratori nostro, plenam & amplam potestatem gerendi & exercendi omnia & singula in præmissis & circa ea necessaria & opportuna, iuxta dexteritatem suam, prout magis videbitur expedire; nec non ad faciendum omnia alia & singula, quæ verus & legitimus & indubitatus procurator, liberam & generalem facultatem habens, circa præmissa facere posset, & quæ nosmet facere possemus, si præmissis personaliter interessemus, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent magis speciale: ponentes dictum procuratorem nostrum, quoad præmissa, * totaliter in locum nostrum. Insuper promittentes in verbo nostro Cæsareo, & sub bona fide nostra, nos gratum & ratum habituros, quidquid per præfatum principem locumtenentem & procuratorem nostrum in præmissis & circa ea cum omnibus suis dependentibus, emergentibus & connexis, actum, dictum, transactum, concordatum seu concluſum fuerit, & nullo vnquam tempore contrauenire directe vel indirecte, aut quouis exquisito colore vel causa, de iure vel de facto, etiamsi de iure possemus. Supplentes præterea omnes & singulos defectus tam iuris quam facti, qui in præmissis aliquo modo poterunt euenire. Promittentes quoque, vt si forte mandatum istud ad aliqua per supradictum procuratorem nostrum tractanda & concludenda sufficiens non foret, quod nos omnia & singula huiusmodi tractata, & per supradictum procuratorem nostrum sic concluſa, rata, grata & firma habebimus & obseruabimus, harum testimonio literarum sigilli nostri appensione roboratarum.

ANNO CHRISTI 1512.

* fatali-ter

Datum in ciuitate nostra imperiali Colonia, die pri-

ANNO CHRISTI 1512. ma mensis Septembris, anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, regnorum nostrorum, Romani vigesimoseptimo, Hungariæ vero vigesimotertio.

Per regem.

Ad mandatum Cæsareæ maiestatis proprium.

Quo perlecto, surrexit præfatus reuerendus & illustris dominus Matthæus, & legit quamdam schedulam manu propria scriptam, cuius tenor est talis.

Schedula lecta per Gurcensem.

Ego vigore dicti mandati Cæsareæ maiestatis clementissimi & inuictissimi principis, ad abolendum omne schisma quod in ecclesia oriri posset, & etiam pro executione capitulorum concluforum coram sanctissimo domino nostro reuoco quodcumque mandatum qualitercumque concessum Conciliabulo Pisano, & procuratores quoscumque, qui in dicto Conciliabulo interuenerunt, & omnia acta & agenda per illud Conciliabulum, quæ declaro irrita & nulla, nomine præfatæ Cæsareæ maiestatis, & adhæreo sacro & canonico Lateranensi Concilio, ecclesiam vniuersalem repræsentanti, rite & legitime congregato. Declaro etiam, maiestatem Cæsaream nunquam dedisse mandatum ad præfatum Conciliabulum.

Et declaratione facta, præfatus dominus Matthæus Gurcensis accessit cum ea qua decuit reuerentia ad præfatum sanctissimum dominum nostrum, & deosculatus est pedes eiusdem sanctissimi domini nostri, comitante eum dicto illustri domino Alberto de Carpi, præfatæ Cæsareæ maiestatis oratore. Quibus peractis, magister Marianus de Cuccinis procurator fisci, & præfati Concilii procurator, petiit a protonotariis & notariis Concilii publicum & publica fieri instrumentum & instrumenta de omnibus supradictis, &c.

Deinde discretus vir Petrus Mengiuar sanctissimi domini nostri cursor, retulit coram præfato sanctissimo domino nostro, se, instante præfato magistro Mariano de Cuccinis procuratore, ad portas ipsius Concilii citasse & monuisse omnes & singulos prælatos, & alios tam ecclesiasticos quam sæculares, qui in Concilio interesse consueuerunt, vt comparerent ad interessendum sacrosancto

Concilio. Reſponſione facta, idem magiſter Marianus accuſauit eorum contumaciam. Demum reuerendus pater dominus Petrus Gryphus epiſcopus Foroliuienſis aſcendit ambonem, & legit quamdam ſchedulã tenoris infra ſcripti. ANNO CHRISTI 1512.

BVLLA TERTIÆ SESSIONIS SACRI generalis Concilii Lateranenſis.

Iulius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Sacro approbante Concilio, ad illius, cuius perfecta ſunt opera, laudem & gloriam, ſacrum Lateranenſe Concilium proſequentes, in hac tertia ſeſſione Spiritu ſancto fauente legitime congregata, quam alias tertio Nonas Nouembris proxime præteriti faciendam in ſecunda ſeſſione indixeramus, & deinde de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio vnanimique aſſenſu, in hodiernum diem tenendam, ex certis tunc expreſſis & aliis legitimis cauſis prorogauimus & indiximus, eodem ſacro Concilio prorogationem & indictionem huiuſmodi ex cauſis præfatis ſibi notis approbante, poſt felicem fauſtamque cariſſimi in Chriſto filii noſtri Maximiliani Romani imperatoris electi ſemper Auguſti huic ſacroſancto Lateranenſi Concilio veram adhæſionem & ſinceram vnionem, omnia & ſingula per damnationis alumnos Bernardinum Caruaial, Guillelmum Briſſonet, Renatum de Pria, & Fridericum de ſancto Seuerino, olim cardinales, eorumque fautores, adhærentes, complices & ſequaces, ſchiſmaticos, hæreticos, & in ſuam ac aliorum perniciem debacchantes, vnitatem ſanctæ matris eccleſiæ ſcindere ſatagentes in Conciliabulo Piſano, Mediolani, Lugduni, vel alibi, quæcumque, quotcumque & qualiacumque fuerint, etiam decimarum impoſitiones in vniuerſo regno Franciæ per eos factas, quorum tenores & qualitates, ac ſi præſentibus de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales inſererentur, pro expreſſis haberi volumus, vſque in præſentem diem acta, geſta & facta, conſcripta & publicata ſeu ordinata, & in futurum forſitan gerenda, quamuis ſint nulla, irrita & inania, & a nobis, præfato Concilio ſacro approbante, damnata & reprobata fuerint,

ANNO CHRISTI 1512. rint, potiori pro cautela damnationi & reprobationi huiusmodi inhærendo, eodem sacro Concilio approbante, damnamus, reprobamus & detestamur, illaque nulla, irrita & inania, nulliusque roboris, efficaciæ, effectus vel momenti fuisse & esse decernimus & declaramus. Nec non literas nostras, per quas, propter receptiones, fauores, adhærentiam & auxilium, per regem Franciæ & nonnullos alios regni Franciæ prælatos, officiales, nobiles & barones schismaticis & hæreticis in dicti Conciliabuli Pisani damnati & reprobati prosecutione notorie præstita, regnum Franciæ, & præsertim Lugdunum, ducatu Britanniæ excepto, sub data videlicet Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo duodecimo, Idibus Augusti, pontificatus nostri anno nono, de fratrum prædictorum consilio, ecclesiastico subiecimus interdicto, nundinasque Lugduni fieri solitas, in Lugduno extunc de cetero fieri inhibuimus, dictasque nundinas in ciuitate Gebennensi faciendas transtulimus, cum decretis, declarationibus, inhibitionibus, omnibusque & singulis in eis contentis clausulis, similiter sacro Concilio prædicto de illis plenariam notitiam habente ac approbante, innouamus: regnumque præfatum, vt præfertur, illiusque ciuitates, terras, oppida & loca quæcumque huiusmodi interdicto subiicimus, ac ipsas nundinas ex Lugduno in ciuitatem præfatam Gebennensem faciendas transferimus. Et vt sacrum hoc Lateranense Concilium ad finem vberrimæ fertilitatis deducatur, aliaque plura & grauia in hoc sacro Lateranensi Concilio tractanda & discutienda veniant ad Dei omnipotentis laudem, & vniuersalis ecclesiæ exaltationem, quartam sessionem continuationis celebrationis ipsius quarto Idus præsentis mensis Decembris faciendam, sacro Concilio præfato omnia approbante, indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ prosecutionis, voluntatis, damnationis, reprobationis, detestationis, decreti, declarationis, innouationis, interdicti, translationis & indictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in publica seſſione, in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1512. tertio Nonas Decembris, pontificatus noſtri anno decimo. ANNO CHRISTI 1512.

D. de Comitibus.

Qua quidem ſchedula, vt præmittitur, perlecta, idem reuerendus pater Petrus epiſcopus petiit, an placerent paternitatibus ſuis contenta in dicta ſchedula. Et omnes & ſinguli reſponderunt, placere contenta in dicta ſchedula. Fuit inſuper indicta quarta ſeſſio, quarto Idus præſentis menſis. Et hæc fuerunt pro tertia ſeſſione. Super quibus idem magiſter Marianus de Cuccinis procurator petiit inſtrumentum & inſtrumenta, &c. Et incepto per ſanctiſſimum dominum noſtrum glorioſo hymno, Te Deum laudamus, & capella proſequente, & vſque ad finem perducto, ſanctiſſimus dominus noſter cum cardinalibus & aliis prælatis receſſit, & venit ad ſanctum Petrum in palatium apoſtolicum in Vaticano.

Iulio huius nominis ſecundo pontifici maximo, Alexius epiſcopus Melſitanus affectiſſimus famulus, ſalutem plurimam dicit, perpetuamque felicitatem.

Non me præterit, ſapientiſſime pontifex, parum pii minuſque grati erga Deum animi eſſe, quidquam ex iis quæ nobis contingunt, alii cuipiam quam illi, eiuſque abſtruſo iudicio tribuere. Propterea quæ fortunam & fatum appellant, aut nulla eſſe, aut ſi qua ſunt, ego quidem illi ſubiici ſentio: tantumque ſideribus tribuo, quantum eſt, quod nihil ex eius potentia detrahere poſſit. Verumtamen & diuum Auguſtinum diuinarum humanarumque rerum interpretem eminentiſſimum, cauſas fortuitas non eſſe nullas, ſed latentes aſſerere, & mihi plurima & grauiſſima infortunia ab ipſis fere ſtatim incunabulis accidiſſe, eoque grauiora, quo præter omnem ſpem opinionemque incidere, ſat ſcio. Quibus illud quoque tanto magis annumerauerim, quanto nihil ego enixius curo, quam ne quid a me vel dicatur, vel fiat, quod tibi non placeat. Iuſſus itaque a te, vt in tertia tui ſacri apud Lateranum Concilii ſeſſione concionarer, nec ignarus maxima vocis & laterum, & eadem vel minori fortaſſe di-

ANNO CHRISTI 1512. sciplinarum inopia laborare, nihil horum, quo rem euitarem, causatus sum, temerarium, & non minus stolidum arbitratus, quidquam de iis tuo præcepto opponere, quæ tibi quoque nota esse viderentur. Prætereo quæ postea suasere, vt rem iam præparatam & intermissam sententia mutata resumerem, quod & hæc ex ipsa oratione facile percipere poteris, & epistolæ ad diem ipsius concionis properandum est. Fuit hic tertio Nonas Decembris, cum sol longissime a nobis recedens, & nos obliquus respiciens, dum paruam hemisphærii nostri partem ambit, dies breuissimos reddit: cumque ad ea quæ in Synodo agenda erant, vix totus suffecturus videretur, res, vel potius necessitas ita tulit, vt eodem ante omnia Lateranum tibi e Vaticano eumdum esset. Per properandi igitur curam magna ex parte somno excusso, nos fere antelucanos præstolandi prosequendique tui gratia Vaticanum deduxit: vbi antequam exires, tanta vis imbris procelloſi inhorruit, vt diuturnam serenitatem quæ nobis otiosis præcesserat, iter facturis resarcire velle sibi videretur. Existi tamen, quæ tua constantia est, & procella paulisper cessante, totum fere iter pluuiosum perfecimus. Itaque membra quæ natura tegi non patitur, vento, aqua & anni tempore gelida, cetera vestibus prælongis & madefactis grauata erant. His maxime impeditos, mulis descendentes cœnum excepit, ex cœno sitibundos, famelicos, fessos, madidos, implicitos, cœnulentos & somnolentos ædes vastissima, nulla testudine, sed tignis tecta, & crebris transennis, per quas magnæ naues transmitti possent, patentissima: eadem multitudinis hominum & murmuris, strepitus ac lamentorum ex incommodis orientium, algorisque plena. Sic affecto misero mihi, & innata, quod dixi, vocis & corporis imbecillitate laboranti, a tot incommodis circumuento, vento, imbre, procella crepitantibus, & murmure, tecto & transennis templi verba intercepturis, concionandum erat. Insuper suggestum ascendi, sicut e regione transennarum altissimarum ac latissimarum, sic a te, ad quem labores meos & verba direxerã, longe, iussu quidem tuo, ante inceptam Synodum positum, quo magis multitudinis auditui quam tuo consuleretur. Omitto, quod quidam ad suum commodum cuncta trahentes, ita tunc

quoque ad reddendum Deo & iuſtitiæ debitum ſe difficiles duroſque præſtitere, vt ſicut te multoſque ex patribus per totam fere ſeſſionem ſolicitos ac ſuſpenſos tenuere, ita me quoque in actionis medio* turbabundi viderentur. Super his mitra caput, parum eius hiberna infula tecti capax, ſic angebat, vt non magis nuperrime ſimul omnes in itinere ſub imbre ad Lateranum, quam ego tunc ſub illa ad orationis calcem properarem. Sed ſicut quondam toti Græciæ belli, ita nunc mihi huius mali Paris cauſa erat. His ergo tot ſimul factum eſt, quorum vel vnum ſuppetiiſſet, vt nec tu, nec pars maxima ſacri ſenatus & patrum audire me quiuerit. Quamobrem hæc mihi poſtea ſingula memoria repetenti, nec diiudicare queunti, quibus minus fecerim ſatis, illiſne, quibus ita me affectum & properantem locus audire permiſit, an quibus id ex parte vel omnino negauit: expedire viſum eſt, magnis etiam viris id ſuadentibus & amicis flagitantibus, vt inſtitutum tranſgrederer, & orationem impreſſoribus darem, quo & omnibus qui adfuerant, hac ſaltem ratione facerem ſatis, & longe pluribus tacendo prodeſſem, quam dicendo profueram. Si tamen ea ſit, vt, quod eius initio maxime optaui, aliquibus conferre poſſit. Tua beatitudo, ſi id ei cumulus & magnitudo cogitationum ac rerum agendarum permiſerit, ita leget, vt omnem fructum laborum meorum in eo maxime verſari exiſtimet, vt a te vno probentur.

ANNO CHRISTI 1512.

* *f.* turbaturi

Alexii epiſcopi Melfitani oratio quam habuit in tertia ſeſſione ſacri Lateranenſis Concilii, iuſſu Iulii ſecundi pontificis maximi.

Maxime vellem atque optarem a Domino Ieſu Chriſto, in cuius nomine, vt par eſt credere, te duce, beatiſſime pater, hic ſacer ſenatus, præclarus Procæſar, inſignes reguli, Cæſaris, regum & aliorum principum oratores, ornatiſſimi præſules, & ceteri qui adſunt humaniſſimi viri, huc hodie conuenere, vt eadem ſinceritate pietateque mentis, qua ego erga beatitudinem tuam, vniuerſam eccleſiam & horum ſingulos ſum verba facturus, omnes præſentes atque abſentes, quibus celebrandæ Synodi onus incumbit, rem tam ſalubrem & perneceſſariam agendam ſuſcipiant, ſuo tempore agant, & ad finem perdu-

ANNO CHRISTI 1512.

cant. Mihi vero post annos octo & quadraginta, quibus maxima ex parte in hac aulica luce, in sacro tuo aliorumque summorum pontificum, & vestro, patres, mihi iucundo venerandoque conspectu versatus consenui, huius saltem susceptI hodie muneris labor optatum pariat fructum, vt sacrosanctæ matri ac alumnæ ecclesiæ, si non omnino (neque enim tanti me facio) vel aliqua ex parte conducat. Et quoniam vbi facto opus est, compertum habeo parum verba proficere: & sicut rectam valetudinem non conferri, ita nec res magnas solis verbis confici posse; præcipue vero ratione, & eius ministris mente ac lingua, nos a ceteris animantibus differre: sed his tantis naturæ bonis ita quosdam abuti, vt raro admodum vtantur concordia mentis & linguæ, sed plerumque aliud habent in ore, aliud in corde; quæ fere sola sunt instrumenta consilii: hoc autem morbo vbique, sed præsertim in Synodo, re omnium quæ ad religionem & præsentem futuramque salutem hominum pertinent, maxima, cum ingenti discrimine vtriusque salutis laborari: me denique in tanti morbi, tamque magnæ rei & imbecillitatis meæ cogitatione pene deficere: summus ille artifex mentium illustrator & auctor inuocetur, qui & extinctas eas accendit, & accensas inflammat, & ab illis ora dissonare non patitur, quique in igneis linguis apparuit, & ora infantium fecit diserta. Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita, imple superna gratia, quæ tu creasti pectora. Vtinam tuos, Domine, vtinam tuos tuæque gratiæ capaces nos reddas. Hoc ergo duce, quod ipse concedat, quam breuius mihi fieri poterit, de Concilio deque ecclesia differendum est. Et primo altius earum primæua figura & origine repetitis, mixtim etiam incremento, maiestate potestateque ostensis, nec non vtilitate & commodo quæ ex eis humano generi proueniunt, ex parte enumeratis; postremo, mutatæ a me sententiæ reddita ratione, dicendi faciam finem. Per hæc enim, etsi pro rei magnitudine pauciſſima parumque ornata, opitulante illo qui & publice ab omnibus, & priuatim a me inuocatus est, siue rationibus, siue exemplis, siue auctoritatibus innitendum procedendumque in Synodo fuerit, recte omnia consuli, & consulta rectius decerni, & decreta rectissime executioni mandari

quam facillime poterunt. Cum Redemptor & legifer noſter hominem, paruum mundum, collapſum erigere ac inſtaurare cum ſuis Patre & Spiritu ſtatuiſſet, nec in opere diſcedere a prima eius productione, cui etiam totam Trinitatem adfuiſſe, per verbum, *Faciamus*, perſpicuum eſt, cum in ceteris rebus, quantumuis bonis, multis ac magnis creandis, *Dixit*, &, *Vidit*, de Deo ſingulariter a Moſe proferatur: quod & in Iordane amni, per ſacri ac ſalutiferi lauacri inſtitutionem, & in patefacienda, pro capacitate viſurorum, gloria ſua ſuper montem Thabor tribus, & non paucioribus, diſcipulis qui eum comitabantur; & paſſim per totam legis traditionem, & demum in corroborandis inſtruendiſque diſcipulis, per Spiritum ſanctum in eius nomine a Patre miſſum, plenius declarauit: rediturus ad Patrem, & a terrenis ad cæleſtia corpore tranſcenſurus, ita duodecim diſcipulos (& orando Patrem, *Fac*, inquiens, *Pater, vt hi vnum ſint, ſicut & nos vnum ſumus:* & eos monendo, *In hoc*, inquiens, *ſcient omnes, vos meos eſſe diſcipulos, ſi vos mutuo dilexeritis*) inſtitutos reliquit, vt capiti, quod in primis ſuas vices gerere voluit, reliqui vti membra connexi, per toties repetitum præceptum mutuæ caritatis & pacis, vnum corpus complerent. Et quod vas electionis Paulus ait: *Singuli eius membra, & aliorum alii, vt vnius corporis partes forent.* Quod etiam a duobus & ſeptuaginta pariter ab illo electis, & ab aliis qui ad fidem vndique quotidie confluebant: *Multitudinis*, inquit Lucas, *erat cor vnum & anima vna:* & a poſteris per traditionem vtriuſque ordinis, & curam eorum qui illis ſucceſſere, quam diligentiſſime obſeruatum fuiſſe, omnibus qui hiſtorias euoluerint, pleniſſime conſtat. Et deinde per inauditam & incredibilem conſtantiam & fortitudinem eorum aliorumque martyrum, & victorias de ſæuiſſimis tortoribus partas, religione longe lateque per totum orbem diffuſa, & eccleſiis pro conditione locorum & temporum ſuper regiones vel prouincias conſtitutis, & eiſdem præter mandatum exemplumque principis, naturæ quoque ratione edoctis, res omnes diſiunctas per ſe imbecilliores fieri; coniunctas vero, validiores: ſingulæ ſuæ ſaluti diuturnitatique conſulentes, id ipſum ſedulo ſeruare curarunt, dum annis fere ſingulis capite citiuſque cum ſuis mem-

Anno Christi 1512.

Gen. 1.

Mar. 1.

Matth. 17.

Ioan. 17.

Ioan. 13.

Rom. 12.

Act. 4.

ANNO CHRISTI 1512. bris in locum omnibus tutum & commodum coeuntibus, quæ corripi emendarique oporteret, accuratius penſitata atque diſcuſſa, ad incrementum omnia, conſeruationemque religionis, publicam honeſtatem, bonos mores, animarumque ſalutem redigebantur. Interdum etiam, cum res exigeret, ſua cuique iura quaſi municipalia pro ſalute proprii gregis & commodo ſtatuebant. De rebus vero ponderoſis & dubiis ſummum caput, vt communis omnium magiſter & doctor, conſulebatur. Quo fiebat, vt, ſi quando hæreſis vel alia res grauis & pernicioſi exempli alicubi oriretur, præſertim quæ religionem & publice leges offenderet, ad illam eueſtigio reprimendam patres vndique, præcipue tamen probatiſſimi, eruditiſſimi ac integerrimi quique accerſebantur, & ad locum tempuſque aptum, a capite delectum, & ab ipſis approbatum, conueniebant. Vbi non minus ardentiſſima dilectione in Deum, quam mutua inter ſe & erga proximum, quod eſt vniuerſum genus humanum, caritate, omnia ſimul proſpicientes, & ſingula ſedulo ſcrutantes & ponderantes, vt quæ ad omnes pertinerent, ab omnibus reciperentur vel eliminarentur: quæ infringenda diiudicaſſent, pro irritis & inanibus; quæ vero probanda, pro venerandis ſanctiſque ab omnibus habebantur: & ita eorum conſultis atque decretis publice ab orbe vniuerſo parebatur, vt vel ſi plures mundi ſententia Democriti eſſent, eorum iuſſis obtemperaturi viderentur. Hac ratione ſacræ Synodi malis erant metus, bonis ſpes, vitiis pœna, virtutibus præmium, laboribus quies, ſtudiis fomes, incrementum iuſtitiæ. Hac ratione turbulentiſſimæ, ſeditioſiſſimæ ac perniciosiſſimæ hæreſes extinctæ deletæque fuere, & fide ſacroſanctaque religione enucleata & explicata, earumque capitibus & articulis ſtabilitis, mundus, expulſis errorum tenebris, eam aliquamdiu totus retinuit, in qua nunc breuis eius angulus luce ambulat veritatis. Hac ratione tot ſacri & ſaluberrimi Canones, duces præſtantiſſimi ad bene beateque viuendum, & ad temporaneam comparandum, æternamque ſalutem promerendum, per ipſas Synodos ſanciti conſcriptique fuere, quibus non minor fides & auctoritas quam ipſis euangeliis attributa eſt: & quorum ſi quæ a nobis ratio curave haberetur, ad has

sordes fœditatemque morum, ad quas per eorum contemptum & Conciliorum intermissionem deuenimus, non vtique deuentum fuisset. Hac ratione Vrbanus pontifex huius nominis secundus, Synodo habita, totum fere occidentem exciuit, & numerosissimæ ac potentissimæ expeditionis illius auctor factus, Antiochiam & Ierusalem præclara ecclesiæ membra, & alias insignes vrbes & regna cum ingenti gloria recepit. Et post eum, ne amitterentur, Paschalis & Gelasius pontifices supplementis, commeatu & pecunia exercitui in Asia subueniri fecere; & Callistus huius nominis secundus, nongentorum patrum, qua nullus ante & post eum frequentiorem vsquam, in hoc ipso Laterano ad idem opus Synodum habuit, vbi tu quoque, beatissime pater, huius & aliorum exemplo, & recto, vt par est credere, animo, hanc edixisti, quod bonum, faustum felixque tibi, vniuersæ ecclesiæ & nobis omnibus sit, & ad eumdem per illos mouearis effectum. Hac ratione cum alii, tum Innocentius hoc nomine tertius, qui etiam Laterani ad hoc ipsum quingentorum paulo minus patrum Concilio interfuit & præsedit, tanta auctoritate fuere, vt imperatorem & reges Galliarum, Hispaniarum & Neapolis ad idem properandum compulerint. Hac præterea ratione imperatores pedibus nudis, non breui spatio per niues cursim ante mœnia procumbentes, & alii ad pedes pontificum inermium certe, ac sola innocentia munitorum prouoluti, eorum veniam precabantur. Macti virtute & vere felices pontifices, quibus tantum vltro a summis etiam principibus venerationis & verecundiæ pendebatur: feliciores principes, qui in personis hominum tantum Deo timoris cultusque exhibere non hæsitabant. Felicissimi & hi & illi, qui depositis odiis sic ad mutuam dilectionem conuertebantur, vt alterorum alteri quam libentissime onera ferrent, quo lex Redemptoris per vtrosque adimpleretur; quique non ex potentia licentiam, sed contra ex licentia potentiam pensitabant: nec quod sibi placeret, sed quod omnibus expediret, quodque deceret, non quod liceret prospicientes, anteponebant. Denique, qui ex maioribus non eos, quos & ipsi ante gerendum magistratum & omnes boni vituperarent & reprobarent, sed quos scirent omni

Anno Christi 1512.

laude

ANNO CHRISTI 1512. laude commendationeque dignos, imitandos sibi & superandos pro viribus proponebant. Sed quid ego his sideribus immoror, quæ quamuis per se micarent, magna ex parte ab aliis lumen mutuata fuere; & non ad illas fulgentissimas stellas recurro, qui ita perpetuo vixere, ita variis modis pro fide, proque ecclesia certauere; ita denique toti Deo dediti, gratiam eius promeruere, vt facile affirmauerim, multa illum propter eorum merita suamque patientiã sustinere, quæ per suam iustitiam nequaquam sustinuisset? Quis enim, qui eorum facta vel dicta vel scripta scrutari voluerit, non inueniet vel primos illos tres & triginta a Petro Melchiadem vsque vno tenore & viuendi summa cum temperantia, & gerendi magistratum summa cum sapientia, & subeundi quæuis pericula pro fide proque ecclesia summa cum fortitudine, denique migrandi a temporanea vita ad æternam summa cum alacritate & gaudio, ita certasse aduersus Romanum imperium & reliquas orbis terrarum nationes & vires, vt non modo illis inuitis & impugnantibus ecclesiam, pro qua certabant, suo sanguine solidauerint, dilatauerint & extulerint, sed ita ipsos quoque hostes orbis domitores & armis insuperabiles deuicerint, vt sibi corona victoriæ cælique regno per martyrium comparatis, illos illorumque successores ecclesiæ iugo æternum subegerint? Vel subsecutos a Siluestro ad splendidissimum sidus Gregorium Gordiani, totidem quidem numero, quamuis alio rerum cursu tenoreque certandi, persecutione ecclesiæ per Christianos principes in fauorem protectionemque conuersa; ita & præcepta sui principis seruantes, & exempla maiorum sequentes, dignitati incrementoque religionis & ecclesiæ consuluisse, vt ipsi quoque omnes, sicut priores, iure optimo in diuorum numerum sint relati. Tantum præterea pietate, ingenio, disciplina, moderatione, & omni virtutis genere valuisse, vt cum ipsi, tum eorum imitatione posteri quoque immanissima hominum monstra, vel potius sæuissimas feras, Gothos, Vandalos, Longobardos, & alios huiusmodi, eorumque reges vsque adeo leniuerint, vt ex truculentissimis cicures mansuetosque reddiderint: denique labore, inedia, siti, vigiliis, continentia, studio iustitiæ, & illiciti abstinentia lucri, hanc quam videmus

amplitudinem & opulentiam nobis comparauiſſe, per quas deliciis quotidie magis inuoluimur, & opibus pene inſanimus. O felix ſæculum, quod illos viros non morbum, vt alios, rebus eccleſiæ, ſed eius morbis & periculis præſentaneum remedium attuliſti! O te eccleſiam tui ſponſi gratia plus quam prudentiſſimam, quæ ita tuis primordiis conſuluiſti, vt tales tunc, non quales poſtea multis temporibus experta es, rectores defenſoreſque haberes! O *ſolum tunc certe beatiſſimum, quam reuerenter te intueor, oſcularique geſtio, quod illos & tuliſti & aluiſti, & magna ex parte produxiſti! Poſtremo quis eſt, qui hoc etiam in cogitatione auctæ vel conſeruatæ, cum in occidente, tum in oriente, eccleſiæ non perpenderit, ita vtramque partem patres earum inſtituiſſe, vt ſi quando forte inter ſe diſſentirent, acuendi potius ingenia ſtudio, & perficiendi fidei perſpicuitatem, quam peruertendæ cauſa veritatis, tunc quoque modeſtiori quadam æmulatione vtraque abſtineret a vitiis, & bonis moribus inhæreret, & ambæ pariter ad religionis conuerſationem proficerent? Quod *quando tunc valeret, donec præſtari potuit, ſatis & Roma olim, deleta Carthagine, & ab annis aliquot occidentalis eccleſia, orientali collapſa, ſicut experta eſt, ita membra eius quæ recte viuunt & ſentiunt, non ſero pœniteret. Digna profecto res, quæ a multis accuratius cogitetur & ante omnes a te, beatiſſime pater, qui mancam & imperfectam felicitatem tuam putare propterea ſæpe viſus es, quod earum vtrique pariter, totique orbi, quod tuæ ſanctæ ſedi datum eſt, non ſimul præſideres. Eat nunc quiſpiam, & Zoroaſtrem vel Triſmegiſtum, vel Phoroneum, vel Piſiſtratum, vel Lycurgum, vel Solonem, vel Numam Pompilium, vel alios, non dicam cum legifero Redemptore noſtro, ſed vel cum ipſis ſeruis eius, præſertim, quos dixi ſex & ſexaginta, conferat; quos ille ita partitus eſt, vt æqua portione, & plus quam miranda ratione, & primi confitendæ tuendæque veritatis, paſcendarumque ouium curam martyrio; & ſecundi eadem cura voluntatem martyrii terminarent, & alterutri ſuo numero annos eius temporales æquarent: vel aliis occidentalis & orientalis eccleſiæ luminibus anteponat, qui vltra lucem

Anno Christi 1512.

*id eſt, certe

Locus obſcurus.

*quam

ANNO CHRISTI 1512. veritatis, vita etiam, moribus, institutis, scriptis & præceptis longissime illos excelluere, & demum tantum auctoritatis & ipsi consecuti, & successoribus impertiti sunt, vt non præcepto vel imperio, sed nutui eorum subiici, omnes felicitatis loco haberent. Multa grauiter & copiose præco Christi egregius, eruditissimus vir Ægidius Viterbiensis de ratione Conciliorum, deque accepto detrimento per intermissionem, & vtilitate per frequentationem eorum consequenda, disseruit prima oratione, qua hoc sacrum est auspicatus Concilium: aliquanto plura Thomas Caietanus, philosophicæ ac theologicæ rationis vti peritissimus, ita disceptator acerrimus, de triumphante ac militante, deque Pisana, vt ipse appellat, ecclesia. Non paucis etiam præsul Spalatensis, disciplinarum quas dixi, non vulgaris professor, sua cum Turcis prælia pro defensione communis tecum gregis inita descripsit, beatissime pater. Ego quoque perbenigne a te iussus vt idem onus subirem, & humanissime monitus, ne his mihi præuiis factis longissimo cederem interuallo, pro viribus multa de Synodis, earumque definitione, appellatione, origine, causis, numero, conatu & fine, multa de prauis sectis siue hæresibus, multa de apostolis, de martyribus, & de singulis diuorum ordinibus, de comparatione bonorum piorumque sacerdotum cum diuinis spiritibus, de Siluestro pontifice, de Constantino principe, de prima Synodo & eius 318. patribus, omnibus in diuorum numerum relatis, & de reliquis vniuersalibus Synodis singulatim, & aliis memoria dignis, multa distincte de vniuersa triumphante ac militante ecclesia, deque lethifera sibi & aliis turba Pisana, malis consiliis & artibus nixa, & in caput suum more gigantum, conspirationis furiis ac insidiis agitata, & a te quam prudentissime per veri ac legitimi Concilii edictionem confusa & eneruata: vbi de te quoque non pauca, seruato tamen modo, ne Laco natus, & in Concilio constitutus, principi, & meo, & viuo, & præsenti, ac de me bene merito assentari viderer. Post hæc de præsentis Synodi ratione, pro cursu nostrarum rerum ac temporum, in quo, cum ad leuamen fortassis aliarum multarum & ingentium Christiani nominis cladium hoc saltem Deus concesserit, quod hæresibus,

quæ vt plurimum cauſæ Conciliorum fuere, nec publice, nec impune laboramus; reliquum foret decernere, vt inſtaurationi ac propagationi religionis in hoc perangusto Europæ angulo per diſcordias & ignauiam coarctatæ, magna virium parte incumberetur. Sed quoniam tanto operi fruſtra inſiſteremus, niſi prius Deus iratus nobis placaretur, qui in tanta corruptione morum & bellorum ac ſimultatum culpa conſtitutis placari non poſſet: & propterea multis, & acriter in mores, & pleraque flagitiorum & ſcelerum, præcipue tamen in pernicioſam ambitionem, peſtiferam omnium rerum venalitatem & luxum intolerabilem, & innumera deteſtanda quæſtus & nefanda libidinis genera, & execrandas luſiones diebus ſacratiſſimis, earumque comites blaſphemias non ferendas inuecturus; mala etiam conſilia, mutuas fraudes & cupiditatem rerum alienarum, ex quibus diſcordias & bella inteſtina oriri fouerique conſtat, & ſæuiſſimas Chriſtianorum inter ſe trucidationes, ac tanti effuſi ſanguinis, cuius dimidio minus ad profligandum communem hoſtem ſuppetiiſſet, cauſas deteſtaturus; & idcirco de morum corruptione & culparum inhibitione, de tollendis vndique diſcordiis, & pace vbique inſerenda, deque ſalutifera in communem Chriſtiani nominis hoſtem expeditione, & eius impræſentiarum occaſione non pauca; poſtremo te in primis, tuorum verborum non immemor, & deinde imperatorem & reges ſingulatim ac nominatim, & alios principes & populos Chriſtianos, ad illam, quod ſperabam nonnullos eorum adfuturos, hortaturus: multa, inquam, de his, & quæ ad ea pertinent, iam literis & memoriæ mandata, dicenda, & tribus vix horis abſoluenda paraui. Sed vbi animaduerti, quam parum vel Ægidii mei, paucis vel nullis eorum qui ad Concilium expectabantur, ſuperuenientibus, verba profecerint, vel Thomæ eccleſia, etſi nunc egregie per te re nauata, in meliori ſpe conſtituta, maxime Cæſare in tuum ſanctum fœdus recepto, tunc certe adhuc fluctuante: vel Spalatenſis, peruerſe non in Turcas, ſed inter Chriſtianos bellis feruentibus: concidi præ indignatione, fateor, animo; & hoc ex parte vel tuæ ſorti, pro maieſtatis celſitudine, & felicitatis immenſitate;

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. vel meæ, pro exilitatis humilitate; vel, vt rectius dicam, temporis & hominum peruersitati adscribens, quod cum tamdiu tamque vehementer Concilium inuocarent & cuperent, nunc inceptum, etiam vocati & iussi, postponunt: multorum dierum ac noctium labore, vigiliisque abiectis, valereque ad tempus vel perpetuo iussis, ne loco præmii risum, vt ad tempus minus pertinentes, reportarent; quod ad absentes non parua ex parte pertinebat oratio, mutata sententia, his paucis apud te coram sacro senatu & his patribus agendum putaui, cuius & potestatem supremam, & computati cum aliis, numerum vigesimum & centesimum explere, & auctoritatem & sapientiam in quacumque re maximam noui, & voluntatem ad omnia quæ in Concilio agenda, tractanda complendaque sunt, propensiorem esse par est. Quod si id minus ex voto & tua vel aliorum sententia cesserit, & quod initio pollicitus sum, in repetenda primæua figura vel origine Conciliorum & ecclesiæ, & eorum incremento, maiestate potestateque declarandis, vtilitate etiam & commodo, quæ omnibus conferunt, recensendis: denique in reddenda mutatæ meæ sententiæ ratione, parum fortasse fecerim satis, in primis a tua beatitudine, & deinde a ceteris omnibus veniam peto. Et vt in eo merito desinam, a quo incepi, tu sancte Spiritus adsis, & ita meis faueto votis ac precibus, vt quæ tibi grata, summo pontifici, vniuersæ ecclesiæ, & cum suis principibus toti generi Christiano, & dignitati Concilii profutura sunt, ipsi pontifici & his patribus decernenda inspires. Qui cum Patre & Filio in vnitate perfecta viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen. Dixi.

Locus obscurissimus, quales in hac oratione complures.

SESSIO IV.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quingentesimo duodecimo, indictione decimaquinta, pontificatus sanctissimi domini nostri Iulii diuina prouidentia papæ secundi anno decimo, die vero Veneris decima supradicti mensis Decembris, fuit celebrata quarta sessio in ecclesia Lateranensi de Vrbe, præsente & præsidente præfato sanctissimo domino nostro Iulio in loco consueto. Et fuit celebrata Missa Spiritus sancti per reuerendis-

simum in Christo patrem & dominum, dominum Nicolaum tituli sanctæ Priscæ presbyterum cadinalem de Fliſco vulgariter nuncupatum. Fuerunt præsentes infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi & episcopi, ac abbates & magistri ordinum, oratores principum & alii illustrissimi domini, videlicet: ANNO CHRISTI 1511.

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ camerarius.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.
Reuerendissimus dominus Franciscus Sabinensis.
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

Presbyteri cardinales.

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigonienſis.
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Fliſco.
Reuerendissimus dominus Robertus tituli sanctæ Anastasiæ, Nannetensis.
Reuerendissimus dominus Leonardus tituli sanctæ Susannæ, Agennensis.
Reuerendissimus dominus Sixtus sancti Petri ad vincula, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarius.
Reuerendissimus dominus Christophorus tituli sanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sancti Vitalis, Siponti-nus.
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii, Anconitanus.
Reuerendissimus dominus Achilles tituli sancti Sixti, Bononienſis.
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli sanctæ Sabinæ, de Saulis.

Diaconi cardinales.

Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii, Farnesius.
Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin, de Aragonia.
Reuerendissimus dominus Marcus sanctæ Mariæ in Porticu, de Corneliis.
Reuerendissimus dominus Alphonsus sancti Theodori.

Patriarchæ & assistentes papæ.

Reuerendus pater dominus Cæsar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Alphonsus Antiochenus.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1512.

Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Iadrenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Vicentinus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Caietanus.
Reuerendus pater dominus Laurentius Montis regalis epiſcopus, & gubernator Vrbis.
Reuerendus pater dominus Hercules Auguſtenſis epiſcopus, & illuſtriſſimi domini ducis Sabaudiæ orator.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Iulius Corinthienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Raynaldus Raguſinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Noboniaſienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Arborenſis.
Reuerendus pater dominus Robertus Rheginus.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Maria Sipontinus.

Epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Lucas Fulginatenſis.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Buduenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Albenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphenſis.
Reuerendus pater dominus Albertus Valuenſis.
Reuerendus pater dominus Aloyſius Parentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Iacobus ciuitatis ducalis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Ortanus.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbienſis.
Reuerendus pater dominus Bertrandus Adrienſis.
Reuerendus pater dominus Albertinus Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Paulus Lectorienſis.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetenſis.
Reuerendus pater dominus Galaſius Bellunenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.

ANNO CHRISTI 1512.

Reuerendus pater dominus Hieronymus * Inſulenſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Cauallicenſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterranus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Biſignianenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Marianenſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Montis viridis.
Reuerendus pater dominus Antonius Iacobus Camerinenſis.
Reuerendus pater dominus Simon Modruſienſis.
Reuerendus pater dominus Lambertus Venuſinus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Imolenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Signienſis.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriatinenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Nolanus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinus.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Eluenſis.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis.
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Caſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Policaſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Nicienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Launenſis.
Reuerendus pater dominus Philippus Adriacenſis.
Reuerendus pater dominus Hugo Regienſis.
Reuerendus pater dominus Latinus Veſtanus.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Sagonenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Narnienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Spoletanus.
Reuerendus pater dominus Antonius Auximanus.
Reuerendus pater dominus Baſilius Tudertinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Milopotamienſis.
Reuerendus pater dominus Corradus Aſtunenſis.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Scalenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Bellicenſis.
Reuerendus pater dominus Guillelmus Cortonenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenſis.

* *al.* Ilcinenſis.

Reue-

ANNO CHRISTI 1512. Reuerendus pater dominus Andreas Anſarenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aſculanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinenſis.
Reuerendus pater dominus Lucas Gaurdienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Foroliuienſis.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Antonius abbas ſancti Galgani Vulterranenſis diœceſis.
Reuerendus pater dominus Guillelmus abbas monaſterii beatæ Mariæ Britonis.
Reuerendus pater dominus Floremondus abbas monaſterii ſancti Gregorii de Vrbe, ordinis ſancti Benedicti.
Reuerendus pater dominus Georgius Gannenſis, Merſburgenſis diœceſis.

Magiſtri generales ordinum.

Magiſter Thomas generalis ordinis Prædicatorum.
Magiſter Ægidius generalis ordinis eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Bernardinus vicarius Carmelitarum.
Magiſter Angelus beatæ Mariæ Seruorum.

Oratores, & ſenator Vrbis.

Illuſtris dominus Albertus de Carpi, Maximiliani electi imperatoris orator.
Magnificus dominus Petrus de Starcelupis Florentinus, ſenator Vrbis.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis Hiſpaniarum.
Magnificus dominus Iacobus de Saluiatis, & Matthæus de Strozis, dominii Florentini oratores.
Ac etiam fuerunt præſentes tres oratores dominorum Heluetiorũ.

Illuſtriſſimi domini temporales.

Illuſtriſſimus dominus Fridericus marchio Mantuanus.
Dominus Nicolaus de Ruuere.
Illuſtriſſimus dominus Iulius de Vrſinis.
Dominus Octauianus Pallauicinus.
Illuſtris dominus Franciottus de Vrſinis.
Dominus Chriſtophorus de Pallauicinis.
Dominus Stephanus de Comitibus.

Fuerunt etiam præſentes quamplures reuerendi domini protonotarii apoſtolici, auditores cauſarum ſacri palatii & clerici cameræ, ac alii magiſtri in theologia, & doctores diuerſarum profeſſionum clerici & laici.

Fuit habita oratio per reuerendum patrem dominum

Christophorum Marcellum nobilem Venetum, sedis apostolicæ notarium & artium doctorem, cuius tenor in fine præsentis sessionis describitur. Et cantatis orationibus, consuetis litaniis, & benedicta sacra Synodo per pontificem, & aliis solitis Conciliorum ceremoniis, præstitaque ab omnibus prælatis sanctissimo domino nostro consueta obedientia, sanctissimus dominus noster incepit hymnum, Veni sancte Spiritus. Et reuerendissimus in Christo pater dominus Marcus sanctæ Mariæ in Porticu diaconus cardinalis de Corneliis vulgariter nuncupatus, legit euangelium secundum Matthæum, quod incipit: *Exiit qui seminat, seminare semen suum.* Deinde secretarius magnifici domini Francisci Foscari equitis, oratoris illustrissimi dominii Venetorum, dedit quoddam mandatum dicti dominii Venetorum, nomine dicti magnifici domini Francisci, in quo idem dominus Franciscus est constitutus procurator ad interessendum sacrosancto Concilio Lateranensi: & idem secretarius excusauit eumdem dominum oratorem, quia non interesse poterat sessioni propter corporis alterationem. Consequenter idem sanctissimus dominus noster dedit dictum mandatum reuerendo patri domino Thomæ Phædræ secretario Concilii, mandans eidem, vt illud legeret in ambone. Qui dictus dominus Thomas ascendit ambonem, & legit dictum mandatum tenoris infra scripti alta voce & ab omnibus audienda.

Anno Christi 1512.

Matth. 13.

MANDATVM VENETORVM.

Leonardus Lauredanus Dei gratia dux Venetiarum, &c.

Cum sanctissimus & beatissimus in Christo pater & dominus noster, dominus Iulius, digna Dei prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ pontifex maximus, diuino afflatus numine, pro suo pastorali officio, vt verum decet in terris Christi vicarium, & ad extinguendum hæreses, tollendumque pessimum exortum schisma, ac reprimendam eorum temerariam audaciam, qui diabolico spiritu inducti, tunicam inconsutilem Domini nostri Iesu Christi discindere & dilacerare conantur; & denique pro bono pacis omnium Christianorum celebrare decreuerit & iam indixerit generale &

ANNO CHRISTI 1512. vniuersale Concilium in Laterano, nosque inter alios Christianos principes & potentatus eiusmodi sancto operi adesse paterna caritate sit hortatus, sedulam adhibuimus operam, vt status nostri viri ecclesiastici & sæculares, doctrina, religione & moribus præstantes, qui rei conducere possent, sese Romam conferrent. Et ne vlla in re a summa deuotione, reuerentia, cultu & obseruantia nostra erga sacrosanctam sedem apostolicam & eumdem sanctissimum dominum nostrum deesse videamur, cum personaliter interesse nequeamus, vices nostras demandauimus, & tenore præsentium omni meliori modo, via, iure & forma, quibus magis, melius & validius de iure vel de facto a nobis fieri potest & debet, demandamus nobili & dilectissimo patricio Veneto Francisco Foscaro equiti, oratori nostro Romæ agenti, vt sacrosancto Concilio Lateranensi nostro nomine interfit, assistat, & ea omnia præstet & peragat quæ a nobis quoquo modo adhiberi possent, aut incumberent ad honorem, decus, dignitatem, tutelam & conseruationem, amplitudinemque & exaltationem personæ eiusdem sanctissimi domini nostri Iulii secundi summi pontificis, nec non sanctæ Romanæ ecclesiæ ac vniuersalis venerandi Lateranensis Concilii antedicti, cum ampla auctoritate, potestate, facultate atque arbitrio, a nobis cum consiliis nostris sibi tributis & impertitis, ad omnia & singula in tam pio, religioso & salutari negotio, qualia & quantumcumque fuerint tractanda, peragenda, promittenda, iureiurando firmanda, præstanda, executioni mandanda & adimplenda, quæ nobis Venetoque dominio possent competere vel deberent, tam de iure quam de consuetudine, non secus ac si nosipsi cum dominio & senatu nostro coram personaliter ageremus, faceremus & adimpleremus, promittentes omnia & singula ab eodem oratore nostro, quo supra nomine, tam verbo quam scripto in præmissis & circa præmissa pertractanda, concludenda & firmanda, approbaturos nos esse, rataque & grata in perpetuum habituros. In quorum fidem & testimonium præsentes literas nostras in hac patenti forma fieri iussimus, & nostri soliti sigilli, quo in similibus vtimur, appensione muniri.

Datum in nostro ducali palatio die decima Aprilis, indictione decimaquinta 1512. ANNO CHRISTI 1512.

Quo perlecto, idem sanctissimus dominus noster mandauit eidem domino Thomæ secretario, vt legeret quasdam literas claræ memoriæ Ludouici regis Francorum XI. sigillo eiusdem sigillatas, directas felicis recordationis Pio papæ secundo, super reuocatione pragmaticæ sanctionis: qui dominus Phædra in eodem ambone legit dictas literas alta & intelligibili voce, cuius tenor talis est.

LITERÆ LVDOVICI REGIS FRANCIÆ abrogationis pragmaticæ sanctionis.

Ludouicus Dei gratia Francorum rex, tibi sanctissimo ac beatissimo patri nostro Pio papæ secundo, obedientiam filialem, & plenos deuotionis affectus.

Deum solum scientes, cuius prouidentia bene consulitur rebus humanis, meliusque regna & vrbes religione angi atque defendi, quam armis & mœnibus, te vicarium Dei viuentis ea veneratione prosequimur, vt sacra præsertim in ecclesiasticis rebus tua merita, veluti vocem pastoris audire, illisque parere prompta mente velimus. Quapropter, beatissime pater, etsi constitutio quædam in regno nostro, quam pragmaticam vocant, magno prælatorum conuentu, magna temporis deliberatione concluſa fuerit, & iam callum obducens, quietum prope fixerit statum: tu tamen tuis ad nos literis illam a regno nostro auferri, explodi abrogarique flagitas. Nobis quoque dilectus & fidelis consiliarius noster Ioannes episcopus Atrebatensis, quem cum potestate legati de latere ad hoc nostrum regnum misisti, commemorauit ea, ad quæ per ipsum tibi nostro nomine pollicenda, vouenda, expromittenda, nos antequam regnum suscepissemus, religionis in se ritus quidam deduxerat. Nos nostra promissa exequi, accedente moderatrice rerum ecclesiasticarum tua auctoritate, studemus ac volumus, & id quidem tanto volumus animo propensiori, quanto nobis regnum Franciæ florens & bello vacuum tuetur Deus & protegit. Omnibus itaque victimis potiorem obedientiam intelligentes, assensi sumus his quæ tuo nomine no-

ANNO CHRISTI 1512. bis aperta sunt, ipsam scilicet pragmaticam sanctionem tibi tuæque sedi esse infensam, vtpote quæ in seditione & schismatis tempore, atque per seditionem, sectionis a tua sede figuram, nata sit: & quæ, dum tibi, a quo sacræ leges oriuntur & manant, quantamlibet eripit auctoritatem, omne ius & omnem legem dissoluit. Illud enim exoritur, quod idem consiliarius in nomine tuæ sanctitatis adstruxit, vt dum per pragmaticam sanctionem ipsam summa in ecclesia tuæ sanctitatis auctoritas minuitur, dum prælatis in regno nostro quoddam licentiæ templum præstruitur, dum congruens vnitas ad alia regna conformitasque tolli videtur, abroganda sit ipsa pragmatica, tollendaque a regno nostro, quippe quæ aduersus tuam sedem, omnium ecclesiarum * matronam, ab inferioribus prælatis lata sit, tamquam, vt scriptura loquitur, *Quomodo si eleuetur virga contra leuantem se, aut baculus, qui vtique lignum est.* Quidquid, beatissime pater, licet plerique docti homines confutare niterentur atque diluere, multaque nos dehortarentur abrogare sanctionem ipsam; te tamen principem totius ecclesiæ, antistitem sacrorum, te dominici gregis pastorem profitemur & scimus, teque iubentem sequimur, tibi & beatissimi Petri cathedræ consentimus & * iniungimur. Itaque sicut mandasti, pragmaticam ipsam a regno nostro, nostroque Viennensi Delphinatu & omni ditione nostra per præsentes pellimus, deiicimus, stirpitusque abrogamus, & quam, qualemve ante pragmaticæ ipsius editionem, circa ecclesiarum, beneficiorum, aliarumque rerum spiritualium dispositionem, censuram, moderationem in regno nostro, omnique ditione nostra, tui prædecessores Martinus quintus & Eugenius quartus Romani pontifices habebant & exercebant, talem eamdemque nostro adiutorio beatissimo Petro tibique ipsius successori reddimus, præstamus & restituimus, cum summo imperio, cum iudicio libero, cum potestate non coarctata. Tu enim, cum scias quid auctoritate diuinitus tibi tradita possis, quas pro regni nostri & ecclesiarum in eo tranquillitate postulabimus, non negliges res necessarias, poterisque semper quod opportunum fuerit iudicare. Vtere igitur deinceps in regno nostro potestate tua, vt voles, atque illam exerce. Nam vt hominum mem-

* f. matrem

Isai. 10.

* iungimur.

bra nulla contentione, capite vno atque vna mente ducuntur, sic tuis sacris decretis ecclesiæ prælati in regno nostro & Delphinatu consonantiam & obedientiam plenam refundent. Quod si forte obnitentur aliqui, aut reclamabunt, nos in verbo regio pollicemur tuæ beatitudini, atque promittimus exequi facere tua mandata, omni appellationis aut oppositionis obstaculo prorsus excluso, eosque qui tibi contumaces fuerint, pro tuo iussu comprimemus & refrenabimus. ANNO CHRISTI 1511.

Datæ Turonis sub magno sigillo nostro, die vigesimaseptima mensis Nouembris, anno Domini 1461. & regni nostri primo.

Postmodum vero excellens doctor Dominus Melchior de Bardassinis aduocatus Concilii, habuit orationem multum ornatam & luculentam super reprobatione pragmaticæ sanctionis, petens illam reuocari & annullari, ac decerni monitorium contra prælatos, capitula, conuentus, principes Franciæ, præsidentes parlamentorum, & alios, sua communiter vel diuisim interesse putantes, vt comparere deberent ad allegandum, quare dicta pragmatica reuocari non debet. Et illud idem petiit dominus Marianus de Cuccinis procurator fisci, & sacri Concilii procurator. Et sanctissimus Dominus noster, hoc sacro approbante Concilio, decreuit monitorium & citationem sub termino sexaginta dierum tenoris infra scripti.

MONITORIVM CONTRA PRAGMATICAM & eius assertores.

Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Licet sacrorum Canonum instituta, sanctorũ patrum & Romanorũ pontificum prædecessorum nostrorum, & in generalibus legitimis Conciliis pro defensione ecclesiasticæ libertatis, dignitatisque sedis apostolicæ tuitione, consultissima deliberatione sancita, inuiolabiliter ab omnibus custodiri oporteat, ipsorumque decreta, veluti diuina inspiratione edita, immutabilia censeantur; Romanus tamen pontifex, qui regis æterni, rerumque & iurium omnium conditoris locum, licet imparibus meritis, tenet in terris, cum huiusmodi decreta saluberrima & honesta,

ANNO CHRISTI 1512. hominum calliditate & ambitione vergi conſpiciat in abuſum, & humanas traditiones Chriſti legibus anteferri, vt eccleſiæ indemnitati & libertati opportune ſubueniat, & præſumptam curet deponere malitiam peruerſorum, eorumque conatibus occurrat: interdum cogitur abuſiones & humanas traditiones huiuſmodi nullas & inualidas declarare & abrogare, prout temporum & locorum qualitate penſata, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem diſplicenter per nos pluries accepto, per multa temporum ſpatia, per nonnullos prælatos Gallicæ nationis, & nobiles laicos, ac alios illis fauentes, præſertim cuiuſdam ſanctionis prætextu, quam ipſi pragmaticam vocant, apoſtolicæ ſedi, ſanctæque Romanæ vniuerſalis eccleſiæ capiti, libertati & auctoritati enormiter detractum, Canonibuſque præfatis derogatum fuiſſe, rem adeo pernicioſam in Dei offenſam, & eccleſiæ præfatæ vilipendium & euidens detrimentum, amplius ferre nequeuntes, cum ſanctio ipſa ab omni ad id poteſtate carentibus, nullorumque Romanorum pontificum aut generalium legitimorum Conciliorum auctoritate facta, ſed quodam abuſu tantum in illis partibus introducta & obſeruata fuerit, illaque cum in ea contentis nulla & inualida merito declarari & abrogari debeat, quam etiam claræ memoriæ Ludouicus XI. Francorum rex abrogauit, vt in eius patentibus literis deſuper confectis plenius continetur, ſacro Lateranenſi Concilio approbante, in quarta ſeſſione, declarationis & abrogationis per nos faciendarum, huiuſmodi negotium & diſcuſſionem venerabilium fratrum noſtrorum Romanæ eccleſiæ præfatæ cardinalium, & aliorum prælatorum congregationibus in Lateranenſi ſala ſuperiori, quatenus opus foret, faciendis, relationemque diſcuſſionis nobis & Lateranenſi Concilio præfato faciendam commiſimus, Gallicoſque prælatos, capitula eccleſiarum & monaſteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuſcumque dignitatis, etiam ſi regalis exiſterent, ſanctione præfata abutentes, ſeu illam approbantes, omneſque & ſingulos alios, ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateret acceſſus, in Mediolanenſis, Aſtenſis & Papienſis eccleſia-

rum valuis affigendum, moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram nobis & Concilio præfato, cauſaſque dicendas, quare ſanctio præfata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus auctoritatem, dignitatem & vnitatem eccleſiæ Romanæ præfatæ & apoſtolicæ ſedis, Canonumque prædictorum & eccleſiaſticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non deberet. Illoſque ſic monitos & citatos arctari & teneri, ac ſi perſonaliter moniti & citati fuiſſent, ſtatuimus & ordinamus, ac quintam ſeſſionem decimaquarta Kalendas Martii, quæ erit quarta feria poſt primam Dominicam quadrageſimæ proxime futuræ, faciendam, eodem ſacro Lateranenſi Concilio approbante, indiximus. Nos igitur, quorum intereſt, ne indefenſæ libertatis eccleſiaſticæ ratio in extremo iudicio a nobis requiri poſſit, & peruerſorum & ambitioſorum proteruia diutius conualeſcat, declarationis, abrogationis & diſcuſſionis negotium, monitionis & citationis ſtatutum & decretum huiuſmodi debitæ executioni demandare, omnes & ſingulos Gallicos prælatos, capitula, ſeu conuentus, parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuſcumque dignitatis, etiam ſi regalis extiterint, ſanctione præfata abutentes, ſeu illam approbantes, omneſque alios & ſingulos, ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, vt præfertur, ex certa noſtra ſcientia, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium, primo, ſecundo, tertio & peremptorie citamus, monemus & requirimus, quatenus infra ſexaginta dierum ſpatium, a die præſentium in locis ſupradictis affixionis numerandum, quorum viginti pro primo, alios viginti pro ſecundo, & reliquos viginti dies pro tertio & peremptorio termino monitione canonica aſſignamus, ad comparendum coram nobis & Concilio Lateranenſi præfato, cauſaſque dicendas, quare ſanctio præfata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus auctoritatem, dignitatem ac vnitatem eccleſiæ Romanæ & ſedis, Canonumque & eccleſiaſticæ libertatis prædictorum violationem, nulla & inualida declarari, decerni & abrogari non debeat. Quo termino aſſignato, ſiue comparere ſic moniti & citati curauerint, ſiue non, ad executionem negotii,

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. negotii, decreti, abrogationis & ſtatuti prædictorum, illorumque & aliorum in præmiſſis neceſſariorum, prout iuſtum fuerit, eodem ſacro Lateranenſi Concilio approbante, procedemus. Et cum pro citationibus & monitionibus huiuſmodi ad partes illas tutus non pateat acceſſus, ne præfati ſic moniti & citati, aliique quos præſentes literæ contingunt, valeant de præmiſſis ignorantiam allegare, & prætextu ignorantiæ huiuſmodi aliquod velamen excuſationis aſſumant, volumus literas ipſas in valuis prædictis iuxta decretum & ſtatutum huiuſmodi affigi, & ipſam affixionem publicari. Decernentes etiam, quod earumdem literarum publicatio ſic facta perinde eoſdem ſic monitos & citatos arctet, ac ſi literæ ipſæ die affixionis & publicationis huiuſmodi eis perſonaliter lectæ & inſinuatæ forent, cum non ſit veriſimilis coniectura, quod ea quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis contrariis quibuſcumque, ſeu ſi monitis & citatis prædictis, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim a dicta ſede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ citationis, monitionis, requiſitionis, aſſignationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1512.

Deinde excluſis a loco Concilii omnibus aliis non habentibus voces definitiuas, exceptis oratoribus principum & baronibus & pluribus principalibus ordinum, & porta Concilii clauſa, ſanctiſſimo domino noſtro cum cardinalibus & aliis prælatis in pluuialibus & caſulis & dalmaticis mitratis exiſtentibus, prout eſt conſuetum, reuerendus pater dominus Alexander epiſcopus Alexandri-

nus de mandato suæ sanctitatis ascendit ambonem, & legit schedulam seu bullam tenoris infra scripti. ANNO CHRISTI 1512.

BVLLA SECVNDA SESSIONIS QVARTÆ sacri generalis Concilii Lateranensis.

Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Saluti gregis nobis desuper commissi, morum reformationi defensionique ecclesiasticæ libertatis, ac fidei catholicæ tranquillitati & augmento, paternis & solicitis studiis intendentes, ad omnipotentis Dei & indiuiduæ Trinitatis laudem & gloriam, sacro hoc approbante Concilio, literas nostras a nobis dudum emanatas, eidem Concilio notas, per quas Romanæ curiæ officiales & illorum exactiones generaliter reformauimus, approbamus & innouamus, illasque, quas per nonnullos postea tunc expressos ad fidelium vtilitatem iuxta intentionem nostram declarari mandauimus, per præfatos expressos, & cum illis alios diuersarum nationum prælatos, nunc in præfato Concilio præsentes deputandos, omnibus quæ iudicium humanum peruertere possent, cessantibus, vt iustum & æquum fuerit, particulariter declarari, & declarationes ipsas, in aliis sessionibus nobis in hoc sacro Concilio referendas, & ab eodem Concilio approbandas, vt debite exequantur, præcipimus & mandamus. Insuper cum iam per multa temporum spatia per nonnullos prælatos Gallicæ nationis, & nobiles laicos, ac alios illis fauentes, præsertim cuiusdam sanctionis prætextu, quam ipsi pragmaticam vocant, apostolicæ sedi, sanctæque Romanæ vniuersalis ecclesiæ capiti, libertati & auctoritati enormiter detractum, sacrisque Canonibus derogatum fuerit: nos rem adeo pernicioſam in Dei offensam, & ecclesiæ præfatæ vilipendium & euidens detrimentum, amplius ferre nequeuntes, cum sanctio ipsa ab omni ad id legitima potestate carentibus, nullorumque summorum pontificum, aut generalium legitimorum Conciliorum auctoritate facta, sed quodam abusu tantum in illis partibus introducta & obseruata fuerit, illaque cum in ea contentis nulla & inualida merito declarari & abrogari debeat; quam

ANNO CHRISTI 1512. etiam claræ memoriæ Ludouicus vndecimus Francorum rex abrogauit, vt in eius patentibus literis desuper confectis plenius continetur. Declarationis igitur & abrogationis per nos faciendarum huiusmodi negotium & discussionem venerabilium fratrum nostrorum ecclesiæ præfatæ cardinalium & aliorum prælatorum congregationibus, quas in Lateranensi sala superiori, quatenus opus fuerit, facient, relationemque discussorum in prima, aut aliis sessionibus, prout commode fieri poterit, nobis & sacro Concilio faciendam, eodem sacro Concilio approbante, committimus, Gallicosque prælatos, capitula ecclesiarum & monasteriorum, parlamenta, & laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiam si regalis existerent, sanctione præfata abutentes, seu illam approbantes, omnesque & singulos alios sua communiter vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateat accessus, in Mediolanensis, Astensis & Papiensis ecclesiarum valuis affigendum, moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram nobis & Concilio præfato, causasque dicendum, quare sanctio præfata, illiusque corruptela & abusio in concernentibus auctoritatem, dignitatem & vnitatem ecclesiæ Romanæ & apostolicæ sedis, sacrorumque Canonum & ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari, decerni, & abrogari non debeat, illosque sic monitos & citatos arctari & teneri, ac si personaliter moniti & citati fuissent, statuimus & decernimus. Vlterius omnes & singulas prouisiones, collationes beneficiorum ecclesiasticorum, confirmationes electionum & postulationum, concessionum gratias, mandata & indulta quæcumque, tam gratiam, quam iustitiam, seu mixtim concernentia, cuiuscumque tenoris existant, quæ præsentibus pro expressis haberi volumus, per synagogam vel Conciliabulum Pisanum, illiusque schismaticos adhærentes, auctoritate & dignitatibus omnibus carentes, facta & concessa, quamuis sint nulla & inualida, pro potiori tamen cautela, nulla & irrita, nulliusque roboris vel momenti esse, omnesque & singulos cuiuscumque dignitatis, status, gradus, nobilitatis, ordinis & conditionis existentes, quibus concessa fuerunt, aut quorum

commodum, vtilitatem seu honorem quomodolibet respiciunt, nullos eorum fructus, redditus & prouentus suos facere, vel hactenus feciſſe, ſed ad illorum reſtitutionem, & ipſorum beneficiorum, & aliorum præmiſſorum conceſſorum dimiſſionem teneri, & niſi beneficia ipſa & alia eis conceſſa infra duos menſes a data præſentium computandos realiter & omnino dimiſerint, etiam aliis beneficiis eccleſiaſticis, quæ iuſto titulo poſſident, eo ipſo priuatos exiſtere, dicto ſacro approbante Concilio, decernimus. Fructus quoque, redditus & prouentus huiuſmodi, ac quaſuis pecunias decimarum per dictum Conciliabulum impoſitarum, exactos & exigendos, expeditioni contra infideles faciendæ applicamus. Vt autem declaratio reformationis & nullitatis ſanctionis prædictæ, aliaque gerenda mature exequi, & prælati ad ſacrum Concilium huiuſmodi venturi, quorum aliquos iam iter ad veniendum arripuiſſe accepimus, commode venire poſſint, quintam ſeſſionem decimoquarto Kalendas Martii, quæ erit quarta feria poſt primam Dominicam quadrageſimæ proxime futuræ, faciendam, præfato ſacro Concilio approbante, indicimus. ANNO CHRISTI 1512.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, innouationis, præcepti, mandati, commiſſionis, monitionis, citationis, ordinationis, decreti, applicationis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ in publica ſeſſione in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1512. quarto Idus Decembris, pontificatus noſtri anno decimo.

Ia. Queſtemberg.

Qua perlecta, idem reuerendus pater dominus Alexander epiſcopus petiit a patribus exiſtentibus in Concilio, an placerent reuerendis paternitatibus ſuis contenta in ſchedula ſeu bulla. Et immediate ſcrutatores votorum vna cum protonotariis & notariis iuerunt ad recipiendum vota patrum. Et omnes, poſt ſanctiſſimum dominum

ANNO CHRISTI 1512. nostrum, qui respondit per verbum, Placet, responderunt, placere eis contenta in schedula.

Postmodum vero de mandato præfati sanctissimi domini nostri, ad instantiam domini Mariani de Cuccinis procuratoris, discreti viri domini Petrus Mengiuar & Ioannes Bernardi, præfati domini nostri cursores, ad portas Concilii alta & intelligibili voce citarunt omnes interesse debentes, tam de iure, quam de consuetudine, Concilio; & vocauerunt eos, vt accederent ad interessendum Concilio, ad euitandum pœnas contentas in iure & bullis indictionis contra non venientes ad Concilium. Relatione facta, idem dominus Marianus accusauit contumaciam absentium, & petiit decerni citationem contra eos, ad videndum se declarari in proxima sessione: & sanctissimus dominus nihil respondit.

Deinde reuerendus pater dominus Alexius episcopus Melfitanus, procurator reuerendi patris domini Raphaelis episcopi Malfiensis, ad interessendum Concilio, & eum excusandum, dedit quoddam mandatum subscriptum per discretum virum Guillelmum de Voys clericum Cenomanensem, apostolica auctoritate notarium. Et reuerendus dominus Rodericus Ioannis, abbas beatæ Mariæ de Tauoica Tudensis diœcesis, procurator reuerendi patris domini Henrici episcopi Septensis * primus * Africanus, dedit mandatum dicti episcopi subscriptum propria manu, & eius proprio sigillo sigillatum. Postmodum vero venerabilis vir dominus Ioannes Roderici de Tapia, portionarius ecclesiæ Cordubensis, procurator reuerendi patris domini Gometii de Toleto episcopi Placentinensis, dedit quoddam mandatum dicti episcopi, subscriptum per discretum virum dominum Ferdinandum de Toro clericum Placentinæ diœcesis, publicum apostolica auctoritate notarium, ad interessendum Concilio, & eumdem dominum episcopum excusandum. Deinde supradictus dominus Marianus procurator Concilii, petiit de omnibus & singulis actis & gestis in supradicta sessione instrumentum & instrumenta. Et fuit indicta quinta sessio decimoquarto Kalendas Martii proxime futuri. Et hæc fuerunt pro quarta sessione. Qua absoluta, sanctissimus dominus noster volens Deo gratias de gestis reddere, incepit canta-

re hymnum exultationis, Te Deum laudamus, capella prosequente vsque ad finem. Quo finito, sua sanctitas, cum cardinalibus & prælatis exeuntibus de loco Concilii, equitauit ad palatium sancti Petri in Vaticano. ANNO CHRISTI 1512.

Hæc fuit vltima sessio, in qua interuenit personaliter sanctissimus dominus noster Iulius secundus, qui etiam tunc infirmabatur aliqualiter, adeo quod causante graui ægritudine & crescente, in quinta sessione tenta tempore suo non potuerit personaliter interesse.

Christophori Marcelli in quarta Lateranensis Concilii sessione habita oratio.

Si quis ante miratus sit, beatissime pater, quod ad laudatissimum hoc dicendi munus admissus quispiam non satis dignus apparuit, hoc tempore mirandum potius esse videtur, cum me, neque alias hoc genere laudis functum, neque, de more, candidatum, videat hunc ascendisse locum, hanc prouinciam tanto cum animo suscepisse. Sed profecto non est cur mirari debeat, si tuam inspiciat pietatem, si meam in te obseruantiam, tuæque in me gratiæ conquirendæ seruandæque studium recognoscat. Iussisti tu, pater sancte, & parui: hoc munere me dignum efficere voluisti, & contemnere nolui, sed animo libenti suscepi: ad quod alioquin me nulla causa, nullum iudicium, nulla sententia compellere potuisset. Idque vnum me magis inter alia recreat, quod ea de re dicturus sum, sola cuius amplitudine quæuis facile splendere potest oratio. Dicendum est enim de officio principis, quo suam recte ciuitatem componat, regat, instituat. Dicendum, inquam, his temporibus, quibus sanctissima Christiana respublica varia ciuium confusione visa est maxime perturbari. Neque ita mihi dicendum, pater sancte, vt te moneam quidquam aut doceam, quod vsque modo non egeris: sed ex his quæ dixero, quisque probitatem tuam, vires, ingenium, optimeque administratum imperium magis ac magis intelligat, ad bene beateque viuendum animetur, deformitatem abiiciat, consuetudinem mutet, tibi optimo maximoque principi læto inseruiat animo. Quod vtinam, te duce, assequi valeamus, vt maiores laudes, quam vel quisque meruerit ante, vel mente

ANNO CHRISTI 1512. concipere possumus, sub tuo tibi cumulatissime contingant imperio. Dicam igitur tuis fretus auspiciis, sacratissime pontifex. Si qua vlla in re (quod non ambigo) sed in multis defecero, sic veniam dabis, vt omnes sat esse sciant, me tua in primis auctoritate suffultum, in re magna dixisse quidquam, sed longe melius voluisse. Cum rerumpublicarum ea præstantissima sit (vt philosophi attestantur omnes) quæ ab vno tantum principe & ciuili peritia prædito & bonis moribus instituto regitur, duas præcipuas eius partes inuenio: quarum altera ad virtutes & iudicium pertinet, altera ad rerum agendarum necessitatem, quam imperatoriam vocant. Si enim princeps ciuitatem suam bene institutam, ciuesque in ea ad bene agendum promptos esse voluerit, ipse prius, tamquam speculum in quo bonarum actionum imagines splendeant, virtutes sequatur, amplectatur & præferat, operæprecium est. Namque semper ad principum mores omnis ciuitas omnisque respublica componi solet, in quos omnium vertuntur oculi, alliciuntur animi, suoque non amplius, sed eorum arbitrio & consuetudine viuunt. Ita enim cum principi tamquam præstantissimo cariores fieri, inuicemque præstare, natiuo quodam instinctu percupiant, illum pro viribus imitari studeant, eius vestigia sequi, atque ita mores imbibere, vt nihil aliud agere, nihil excogitare penitus videantur. Inde visi sunt ciues pro duce forti fortes maxima subire pericula, mortemque ipsam oppetere: inde abstinentes fieri, iusti, modesti, cauti, liberales, magnanimi, ceterisque virtutibus præditi, & tamquam ab vnico eorum sole suum quisque splendorem accipere. Quid de vitiis dicam? Cum natura semper ad malum prona pro sensuum voluptatibus, quibus negotium commune habemus cum feris, si male agendi ciues in principe amplum & manifestum habent exemplum, citius ad eius imitationem accedunt, currunt, aduolant, imo ipsum facile exuperant. Hinc apertæ tyrannides, inhonesta lucra, corruptiones, rapinæ, ambitiones, Dei contemptus, ciuitatum mutationes, rerumpublicarum iacturæ: hinc sæuitiæ, variaque tormentorum genera, stupra, incestus, sacrilegia & mille mortes quotidie inspiciuntur. Virtutis autem imitatio, etsi difficilior aliis videa-

tur, cum tamen ad rationis ſtimulos & ignes aduertimus, nulla eſt magis delectabilis, nulla dulcior, nulla ſuauior: qua non tantum opus, vt in pleriſque aliis, ſed etiam eius auctorem ſuſpicimus & laudamus. Ex quo ſapiens illud Antiſthenis, Iſmeniam optimum fuiſſe tibicinem, ſed nequam hominem, aſſerentis. Nam ſi probus foret, non eſſet vtique tibicen. Neque vllus vnquam ingenuus vehementer etiam admiratus Iouem, aut Iunonem inſpiciens, Phidias aut Polycletus fieri concupiuit. Atque ideo virtus in cunctis per ſe amabilis & honorabilis, ſed in principe, velut in maxime ingenuo, præcipue commendatur: ſine qua nihil probum, nihil ſanctum, nihil egregium fieri excogitarive poteſt. Sed quoniam virtutum omnium fons & origo eſt amandi virtus, qua Deum optimum maximum noſcimus, colimus & veneramur, qua bonitatem eius, pulcritudinem, potentiam, maieſtatem, rerumque omnium ab eo exitum gradatim, noſquemetipſos aduertimus, conſpicimus & amamus, præ ceteris eſt in principe collocanda. Hac enim religioſus fiet & optimus, hac optime ſuam ciuitatem cuſtodiet, Deo & hominibus gratus. Longe namque melius amore quam metu ciuitatis imperium continetur. Metus plerumque odium affert. Id autem publici boni deſpectum, & priuati ſtudium parit: ex quo ſeditiones, rixæ, diſcordiæ, & rerumpublicarum euerſiones denique exoriuntur. At cum ciues a principe ſe amari perſpexerint, in ſententiam vnam coibunt omnes, rem illi gratam facere, inſeruire, muneraque ſibi impoſita exequi ardentiſſime procurabunt, & veluti facibus quibuſdam accenſi, nihil erit tam arduum, tam noxium atque difficile, quod libenti non expediant animo, quantumuis terribilis præ oculis eorum adſtaret interitus. Tot ſunt hac in re maiorum noſtrorum exempla, qui pro patria, pro virtute, pro gloria, niſi diuino quodam ardore correpti, nunquam occubuiſſent. Tot in ſanctiſſima Chriſti familia martyrum teſtimonia, qui acerrimos cruciatus, extremaque vitæ ſupplicia hac amandi virtute, tamquam aliarum omnium radice, perpeſſi ſunt, quod enumerare non poſſumus. Hæc eſt illa virtus, quæ infima ſupremis coniungit, quæ diuina omnia & humana complectitur, omnia perficit, omnia firmat, omnia

ANNO CHRISTI 1512.

ANNO CHRISTI 1512. nia subsistere facit. Hac mundus ipse productus, supernæ creatæ mentes. Hac totius vniuersi quam admirabilis ordo concluditur? Quæ naturæ sunt, omnia ex immensa illa obscuritate & confusione in lucem ordinemque redacta, imo & lux ipsa, quam inquiunt e cælo in terram Prometheum detulisse, omnisque & vitæ & sapientiæ splendor inde processit. Hæc denique virtus, imo virtutum omnium parens, eo magis est terreno principe digna, quo Deus ipse mundum suo iure gubernat. Hanc si perfecte calluerit princeps, tenore vno, velut ab Herculeo lapide pendentes virtutes alias assequetur, ictibus fortunæ resistet, cum ea certabit & vincet: nihil nimio amore vel odio, nimia lætitia vel dolore, spe vel desiderio prosequetur: sed optime ex vtroque contrario compositam, & ad medium redactam, in seipso pariet harmoniam, quam mox in ciuitate diffundet, voluptates abiiciet, aspernabitur opes, omnem ambitum ac inanem gloriam propulsabit: omnia illi ad vota succedent, optime imperabit, suumque felix augebit, auctumque perpetuo conseruabit imperium. Sed ad imperatoriam artem, quæ principi magis est propria, iam conuenit vt accedamus. Imperatoriam artem veluti principi summe necessariam, ita aliarum omnium præstantissimam credimus. Si enim in hoc distat princeps a ciue, quod regit & imperat, hic vero regitur & gubernatur; vtrisque eædem aut dignitate pares artes esse non possunt. Quæ principis ergo præstantior, cum tam varia tamque multiplicia in ciuitate spectet officia, tot artes, quas liberales & mechanicas vocant, tot magistratus, ceremonias, ritus ac humanæ vitæ consuetudines, quæ a principis regimine pendent, est vtique difficilis cognitu, sed difficilior comparatu, ideoque in paucissimis semper inuenta. Neque ex omnibus artibus quamdam vnam conflari posse censendum, quæ conueniat principi, sed eam esse, qua vir bonus & sapiens cum ratione rempublicam administrat ad subditorum salutem. Quæ vero pro varia temporum expectatione in republica debeat agere princeps (vt paulo altius repetamus) sunt de ferendis legibus, de opibus, de bello & pace, de locorum & regionum custodia, & de his quæ ad communem populi conuentum faciunt, pertractare, con-

ANNO CHRISTI 1512.

sulere, deliberare. At quoniam quandoque non est ea regis prudentia, quæ vniuersos valeat supplere defectus; neque talis rex ipse in ciuitatibus nascitur, auctore Platone, qualis inter apum examina statim a principio ceteras antecellens exoritur: plurium consilio in statuendis legibus, aliisque rebus agendis, vtatur necesse est. Ita namque multorum sententia confirmata magis, & laudabilior & gratior & acceptior cunctis efficitur. Neque inde principi auctoritatis quidquam adimitur, sed eius virtus, probitas, sanctitas amplius eluceſcit. Ad ferendas autem leges, non ex suo tantum capite, sed etiam a maioribus traditas, conuenit vt princeps accipiat, vtiles admittat, superfluas deleat, superstitiosas abiiciat; quæ rectæ rationi consonant, obseruandas instituat. Diuina profecto hæc est legum peritia, & adeo mortalibus necessaria, vt sine ipsa in cœtu viuere, quidve ad publicum vitæ bonum conferat, agnoscere nequeant: vel si noscant, id semper nequaquam velint aut possint, eo quod ad priuatam commoditatem natura eos mortalis semper impellit. Atque ideo ars omnis, omnis multitudo, omne officium, magistratus omnis, priuatumque omne & publicum regimen legibus indiget, & domus, & ciuitas, & respublica, & præfecturæ, & exercitus, & cuiusque denique sigillatim hominis vita. Sine legibus fluctuant omnia, omnia titubant & in perturbatione sunt posita. His sublatis, æquitas aufertur, iustitia perit, religio tollitur, negligitur ratio, mens offuscatur, vilescit animus, amicitiæ corruunt, odia insurgunt, omnis recte viuendi modus, omne denique bonum amittitur & ruit in præceps. Diuina siquidem & humana, cælestia & terrena, animantia & vitæ carentia, & quæcumque in vniuerso consistunt, legibus indigent, legibus disponuntur: legibus affectiones, vires, habitus, actiones, officia numerantur.

Neque traditas tantum leges princeps debet accipere, sed pro temporis mutatione alias condere. Et in primis, quæ ad animum pertinent, ad religionem, ad mores, ad vitæ consuetudinem, ad concordiam, ad animi tranquillitatem, ad bene beateque viuendi rationem inspicere. Hinc bene merentibus præmia, fauores, largitiones, beneficia, magistratus: demerentibus mulctas, castigationes,

ANNO CHRISTI 1512. correctiones, exilia, depressiones impendere, eosque tamquam putrida reipublicæ membra adurere, abscindere, amputare, ne totum corpus inficiant. Quocirca toties frequentissimæ Synodi & œcumenica, ex toto fere terrarum orbe conuocatis patribus, sunt hinc inde celebrata Concilia, sanctissimæ confirmatæ leges, institutiones mutatæ, hæreses abiectæ, castigati errores, difficultates solutæ, veritas probata, seditiones extinctæ, concordia restituta, vna monstrata fides, vna religio, vnus princeps, qui summam in terris habeat potestatem. Taceo quæ tamquam euangelia quatuor venerari debemus. Taceo a Victore pontifice Alexandrinum conuocatum Concilium, a Dionysio Antiochenum, ab Innocentio Lugdunense prius, & recentius a Gregorio quingentorum patrum numero celebratum, vbi Constantinopolitani patriarchæ & Palæologi imperatoris præsentia, post tertiumdecimum orientalis ecclesiæ ab occidentali recessum, vnio restituta fuit, sponteque sua nonnulli ex ferocissimis Scytharum gentibus sacri lauacri felicia insignia susceperе. Sileo, quibus alia Græcorum & aliorum pernicioſissima extincta sunt schismata. Prætereo, quæ regibus & principibus silentium, legesque imposuerunt & frena. Ea denique in vniuersum omitto, quibus pro reformanda ecclesia, pro negligendis deliciis, abiicienda pompa, fastu, luxu, mollitie, omnique extinguenda libidine, sanctissima instituta sunt edita. Quæ si recensere proponerem animo, nedum vobis in dicendo, patres, sed mihi ipsi in connumerando deficerem. Id vnum præterire non possum, quod vbi sanctissimum hoc pro nouandis legibus, ac sedanda seditione, a te nostro omnium patre Iulio secundo pontifice maximo, apud Lateranum fuit conuocatum Concilium, hisque diebus, quibus haberi debebat, de totius ecclesiæ summa actum esse videbatur, quando audita est cruentissima illa & nunquam satis deplorata Rauennæ clades, quando nudatis ensibus hostes cuiusque iugulo imminere acerrimi videbantur, quando præsidium omne, omnis spes subsidii sublata erat: illismet, inquam, diebus visi sunt hostes effugere, fusi, fugatique, nullum habere, qui eos caperet, Italiæ locum; omnes animi vires & imperium statim restitui. Credo equidem, pater sancte, quod Deus

optimus maximus per te pacificam ecclesiæ restitutionem, ac sæuissimi schismatis extinctionem excupiens, tantum a nobis auertere decreuit incendium. O felix Lateranense Concilium, o sanctissima concio, cui diuinus cœtus & multitudo respondet in cælis, vbi vna pietas viget, vnus amor, vna felicitas. Sed longe quidem felicius atque beatius, si quando, te duce, dabitur, vt restituta quiete, restitutis moribus, restituta ecclesia, in summa animi tranquillitate viuamus. De opibus præterea, de bello & pace debet agere princeps, eo quod si nullæ sint opes, ciuitatem tutari non potest, neque bellum indicere, neque pacem seruare, neque seipsum intra mœnia custodire. Illæ namque sunt opes, sine quibus neque publica, neque priuata agitur vita. Cum enim communia nusquam sint omnia, sed quisque arte sua & ingenio viuat, cum domus, familiæ, agri, prædia, vrbes, opida, arces, respublicæ, imperia, totusque terrarum orbis sit in partes diuisus, & commutatio necessaria, & cunctis habendi & dominandi sit innata libido; opes habeamus oportet, vt hinc bellum, inde pacem, hinc victus, annonam, commeatus, inde munitiones, arma, viros, equos, mœnia, propugnacula, muros, aggeres, valla, tormenta aliaque instrumenta bellica comparare, erigere, seruare & custodire possimus. Inde vectigalia, fisci, æraria, solutiones, census, pensiones, tributa sunt, vt decet, a principe instituenda. Bellum vero sic semper agendum, vt nunquam nisi iustum suscipiatur, illiusque tantum causa, vt scilicet in pace viuamus. Pax enim est animi quies, pax vita, pax humana felicitas. A pace amicitiæ, societates, fœdera, affinitates, cognationes, coniugia, procreationes, liberi, virtus, religio & rerumpublicarum incrementa procedunt. Iustum autem id bellum appellandum existimo, ad quod vel inuiti, vt nosipsos nostrumque defendamus imperium, trahimur: vel sponte, vt quæ quandoque nostra fuerint, capiamus, aggrediamur. Publicas enim iniurias, publica detrimenta, vsurpationes iniustas, violenta dominia princeps æquo animo ferre non debet, sed totis viribus quæ sua sunt seruare, arrepta armis recipere, potiusque velle mori, quam turpiter & cum ignominia viuere. Quid enim deterius viro priuato, nedum principi, quam ignauia vel

ANNO CHRISTI 1511.

ANNO CHRISTI 1512. metu torpere, succumbere, & seipsum despicere? Quid pulcrius, quid glorioſius atque præstantius, quam pro patria, pro iustitia, pro libertate certare, mortemque ipsam, si oporteret, oppetere? Quemadmodum tu, pater sancte, in tam iustissimo aduersus potentissimos hostes susceptο bello ita gessisti, vt ardentissimos æstus, acerbissima frigora, noctes insomnes, aduersas valetudines, omnia vitæ incommoda, & fere mortem ipsam non tantum intrepide tuleris, sed quasi sponte tua obieris. Vnde prius largissima opum effusione ingenti comparato exercitu, & Bononiæ salus apparuit, & pulsis nouissime ab Italiæ finibus hostibus, omnem gloriam, omnem immortalitatem, quam nullus vnquam pontifex assequi potuit, tibi merito vendicasti, Regiumque, Parmam, Placentiam tuo sacratissimo imperio subdidisti. Ex quo omnis Italiæ locus, omnis populus, omnis ciuitas, omnis respublica, omnes denique priuatim & publice gaudent, iubilant, exultant, teque omnis æui, omnium sæculorum, omnium gentium principem & caput appellant. Sed longe melius in posterum appellabunt habebuntque, si hac tua felicitate, fine tandem armis imposito, in pace sint omnia constituta. Quæ vero ad regionum custodiam & communem populi conuentum faciunt, iam temporis anguſtia præterimus. Cum igitur tantæ reipublicæ vnicus atque supremus princeps fueris institutus, beatissime pontifex, cui summa data potestas, ac diuinum iniunctum imperium, tuum est, quemadmodum oppressam armis erexisti, amplificasti, ita moribus deprauatam ecclesiam reformare, corrigere, illustrare. In tanta namque peccandi licentia constituti sumus, vt, paucis quibusdam exceptis, nullus sit, qui virtutibus non officiat omnibus, qui leges neque minimas quidem obseruet. Omnia improbitas & intemperantia complet & occupat, omnia a recto æquitatis & iustitiæ tramite deuiant, in obliquum tendunt; neque vllus est, qui ad seipsum, ad cor suum mentemque respiciat. Quisque commoditatem suam priuatamque vtilitatem prætendit. Ipsa vero respublica, ipsa ecclesia derelinquitur, & derelicta conqueritur, & languet, & plorat. Eam namque a nonnullis integritatem eius lacerare volentibus angi videmus, & mirum in modum cruciari. Quam

etiam penitus laceraſſent, niſi tuis viribus obſtitiſſes, inuictiſſime pontifex. Videmus multiformem centaurorum ſatyrorumque choream, qui reipublicæ huius formam quotidie immutant, alterant atque perturbant, qui ſeditiones parant, fouent, enutriunt. Videmus ſimulatores vndique, ſophiſtarumque ſophiſtas, quos Dominus in euangelio rapaces lupos appellat, qui ouium veſtimentis induti, quibuſdam pietatis & religionis præſtigiis mortales cunctos illudunt; in quibus omnis impietas & libido viget, ambitio, liuor, rapacitas, tumor, ſæuitia dominatur. Videmus altera ex parte rabidiſſimos leones, & Chriſtiani nominis hoſtes, qui quotidie Chriſtianas vires imminuunt, qui terra marique latiſſimum iactant imperium. Quos niſi diuino & præpotenti quodam numine adiuti, vt tu quoque inhias magnanime pontifex, quandoque oppreſſuri eſſemus, die vna profecto videremus paſſim per campos Italiæ ſpatiari, ignique omnia ac ferro vaſtari. Hinc merito conqueri poteſt eccleſia, & tamquam omnium mater, obortis lacrymis exclamare: *Filios enutriui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Væ mihi miſeræ & infelici, ex quo dignitatis culmine iniquorum manibus detracta ſum? quo pacto meus mutatus color, offuſcatus nitor, cæleſtis pulcritudo terrenis ſordibus inquinata? His lamentationibus & querimoniis ad tuos ſanctiſſimos deuoluta pedes, in hunc modum opem humiliter implorare videtur: Terras & maria circuiui, & nullum præter te, Iuli pontifex beatiſſime, qui me magis diligeret, dignitatemque meam & ſalutem magis curaret, inueni. Tua ſub ditione defenſa ſum, protecta, mirum in modum aucta. Tuis viribus & auctoritate inteſtini ceſſerunt hoſtes, ſeditioſa turba receſſit, a tyrannide liberata Italia. Ad te igitur ſupplex tamquam ad verum principem, protectorem, Petrum & ſponſum accedo, quem oro, obſecro & obteſtor, ſi quæ corporis ſunt, & temporanea iura reſpiciunt, armis curaſti, nunc quæ ad cuiuſque animum pertinent, non armis, ſed ſanctiſſimis legibus cura. Id namque longe facilius agere poteris, quam quæ hactenus egiſti. Cura, inquam, pater beatiſſime, vt ſponſæ tuæ forma decorque redeat & pulcritudo. Cura, vt grex tibi commiſſus optimis ac ſpiritalibus alimentis alatur & viuat.

ANNO CHRISTI 1511.

Iſa. 1.

ANNO CHRISTI 1512. Cura, vt valetudo hæc quæ totum terrarum orbem inuasit, abscedat. Cura, vt fluctuanti nauiculæ, in alto a diris agitatæ ventis, salutis portus illuceat. Cura, ne fruges cuius es cultor, præ nimia ariditate siccescat. Cura, vt ouile vnum fiat, quod modo est in partes diuisum. Cura denique, vt salutem quam dedisti nobis, & vitam & spiritum non amittamus. Tu enim pastor, tu medicus, tu gubernator, tu cultor, tu denique alter Deus in terris. Aduerte igitur, clementissime pater, si sponsam tibi deditissimam amas, si iustitiam, pietatem, modestiam, aliasque virtutes amplecteris; si velut es optimus ac præstantissimus princeps, ita principis artem & officium optime calles: aduerte, inquam, & prouide, vt hac in tua republica virtutes colantur, foueantur, maximoque sint habitæ precio, vitia expellantur, extinguantur, & tamquam pernicioſissimæ pestes absistant. Aduerte & prouide, vt in ea concordia vigeat, discordia recedat, pax subeat, pax vera, pax sancta, pax communis & perpetuis temporibus duratura; vt iustitiæ osculo & veritatis coniugio confirmata, super vniuersam terram vberrimos cælestis benignitatis pariat fructus; ne forte, si secus fiat, velut ex quibusdam paruis igniculis maiores & sæuiores inde, imo maximæ & sæuissimæ belli flammæ consurgant. Quos igitur in tui obsequium admisisti, pientissime pater, retine, foue, confirma. Quos respuisti, congrega, redige, serua, vt in vera Christi familia verus Christus inhabitet, vna sit mens, vnus animus, vna voluntas. Communes autem & Christiani nominis hostes vexa, turba, confringe: fidelissimos & benemeritos susci pe, amplectere, adiuua: malignos abige, seditiosos propelle, dolosos ac fœdifragos disiice, perde, confunde. Si denuo opus est armis, in eos armis & potentissimis vtere: sin autem, sola auctoritate procede. Ad hoc enim is tibi a Deo concessus est principatus, vt totius Christianæ reipublicæ dignitas, salus, vita, libertas, omniaque fortunæ bona tuæ sapientiæ & potestati sint credita. Ad hoc Lateranense Concilium conuocasti, ad hoc curæ tuæ, solicitudines, labores & studia fuere semper intenta: ad hoc respiciunt omnium mortalium vota. Hoc expectant omnes, & apertis faucibus operam tuam implorant. Ita namque optimo virtutum moderamine per te con-

texta atque compoſita huius reipublicæ tela, reſtituetur tibi hereditas tua, quam exiens aper de ſilua toties vorare prætendit. Redibunt aurea ſæcula, tuoque flante ſpiritu effluent aquæ, & irroratione tua terra pingueſcet. Dixi.

SESSIO V.

Anno Christi 1513.

Hæc notabilis & memoranda propter confirmationem bullæ factæ in materia electionis Romani pontificis canonice faciendæ.

Quinta ſeſſio tenta & celebrata abſente domino noſtro Iulio ſecundo pontifice maximo propter ægritudinem, præſidente reuerendiſſimo in Chriſto patre domino Raphaele epiſcopo Oſtienſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ camerario, cardinale ſancti Georgii nuncupato.

ANNO a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die vero Mercurii decimaſexta menſis Februarii, fuit celebrata quinta ſeſſio in eccleſia Lateranenſi in loco ſolito. In qua propter corporis alterationem & aduerſam valetudinem ſanctiſſimi domini noſtri Iulii diuina prouidentia papæ ſecundi, fuit præſidens in præfata ſeſſione reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus Raphael epiſcopus Oſtienſis, cardinalis ſancti Georgii vulgariter nuncupatus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ camerarius. In qua fuerunt præſentes infra ſcripti reuerendiſſimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, generales ordinum, & principum oratores, ac illuſtriſſimi domini, & quamplures alii in diuerſis facultatibus doctores & magiſtri, videlicet reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini, domini

Epiſcopi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Raphael Oſtienſis prædictus præſidens.
Reuerendiſſimus dominus Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſimus dominus Iacobus Albanenſis.
Reuerendiſſimus dominus Marcus Prænestinus.
Reuerendiſſimus dominus Franciſcus Sabinenſis.

Presbyteri cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Thomas tituli ſancti Martini in montibus, Strigonienſis.

Reue-

ANNO CHRISTI 1513. Reuerendiſſimus dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus dominus Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nannetenſis.
Reuerendiſſimus dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.
Reuerendiſſimus dominus Chriſtophorus tituli ſanctæ Praxedis, Anglicus.
Reuerendiſſimus dominus Antonius tituli ſancti Vitalis, Sipontinus.
Reuerendiſſimus dominus Petrus tituli ſancti Euſebii, Anconitanus.
Reuerendiſſimus dominus Achilles tituli ſancti Sixti, Bononienſis.
Reuerendiſſimus dominus Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.
Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſimus dominus Marcus ſanctæ Mariæ in Porticu, de Corneliis.
Reuerendiſſimus dominus Sigiſmundus ſanctæ Mariæ Nouæ.
Reuerendiſſimus dominus Alphonſus ſancti Theodori.

Patriarchæ.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Alphonſus Antiochenus.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Iulius Corinthienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Antibarenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Iadrenſis.
Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Rainaldus Raguſinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Noboniaſienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Arborenſis.
Reuerendus pater dominus Robertus Rheginus.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Maria Sipontinus.

ANNO CHRISTI 1513.

Episcopi.

Reuerendus pater dominus Bernardus Taruisinus.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphensis.
Reuerendus pater dominus Albertus Valuensis.
Reuerendus pater dominus Siluester Vuigornienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus ciuitatis Ducalis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Vicentinus.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Ortanus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Cauallicenſis.
Reuerendus pater dominus Bertrandus Adrienſis.
Reuerendus pater dominus Paulus Lectorienſis.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Buduenſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterranus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Vincentius Launenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonenſis.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Biſignianenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Brugniatenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Nolanus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Caluenſis.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Eluenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Acerranus.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriatinenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Caſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Policaſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Galaſius * Viluenſis. * Bellonenſis
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinenſis.
Reuerendus pater dominus Baptiſta Aquinatenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Spoletanus.

ANNO CHRISTI 1513. Reuerendus pater dominus Basilius Tudertinus.
Reuerendus pater dominus Corradus Astunensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonensis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Signiensis.
Reuerendus pater dominus Simon Modrusiensis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricensis.
Reuerendus pater dominus Latinus Vestanus.
Reuerendus pater dominus Andreas Literensis.
*Adiacé. Aiacen. Reuerendus pater dominus Philippus *Adriacensis.
Reuerendus pater dominus Lucas Gaurdiensis.
Reuerendus pater dominus Augustinus Sagonensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Narniensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Foroliuiensis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Asculanus.
Reuerendus pater dominus Andreas Auxerensis.
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinensis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Imolensis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinensis.
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Christophorus Pollinianensis.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Basilius abbas & generalis Vallis vmbrosæ.
Reuerendus pater dominus Floremondus, sancti Gregorii de Vrbe.
Reuerendus pater dominus Polydorus sancti Eutychii Spoletanæ diœcesis.
Reuerendus pater dominus Antonius sancti Galgani Vulterranensis diœcesis.
Reuerendus pater dominus Guillelmus monasterii beatæ Mariæ Britonis.

Magistri generales ordinum.

Magister Ægidius ordinis eremitarum sancti Augustini.
Magister Thomas ordinis Prædicatorum.
Magister Bernardinus ordinis Carmelitarum.
Magister Timotheus ordinis Minorum.

Oratores.

Illustris dominus Albertus de Carpi, sereniſſimi Maximiliani Romanorum regis orator.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, illustrissimi & Catholici Ferdinandi regis Aragonum & Castellæ gubernatoris.
Magnificus dominus Franciscus Forscarus illustrissimi dominii Venetorum orator.

Nobilis dominus Bonus de Franciſchis, communitatis Lucenſium orator. ANNO CHRISTI 1513.

Illuſtriſſimi domini temporales, & ſenator Vrbis.

Illuſtriſſimus dominus Fridericus marchio Mantuanus.
Magnificus dominus Iulius Storciatus ſenator Vrbis.
Dominus Hieronymus Benzon, vnus ex Vrbis conſeruatoribus.
Illuſtriſſimus dominus Iulius de Vrſinis.
Illuſtriſſimus dominus Iacobus de Sabellis.
Et alii quamplurimi domini & milites ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.

Fuit celebrata Miſſa Spiritus ſancti per reuerendum patrem dominum Alphonſum patriarcham Antiochenũ in altari exiſtente in loco Concilii, quod fuit mutatum propter abſentiam papæ, & verſum verſus reuerendiſſimos dominos cardinales & prælatos Concilii. Et facta oratione per reuerendum patrem dominum Ioannem Mariam archiepiſcopum Sipontinum, cuius tenor in fine præſentis ſeſſionis inſeretur, reuerendiſſimus dominus Raphael epiſcopus Oſtienſis præſidens acceſſit ad altare, & ibidem indutus ornamentis pontificalibus, ſedens ante altare, habens dorſum ad altare, & faciem verſus Concilium, incepit hymnum, Veni creator Spiritus. Et cantatis litaniis & aliis deuotis orationibus conſuetis cantari, & cantato euangelio per dominum Antonium de Piperno diaconum capellæ ſanctiſſimi domini noſtri papæ, quod eſt ſecundum Ioannem, & incipit, *Amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium*, &c. nobilis dominus Bonus de Franciſchis orator communitatis Lucenſis dedit mandatum communitatis ſuæ præſidenti Concilii, ad intereſſendum Concilio. Et ſtatim ſupradictus reuerendiſſimus dominus epiſcopus Oſtienſis tradidit illud reuerendo patri domino Thomæ Phædræ ſecretario Concilii. Qui aſcendit ambonem, & illud legit tenoris infra ſcripti.

MANDATVM LVCENSIVM.

Cum ſit, quod beatiſſimus & ſanctiſſimus dominus noſter Iulius ſumma Dei prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis eccleſiæ pontifex optimus maximus, ad

Anno Christi 1513. extinguendum hæreſes, abolendumque pernicioſum ac deteſtabile exortum ſchiſma, & pro bono pacis vniuerſæ Chriſtianæ reipublicæ, celebrari iam firma ſententia ſua decreuerit indixeritque generale & vniuerſale Concilium in Laterano, noſque vt alios Chriſti fideles ad interueniendum huiuſmodi Concilio ſua in nos paterna caritate ſit hortatus, ideo nos aulani & vexillifer iuſtitiæ populi & communis Lucenſis, vtpote qui vniuerſam poteſtatem & imperium noſtræ ciuitatis & populi repræſentamus, iuxta formam ſtatutorum & ordinamentorum noſtri communis, cum perſonaliter intereſſe nequeamus, ſicuti noſtri præcipui eſſet officii & deſiderii, vices noſtras tenore præſentium noſtrarum patentium literarum, quas poteſtatem publici ſolennis & authentici inſtrumenti habere volumus, omni meliori modo, via, iure & forma quibus magis, melius & validius, tam de iure quam de facto & conſuetudine a nobis fieri poteſt & debet, demandauimus & demandamus præſtantiſſimo iuris vtriuſque conſulto domino Bono de Franciſchis, ciui & oratori noſtro dilectiſſimo Romæ agenti, vt huiuſmodi ſacroſancto Concilio noſtro & ciuitatis noſtræ Lucenſis, populique vniuerſi nomine interſit & aſſiſtat cum reliquis potentatuum Chriſtianorum legatis, qui etiam ibi aderunt, ea omnia & ſingula præſtando & peragendo, quæ a nobis quoquo modo adhiberi & præſtari poſſent, ad honorem, decus, ornamentum, amplitudinem, exaltationem & conſeruationem præfati ſanctiſſimi domini noſtri papæ Iulii ſecundi pontificis maximi, nec non ſanctæ Romanæ eccleſiæ ac vniuerſalis ipſius ſacroſancti Lateranenſis Concilii, cum ampliſſima auctoritate & omnimoda poteſtate, facultate, balia & arbitrio nobis in hac parte attributis iuxta formam ſtatutorum, decretorum & ordinamentorum noſtri communis, ad omnia & ſingula in tam pio & ſacroſancto Concilio, qualia & quantumcumque fuerint tractanda, peragenda, promittenda, iureiurando firmanda, præſtanda, adimplenda, perficienda, tam de iure quam de facto & ex conſuetudine, & non ſecus ac ſi noſipſi coram perſonaliter ageremus, faceremus & adimpleremus, promittentes omnia & ſingula a præfato noſtro oratore, nomine quo ſupra, tam ver-

bo quam scripto in præmissis & circa præmissa tractanda, peragenda, concludenda & firmanda, nos esse approbaturos, rataque & grata in perpetuum & omni tempore habituros. In quorum quidem omnium & singulorum fidem, robur & testimonium, has nostras præsentes literas in patenti forma, tam viuæ vocis oraculo, quam dato & obtento inter nos partito ad buxulas & palloctas, ac seruatis seruandis, fieri & sigillari iussimus nostri soliti & maioris sigilli diui Martini impressione. ANNO CHRISTI 1513.

Datum in nostro Lucensi palatio, anno Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die vero octaua mensis Februarii.

Io. nobilis cancellar.
de mandato scripsi.

Quo perlecto, excluſisque de more aliis non habentibus voces definitiuas, exceptis oratoribus principum & baronibus, & aliis prioribus prælatis in suis subselliis existentibus mitratis, clausoque Concilio & portis, reuerendus pater dominus Scaramuza episcopus Cumanus ascendit ambonem, & legit quamdam bullam tenoris sequentis.

BVLLA INNOVATIONIS ET CONFIRMATIONIS constitutionis contra simoniacam prauitatem in electione pontificis non committendam.

Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Si summus rerum opifex, terrarum cælique sator, sua ineffabili prouidentia Romanum pontificem in cathedra præeminentiæ pastoralis Christiano generi præesse voluit, vt sanctam Romanam vniuersalem ecclesiam sinceris corde & opere gubernaret, fideliumque omnium profectibus solicitis studiis intenderet, decens & salutare reputamus, vt in electione præfati pontificis, in quem vt puritatis & candoris speculum fideles ipsi intuentur, omnis labes omnisque illius suspicio absit, talesque ad tanti fastigii gradum assumantur, qui rite & recte & canonice ingressi modo & ordine conuenientibus, nauiculæ Petri gubernacula sustineant, talesque existant in tanto dignitatis culmine constituti, qui bonis & rectis solatio,

ANNO CHRISTI 1513. malis autem formidini sint, & eorum exemplo ceteri fideles ad bene operandum instruantur, & ad viam salutis dirigantur, & ea quæ propterea per nos statuta & ordinata fuerunt pro rei magnitudine & grauitate, per sacrum generale Concilium approbentur & innouentur, & approbata & innouata communiantur, vt eo firmius perdurent & tenacius obseruentur, & aduersus diaboli multiplices insidias defendantur, quo fuerint dicta auctoritate sæpius circumfulta. Dudum siquidem a nobis, magnis & vrgentibus causis, magnaque & matura discussione & deliberatione cum doctissimis & grauissimis viris, etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, præcedentibus & præhabitis, emanarunt literæ tenoris subsequentis.

CONSTITVTIO INSERTA.

Julius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Cum tam diuino quam humano iure, in spiritualibus præcipue detestabiliter simoniæ sit labes prohibita, & longe magis in electione Romani pontificis vicarii Iesu Christi Domini nostri abominabilis sit, & vniuersali ecclesiæ pernicioſa: nos, qui regimini eiusdem vniuersalis ecclesiæ, meritis licet imparibus, auctore Domino præsidemus, cupientes quantum cum Deo possumus, in præmissis pro tantæ rei necessitate ac periculi magnitudine, vt tenemur, in posterum salubriter prouidere, de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium consilio & vnanimi consensu, hac nostra perpetuo valitura constitutione, apostolica auctoritate, & de potestatis nostræ plenitudine statuimus, ordinamus, decernimus & definimus, quod si (quod Deus pro sua clementia & in omnes bonitate auertat) contigerit, postquam nos vel successores nostros successiue ipse Deus ab huiusmodi vniuersalis ecclesiæ regimine absoluerit, humani generis inimico procurante, & ambitione vel cupiditate ad hoc inclinante seu impellente, electionem Romani pontificis ab eo quem eligi contigerit, vel ab aliquo, seu aliquibus de cœtu cardinalium quomodolibet votum dantibus, per simoniacam hæresim in dando, promittendo,

vel recipiendo pecunias, bona cuiuſque generis, caſtra, officia vel beneficia, ſeu promiſſiones & obligationes, commiſſam per ſe vel alium ſeu alios quomodocumque & qualitercumque, etiam in duarum partium, vel omnium cardinalium vnanimi concordia quomodolibet, etiam per viam aſſumptionis vnanimiter, nemine diſcrepante, etiam ſine ſcrutinio factæ, celebrari vel fieri, non ſolum huiuſmodi electio vel aſſumptio eo ipſo nulla exiſtat, & nullam eidem ſic electo vel aſſumpto adminiſtrandi in ſpiritualibus & temporalibus facultatem tribuat, ſed etiam contra dictum ſic electum vel aſſumptum, de ſimoniaca labe a quocumque cardinale, qui eidem electioni interfuerit, opponi & excipi poſſit, ſicut de vera & indubitata hæreſi, ita quod a nullo pro Romano pontifice habeatur: quinimo ipſe ſic electus a priori ſuo cardinalatus & alio quocumque honore, eccleſiis cathedralibus, etiam metropolitanis & patriarchalibus, monaſteriis, dignitatibus & aliis quibuſcumque beneficiis & penſionibus, quæ tunc obtinebat in titulum vel in commendam, aut alias quomodocumque, eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat: & idem electus, non apoſtolicus, ſed apoſtaticus, & tamquam Simon magus & hæreſiarcha, & ad prædicta omnia & ſingula perpetuo inhabilis habeatur & ſit. Nec huiuſmodi ſimoniaca electio per ſubſequentem ipſius inthronizationem, ſeu temporis curſum, aut etiam omnium cardinalium adorationem ſeu obedientiam, vllo vnquam tempore conualeſcat. Liceatque omnibus & ſingulis cardinalibus, etiam illis qui huic ſimoniacæ electioni ſeu aſſumptioni conſenſerint, etiam poſt inthronizationem & adorationem ſeu obedientiam, ac etiam vniuerſo clero, populo Romano, nec non ſubditis & ſancti Angeli de Vrbe, ac quarumuis aliarum Romanæ eccleſiæ arcium præfectis, caſtellanis, capitaneis & aliis officialibus, quocumque homagio ſeu iuramento vel cautione præſtitis non obſtantibus, a talis electi, etiam inthronizati obedientia & deuotione impune & quandocumque diſcedere, (ipſis fidei Romanæ eccleſiæ & obedientiæ futuri Romani pontificis canonice intrantis, nihilo minus adſtrictis permanentibus) & eum vt magum, ethnicum, publicanum & hæreſiarcham euitare.

ANNO CHRISTI 1513.

ANNO CHRISTI 1513. tare. Ad cuius quoque confusionem possint cardinales qui præfatæ electioni se opponere voluerint, si præsumpserit se regimini vniuersalis ecclesiæ prætextu talis electionis ingerere, auxilium brachii sæcularis contra eum implorare. Nec tales ab eius obedientia discedentes, tamquam tunicæ Domini scissores, aliquarum propter dictum discessum pœnarum seu censurarum vltioni subiaceant. Cardinales vero qui eum sic simoniace elegerint, a suis ordinibus & etiam cardinalatus titulis & honore, ac quibuscumque patriarchalibus, archiepiscopalibus, episcopalibus & aliis prælaturis ac dignitatibus & beneficiis, quæ in titulum vel commendam tunc obtinebant, vel in quibus, seu ad quæ ius tunc habebant, absque alia declaratione priuati existant, nisi ab illo penitus & cum effectu discesserint, & reliquis cardinalibus, qui huiusmodi simoniæ non consenserint, infra terminum octo dierum, postquam fuerint ab eis requisiti personaliter, si fieri poterit, alias per edictum publicum, se absque fictione vel fraude vniuerint & coniunxerint. Et tunc, si præfatis aliis cardinalibus se vniuerint & coniunxerint, in pristinum statum & ad pristinos honores & dignitates, etiam cardinalatus ac ecclesias & beneficia quibus præerant & quæ obtinebant, reintegrati, rehabilitati ac restituti & repositi, ab huiusmodi simoniæ labe & censuris ac pœnis ecclesiasticis quibuscumque absoluti eo ipso existant. Mediatores vero, proxenetæ, trapezitæ tam clerici quam laici, cuiuscumque dignitatis, qualitatis & ordinis fuerint, etiam patriarchali, archiepiscopali, siue episcopali, vel alia sæculari, mundana siue ecclesiastica dignitate præditi, etiam quorumcumque regum & principum oratores vel nuntii, huius simoniacæ electionis participes, sint omnibus suis ecclesiis, beneficiis, prælaturis & feudis, ac aliis quibuscumque honoribus & bonis eo ipso priuati, & ad similia inhabiles, ac etiam actiue & passiue intestabiles, & eorum bona ipso facto ad instar reorum criminum læsæ maiestatis fisco apostolicæ sedis applicentur deuoluanturque, si prædicti delinquentes ecclesiastici fuerint, vel alias Romanæ ecclesiæ subditi. Bona vero & feuda taliter delinquentium non subditorum, sæcularium in partibus existentia, fisco sæcularis

principis, in cuius territorio bona sita fuerint, ipso facto similiter applicentur. Ita tamen, quod si infra tres menses a die quo notum fuerit illos simoniam commisisse, vel participasse, principes dicta bona fisco suo actualiter non applicauerint, extunc illa fisco ecclesiæ Romanæ applicata censeantur, & sint eo ipso, absque aliqua similiter declaratione. Promissiones quoque & obligationes, siue sponsiones, propterea quandocumque, etiam ante tempus dictæ electionis, etiam extra personas cardinalium per quoscumque alios quomodocumque factæ, cum quauis inexcogitabili solennitate & forma, etiam iuratæ, conditionales, siue euentuales, & in forma excommissarum ex quacumque causa etiam depositi, mutui, cambii, confessionis de receptis, donationis, arrendamenti, vel venditionis, permutationis, vel alterius cuiuscumque contractus, etiam in ampliori forma cameræ apostolicæ factæ, sint nullæ & inualidæ, & ad agendum inefficaces, nullusque illarum vigore cogi vel constringi possit in iudicio vel extra; liceatque omnibus ab illis impune absque aliquo metu siue periurii nota recedere. Et insuper liceat cardinalibus qui electioni prædictæ simoniacæ interfuerint, & a præfato sic electo discesserint, adhibitis secum aliis cardinalibus, etiam illis qui huiusmodi simoniacæ electioni consenserint, & postea eisdem cardinalibus in dicta simonia non complicibus se vniuerint, si se cum eisdem vnire voluerint: alioquin sine eis ad alterius nihilo minus pontificis electionem, non expectata alia sententia declaratoria simoniacæ electionis huiusmodi, eadem tamen præsente nostra constitutione semper in suo robore permanente, libere alias tamen canonice deuenire, & Concilium etiam generale indicere & conuocare in loco idoneo, prout eis videbitur expedire, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, & præcipue felicis recordationis Alexandri papæ III. quæ incipit, Licet de euitanda discordia; & aliorum Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum, etiam in Conciliis generalibus editis, ceterisque contrariis quibuscumque inhibentibus. Postremo omnibus & singulis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, qui pro tempore erunt, & eorum sacro collegio, ne apostolica sede vacante, prædictis contrauenire, vel contra præ-

ANNO CHRISTI 1513.

ANNO CHRISTI 1515. missa vel aliquod præmissorum statuere, disponere, ordinare, vel aliquo modo facere seu attentare præsumant, quocumque exquisito colore vel causa, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam ipso facto incurrant, & a qua nonnisi per Romanum pontificem canonice electum absolui possint, nisi in mortis articulo, præcipimus: decernentes extunc irritum & inane, si secus super his vel aliquo præmissorum a quoquam scienter vel ignoranter, etiam per nos contigerit attentari. Vt autem præsentis constitutionis, decreti, statuti, ordinationis ac inhibitionis nostræ huiusmodi tenor ad omnium notitiam deducatur, volumus præsentes literas nostras in valuis basilicæ principis apostolorum, nec non cancellariæ, ac in acie campi Floræ affigi, nec aliam earumdem literarum publicationis solennitatem requiri aut expectari debere, sed huiusmodi affixionem pro solenni publicatione & perpetuo robore sufficere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum constitutionis, ordinationis, statuti, decreti, definitionis, applicationis, appropriationis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimoquinto, decimonono Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno tertio.

Quæ literæ deinde pro ipsarum subsistentia firmiori & notorietate, dum Bononiæ cum nostra curia essemus de mense Octobris, pontificatus nostri anno septimo, in consistorio nostro secreto, etiam venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus & aliquibus prælatis nostris domesticis lectæ & publicatæ & approbatæ, & demum in quinterno cancellariæ descriptæ & annotatæ, & in audientia contradictarum ac aliis locis publicis dictæ ciuitatis, & postremo Romæ in locis designatis solenniter publicatæ extiterunt, & earum exemplaria ad omnes fere Christianos principes transmissa. Nos insuper attendentes, quanti ponderis, quantique exitii Christi vicariorum in terris adulterinæ electiones essent, quantumque detrimenti Christianæ religioni afferre pos-

sent, præsertim his difficillimis temporibus, quibus diuersimode vexatur Christiana religio vniuersa, volentes satanæ dolis & insidiis humanæque præsumptioni & ambitioni, quantum nobis permittitur, obuiare, vt literæ prædictæ eo magis obseruentur, quo clarius constiterit, eas matura & salubri deliberatione dicti sacri Concilii approbatas & innouatas, qua statutæ & ordinatæ fuerunt, licet ad sui subsistentiam & validitatem alia probatione non indigerent, sed ad abundantiorem cautelam, & ad tollendam omnem doli ac malitiæ causam male cogitantibus & tam saluberrimæ constitutioni contrauenire satagentibus, vt eo tenacius obseruentur & difficilius tollantur, quo tantorum patrum fuerint approbatione munitæ, literas prædictas cum omnibus & singulis statutis, ordinationibus, decretis, definitionibus, pœnis, inhibitionibus, aliisque omnibus & singulis clausulis in eis contentis, sacro hoc Lateranensi Concilio approbante, auctoritate & potestatis plenitudine præfatis approbamus & innouamus, easque inuiolabiliter & irrefragabiliter obseruari & custodiri mandamus, roburque perpetuæ firmitatis obtinere, ac cardinales, mediatores, oratores, nuntios & alios in dictis literis contentos, ad ipsarum literarum & omnium & singulorum in eis expressorum obseruationem, sub censuris & pœnis, & aliis in eis contentis, iuxta earumdem literarum tenorem & formam teneri & obligatos fore decernimus & declaramus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis quæ in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. ANNO CHRISTI 1513.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, mandati, decreti & declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in basilica Lateranensi in sacra sessione, anno Domini 1512. decimoquarto Kalendas Martii, pontificatus nostri anno decimo.

Bal. Tuerdus.
Ia. Questemberg.

ANNO CHRISTI 1513. Qua perlecta, idem reuerendus pater petiit, an placerent paternitatibus patrum ibidem existentium contenta in bulla. Et immediate scrutatores votorum vna cum protonotariis & notariis receperunt vota. Et omnibus fere habentibus vocem definitiuam placuerunt simpliciter contenta in bulla, præter infra scriptos quinque, qui votarunt & responderunt vt infra: videlicet reuerendus dominus Ioannes Dominicus episcopus Terdonensis, qui noluit dare votum, quia dixit se non esse bene informatum. Reuerendo domino Benedicto episcopo Chiensi placuit dispositio schedulæ, sed non forma. Reuerendus dominus episcopus Castrensis dixit, pœnas contentas in supradicta schedula esse modificandas. Reuerendo domino Scaramuzæ episcopo Cumano placuit de manifesta simonia; de occulta non, nisi declaratione prius facta per generale Concilium. Reuerendo domino Alexandro episcopo Alexandrino placuit, quatenus simonia sit notoria facti permanentis, vel procederet declaratio generalis Concilii, vel ab omnibus vel duabus partibus cardinalium opponeretur de simonia. Successiue idem reuerendus pater dominus Scaramuza episcopus Cumanus legit aliam schedulam tenoris infra scripti.

ALIA SCHEDVLA.

Iulius episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Inter alia necessaria & fructuosa opera in sacro Lateranensi Concilio, pacis auctore fauente, peragenda, in quarta illius sessione literas nostras, per quas Romanæ curiæ officiales & illorum exactiones generaliter reformauimus, per nonnullos alios deputatos & deputãdos particulariter declarare, & declarationes ipsas in aliis sessionibus nobis in eodem Concilio referre, & ab ipso Concilio approbari præcepimus & mandauimus, nec non negotium & discussionem declarationis, nullitatis, inualiditatis & abrogationis assertæ sanctionis pragmaticæ in partibus Gallicanis nulla legitima auctoritate, sed contra ecclesiasticam libertatem, in sanctæ sedis vilipendium, abusu Gallicorum prælatorum & aliorum laicorum eis fauentium in-

troductæ, venerabiliũ fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque diſcuſſorum in prima aut aliis ſeſſionibus, prout commode fieri poſſet, nobis & Concilio præfato faciendam, Concilio huiuſmodi approbante, commiſimus, Gallicoſque prælatos, capitula eccleſiarum & monaſteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, & dicta ſanctione abutentes, omneſque & ſingulos alios in præmiſſis ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateat acceſſus, in Mediolanenſis, Aſtenſis & Papienſis eccleſiarum valuis affigendum, moneri, citari infra certum competentem terminum præfigendum ad comparendum coram nobis & dicto Concilio, cauſaſque dicendum, quare ſanctio præfata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus auctoritatem Romanæ eccleſiæ & ſacrorum Canonum, ac eccleſiaſticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, ſtatuimus & decreuimus. Cum autem particularis declaratio officialium fieri & referri, citatioque & monitio contra prælatos Gallicos, & alios illis fauentes, & ſua intereſſe putantes, decretæ & executæ, reproduci hactenus non potuerint, & tempus ad comparendum præfixum nondum lapſum extiterit, noſque notoria aduerſa valetudine impediti, iuxta deſiderium cordis noſtri in ipſo Concilio perſonaliter intereſſe non poſſimus, cupiamuſque particularem reformationem, & citatione ac monitione huiuſmodi reproductis, diſcuſſionem abrogationis & declarationis prædictarum, earumque relationes mature & accurate fieri, ac priſtina noſtra valetudine reſtituta, quam pius & miſericors Dominus ſua ſolita clementia concedere nobis dignetur, per noſipſos debitum apoſtolicæ ſeruitutis in ipſo Concilio exequi, eodem ſacro Concilio approbante, ſextam ſeſſionem tertio Idus Aprilis proxime ſequentis faciendam indicimus. ANNO CHRISTI 1513.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, mandati, commiſſionis, ſtatuti, decreti & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri &

ANNO CHRISTI 1513. Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1512. decimaquarta Kalendas Martii, pontificatus nostri anno decimo.

Qua perlecta, idem reuerendus pater petiit, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula: & omnes, nemine penitus discrepante, dixerunt, placere contenta in schedula.

Postmodum dominus Marianus procurator fisci & Concilii petiit, & obtinuit a reuerendissimo domino præsidente citationem ad portam Concilii, contra absentes interesse debentes ipsi sacro Concilio. Et deinde facta citatione & relatione, accusauit contumaciam absentium, & petiit contra eos declarari pœnas & censuras decretas contra non venientes ad sacrum Concilium: super quibus omnibus petiit instrumentum & instrumenta.

Deinde reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Dominicus episcopus Portuensis, cardinalis Grimanus nuncupatus, procurator reuerendi patris domini Antonii Contareni patriarchæ Venetiarum, dedit eius mandatum ad excusandum eumdem & nomine eius interessendum, subscriptum per dominum Ioannem Franciscum a Puteo publicum notarium, & eius sigillo sigillatum. Ac etiam dictus reuerendissimus dominus cardinalis procurator reuerendi patris domini Hieronymi Taruisini electi Cremonensis, ad excusandum eumdem electum, ac ad interessendum nomine eius sacro Lateranensi Concilio, dedit duo mandata ipsius electi publica, & vnum subscriptum per discretum virum Iacobum Fasolum de Venetiis, eiusdem electi sigillo sigillatum, & aliud subscriptum tantum per eumdem Iacobum Fasolum publicum notarium. Et reuerendus pater dominus Hieronymus episcopus Buduensis procurator reuerendi patris
*Alatinē. domini Iacobi de Petruciis episcopi * Larinensis, dedit mandatum ad excusandum eumdem Iacobum episcopum, & nomine eius interessendum, subscriptum per discretum virum Loysium Granara de Neapoli, publicum apostolica auctoritate notarium. Et reuerendissimus in

Christo pater & dominus, dominus Antonius tituli sancti Vitalis presbyter cardinalis, procurator reuerendi patris domini Christophori de Spiritibus electi Cæsenatensis, ad excusandum & interessendum Concilio, dedit eius mandatum subscriptum per dominum Petrum Paulum Ludouici publicum notarium. Et reuerendus dominus Paris de Grassis, sanctissimi domini nostri papæ magister ceremoniarum, procurator reuerendi patris domini Fi. Rouarella archiepiscopi Rauennatensis, docuit de eius mandato legitimo ad excusandum & interessendum Concilio, subscriptum per dominum Antonium Garuphum Britonensem, publicum notarium. Ac reuerendus dominus Andreas Sanna canonicus * Vsulensis, procurator reuerendi patris domini Ioannis Sannæ episcopi Vsulensis, docuit de eius mandato ad interessendum & excusandum, & erat subscriptum per dominum Ioannem Ordium publicum notarium. Deinde reuerendus pater dominus Galesius episcopus Bellunensis, procurator reuerendi patris domini Angeli de Ripantibus de Esio episcopi Esini, dedit eius mandatum subscriptum per dominum Antonium Franciscum Ser Angeli de Esio publicum notarium. Et reuerendus pater dominus Laurentius de Fliseo episcopus Montis regalis, procurator reuerendi patris domini Bonifacii Ferrier episcopi Iporigiensis, docuit de eius legitimo mandato,* subscriptum per discretum virum Iacobum de Peritis de Baergoro publicum notarium. Et etiam dedit mandatum reuerendi patris domini Augustini electi Vercellensis subscriptum per dominum Paulum Petri de Mafæis publicum notarium, ad excusandum eosdem reuerendos dominos Bonifacium & Augustinum, ac eorum nominibus interessendum sacro Concilio. Successiue reuerendissimus in Christo pater & dominus dominus Petrus tituli sancti Eusebii presbyter cardinalis Anconitanus nuncupatus, procurator reuerendi patris domini Cosmæ Pacii archiepiscopi Florentini, volens docere de eius mandato, dedit legitimum subscriptum per dominum Laurentium Andreæ de Ciobis publicum notarium. Et reuerendus pater dominus Vincentius archiepiscopus Neapolitanus, procurator reuerendi patris domini Iuliani episcopi Rubensis, ad excusandum & nomine

Anno Christi 1513.

*Vsellen.

*f. subscripto

ANNO CHRISTI 1513. ne eius intereſſendum, dedit mandatum eiuſdem, ſubſcriptum per diſcretum virum dominum Ioannē Andream Florentinum de Neapoli publicum notarium. Et reuerendus dominus Manilius acolytus ſanctiſſimi domini noſtri, procurator reuerendi patris domini Pauli epiſcopi Argolicenſis ad excuſandum & intereſſendum Concilio, dedit mandatum ſubſcriptum per dominum Cataneum de Lipis publicum notarium. Et reuerendus pater dominus Iacobus epiſcopus Paphenſis, procurator reuerendi patris domini Bartholomæi epiſcopi Montis viridis, ad excuſandum & intereſſendum dedit mandatum ſubſcriptum per dominum Laurentium Franciſci de Bonnicontiis ciuem Romanum, de regione montium, publicum notarium. Et demum reuerendus dominus Staniſlaus de Aualziuo decretorum doctor, canonicus Noladiſlanuenſis, dedit mandatum reuerendi patris domini Vincentii epiſcopi * Noladiſlanuenſis ad excuſandum & intereſſendum eius nomine in ſacro Lateranenſi Concilio, ſubſcriptum per dominum Matthiam Bernardi de Oſſineza publicum notarium, clericum Placentinæ diœceſis. Quibus peractis, indicta fuit ſeſſio ſexta tertio Idus Aprilis proxime futuri. Et hæc fuerunt pro quinta ſeſſione.

*Naluen.

Finis quintæ ſeſſionis tempore vitæ Iulii ſecundi expeditæ, eo abſente propter ægritudinem, ex qua quatriduo poſt obiit. Tenor vero ſermonis & orationis habitæ in dicta ſeſſione per reuerendum patrem dominum Ioannem Mariam de Monte archiepiſcopum Sipontinum, ſequitur & eſt talis.

In prima orationis parte laudatur inſtitutio Conciliorum, & ſummus pontifex Iulius, quod Lateranenſe Concilium indixerit. In ſecunda ſuadentur patres ad reſtituendam iuſtitiam, vnitatem, pacem: quæ tria diuina munera & hominum & temporum iniuria deleta videbantur.

Priuſquam in hoc celeberrimo Chriſtiani orbis conuentu verba facere incipiam, vt ea dicenti mihi vobiſque audientibus facultas diuinitus infundatur, qua & ego ad communem Chriſtianæ reipublicæ ſalutem dignitatemque pertinentia facile recenſeam, & vos libere decernatis, laudabili maiorum noſtrorum monente inſti-

tuto, sanctissimi Spiritus, cuius numine salutaris hæc summo studio celebratur Synodus, opem ac præsidium humillime implorabo. ANNO CHRISTI 1513.

Tametsi loci huius ornatissimi dignitas, & rei dignissimæ, de qua mihi dicendum est, amplitudo, vestrique amplissimi conspectus maiestas, patres sapientissimi, ab hoc demandato dicendi munere me deterrebant, non tamen inuitus, sed læto potius hilarique animo maiorum imperio parui, si nihil aliud, hoc certe sperans me assecuturum laudis, quod indignus non fuerim iudicatus, cuius orationi grauissima vestrum omnium præsentia interesset. Suadebar præterea, & magnopere confirmabar Iulii pontificis, vestro ac tantorum virorum erga rempublicam Christianam singulari & pene incredibili studio, quod præ se quisque ferre visus est mihi, cum antea semper, tum vero quoties ad hanc sacrosanctam conuentum est Constantinianam ædem. Cunctos enim nostræ religionis ac fidei instaurandæ, confirmandæ, amplificandæ acerrimo inflammari desiderio perspiciebam: vnde facile adducebar vt crederem, me de his rebus quæ vniuerso Christianorum cœtui consulerent atque prospicerent, dicentem vos attente benigneque audituros. Nam quæ maxime ad Christiani generis vtilitatem, dignitatem, auctoritatem pertineant, statui quantum temporis angustia concesserit, hodierna oratione complecti. Adestote igitur animis, vosque ipsos mihi æquos benignosque iudices præbete. Ego in id præcipue incumbam, vt nisi composita rerum varietate audientium auribus iucunditatem delectationemque attulero, satietatem quidem ac molestiam inculta verborum prolixitate minime sim allaturus.

Cum autem ad illustrandam & propagandam, nedum conseruandam ac tuendam nostram fidem religionemque, Synodum hoc tempore sapienter institutam luce clarius appareat, primum de saluberrima eius institutione dicemus, vbi singularem pontificis Iulii prudentiam atque incredibilem animi celsitudinem attingi æquo animo patiamini. Quæ deinde pro Christianæ reipublicæ robore, splendore, amplitudine decernenda potissimum videntur, quo breuius fieri poterit perstringam.

ANNO CHRISTI 1513. Sanctissimæ igitur huius Lateranensis Synodi institutionem cum alia plurima mirifice commendant, summisque in cælum laudibus extollunt, tum illud in primis, quod nil nisi ex omni parte perfectum, iustum, optimum & Christianæ reipublicæ opportunum maximeque fructuosum, sapientissimorum patrum ac præstantium omni virtutum & disciplinarum genere hominum consilio, quorum lectissima huiusce templi subsellia ornari frequentia intuemur, statui decernive posse censetur: quippe quod plurimarum ciuitatum, gentium, nationum periculis atque euentis, vel ab ipsa terrarum orbis origine, compertum & exploratum est. Floruisse in Græcia Athenienses, viguisse Lacedæmonios, claruisse Corinthios accepimus, quamdiu integerrimorum consilia domi militiæque valuissent. Nihil enim (quod ad mores, ad instituta, ad leges, ad delectum habendum, ad aciem instruendam, ad conserendam pugnam spectaret) nisi exquisitis plurimorum sententiis, iisdem in ciuitatibus gerebatur. Nec ab re quidem apud Homerum Agamemnon ille plures sibi dari diutissimo ad Troiam bello Nestoris quam Achillis similes exoptabat, quorum alteri lacertis & viribus, alteri consiliis ac sententiis præstarent. Quid, quod hanc ipsam vrbem summum imperii principatum non absque sapientissimorum hominum consilio adeptam, cunctis terrarum gentibus nationibusque priuatim ac publice agendi normam legemque præscripsisse constat? Recolite singulas regum actiones, contemplamini post liberam ciuitatem vniuersa consulum, tribunorum, decemuirorum, aliorumque magistratuum gesta. Euoluite cuncta Cæsarum monumenta. Quidnam aliud, obsecro, nisi prudentum consilia regnum peperisse, rempublicam constituisse, imperium potentiamque auxisse comperietis? Sed quid in re Christiano nomini opportuna, seu potius necessaria, vbi non de vnius alteriusve reipublicæ ac prouinciæ salute, libertate, dignitate, sed de sanctissima Christi fide, de orthodoxa religione, de Christianorum omnium quiete agitur, Græcorum Romanorumve diutius immoramur exemplis, cum longe melior consultandi ratio, præstantior consilii norma, exactius sapientissimorum hominum iudicium, maiorique diligentia perpensum, vel hoc ipso in

loco, vel alibi gentium religionem noſtram aſſeruerit, conſeruarit, defenderit, amplificarit? Complectimini cogitatione, ſi placet, Romanorum pontificum ad noſtram hanc tempeſtatem labores, difficultates, pericula, tot tantarumque rerum diſcrimina. Quidnam aliud magis præſentaneum ad perferendas multiplices gentilium, hæreticorum, ſchiſmaticorum, improborum denique ac perditorum omnium agitationes atque procellas, ad euitandas ſyrtes & cautes, ad portenta & monſtra conculcanda, iis viſum fuiſſe remedium inuenietis, quam vt vniuerſos patres ad ſe conuocarent, quorum conſilio apoſtolicæ ratis curſum in mediis fluctibus dirigerent, remis vndas perfringerent, attollerent vela, ancoras iacerent, clauum tenerent, portum denique ipſum celerrime aduentarent, lætiſſime contingerent, ſecuriſſime potirentur? Itaque celebrent alii præclariſſimarum rerum a Iulio pontifice geſtarum magnitudinem, varietatem, numerum: commendent plurimi admirandam in profanis ſacriſque ædificiis magnificentiam, perpetuam plerique omnes felicitatem extollant: ego vero ſingularem illius prudentiam, incredibilemque animi firmitatem admirari nunquam ſatis potero, quod in ſumma totius Italiæ conſternatione, in perditiſſima nonnullorum audacia, nefariaque ambitione, in extrema potentiſſimi hoſtium exercitus immanitate intrepidus, interritus inconcuſſuſque, vt tantorum patrum conſilio, ne dicam auctoritate atque opera, vteretur, ſaluberrimam Synodum (quod noſtrorum temporum pontifices in maiori omnium quiete & Chriſtianorum principum obedientia, minorique hoſtium formidine aggredi non ſunt auſi) Chriſtiano orbi indixerit; indictam, nulla clade, nulla iactura deterritus, inſtituerit: inſtitutam, nulla corporis atque animi moleſtia, nullo aliter ſentientium ſuaſu abſtractus, ſic Deo fauente in hunc diem gerit, vt profanam omnem contumaciam abolere, ſacrilegam dominandi libidinem cohibere, truculentam rapiendi licentiam refrenare, deteſtabiles & Chriſtianæ reipublicæ pernicioſas ac peſtiferas in occupanda ſacratiſſima Petri ſede largitiones in perpetuum delere, adoleſcentes, nedum pullulantes hæreticorũ ac ſchiſmaticorum ſegetes radicitus extirpare: ridiculam denique, impiam

ANNO CHRISTI 1513.

ANNO CHRISTI 1513. ac nefariam Mahumetis sectam funditus euertere atque exterminare sibi proponat. Quare fit, vt non sane obscuriorem illum ex tam præclara Synodi institutione laudem omnino reportaturum confidamus, quam veteres ii maiores eius reportarunt, qui innumeras Arii, Photini, Sabellii, Ebionitarum, Macedonii, Eudoxii, Nestorii, Pelagianorum, Eutychianorum, Dioscori, Theodori, Gregorii, Macarii, Monothelitarum, Acephalorum ac ceterorum omnium hæreses de medio sustulerunt: quandoquidem cum virtutes ceteras, tum vel in primis tria hæc optima ac prope diuina munera, quæ & temporum & hominum iniuria sunt pene deleta, summam iustitiam, inseparabilem vnitatem, communem inter Christianos pacem, eius restitutum iri sapientia, ac vestro, patres, consilio non desperamus. De quibus si me, vt cœpistis, breuiter dissérentem benigne attenteque audietis, & ego dicendo & vos audiendo vberrimam, vt puto, frugem colligemus. Est igitur iustitia præ ceteris instauranda, restituenda, illustranda: quippe quæ virtutum omnium fons atque origo, & mortale genus Deo optimo maximo conciliat, & humanam societatem arctissimo necessitudinis vinculo coniungit. Vt enim Deum immortalem, auctorem, parentem moderatoremque nostrum, a quo bonorum omnium origo & causa est, a quo nobis essentia, motus, intellectus, contemplatio actioque tributa, studiose colamus, pie veneremur, humillime adoremus; vt eum nobis propitium faciamus, vt pro cumulatissimis in nos beneficiis memoriam gratiamque non dissimulemus, vt mentem ei sanam, innocentem animum, vitam probam, voluntatem rectam, castam, integram præbeamus; vt religionem cultumque sacrorum minime contemnamus, ipsa nos docet monetque iustitia. Ea etiam, cum natus sit homo sociabilis (quippe qui in tanta rerum naturæ copia quæ vsui sunt, supra cetera animalia inopia laborat, alienæque opis indiget, ac propterea necessitate impellente, vt arbitrati quidam sunt, cœtum amat & ciuitates colit) sola facit, vt ipsa societas & coniunctio retineri possit. Nam quid patriæ, parentibus, propinquis, amicis, ciuibus, peregrinis, quid item magistratibus profanis ac sacris, quid principibus debeamus, quid sequi,

quidve declinare, quid vel commendare vel improbare iure oporteat, nobis ante oculos proponit. Nempe vt æquitatem, fidem, beneficentiam, pietatem, ſeueritatem integritatemque complectamur: ſuperbiam, perfidiam, auaritiam, fæuitiam, laſciuiam, ambitionem fugiamus, nos excitat atque inflammat. Quapropter hanc primum omnium, patres, reſtituite virtutem: huius luce, quæ penitus extincta eſt, Chriſtianum orbem illuſtrate: hanc diligendam iis iubete, qui iudicant terras: hanc ſeruandam ſtatuite Chriſtianis principibus. Enimuero eam eſſe virtutem, quæ ſua cuique diſtribuit, Auguſtinus, Bernardus, Ambroſius, ſanctiſſimarumque legum * auctores definierunt. Porro igitur inſpiciendum eſt, an quiſque quod ſuum eſt poſſideat, an quis alienum occupatum detineat. Sed hoc loco ſinite me præterire, non dico Italiæ, verum, quod longe miſerrimum eſt, totius Europæ calamitates, quæ tantæ ſunt, vt eas cogitatione, nedum oratione perſequi vix ſine lacrymis queam. Quem enim eſſe dicam tam obtuſo pectore, corde ſic immani, moribus tam efferatis, cuius animus tot ſedium atque agrorum occupationes, tot vrbium, oppidorum, locorumque omnium euerſiones ac direptiones, tot furta, tot rapinas, tot ſacrilegia meminiſſe non perhorreſcat? Teſtes eſtis vos, miſerrimæ ciuitates, quæ, nulla a vobis patrata culpa, in viſceribus veſtris atrociſſimos hoſtes pertuliſtis, quæ in gremio parentum infantes trucidari, matronas innoxias imbelleſque ſenes interfici, rapi ſacratiſſimas virgines, ornatiſſima templa ſpoliari, omniaque & flagitiorum & facinorum genera perpetrari conſpexiſtis, quibus vel ipſos Turcas Chriſtiani nominis hoſtes abſtinuiſſe nonnunquam audiuimus. Quod ſi, vt nonnulli prædicant, finxere quondam poetæ, poſt Saturni tempora, cum ſenſiſſent iuſtitiam a rebus humanis abeſſe, offenſam vitiis hominum receſſiſſe a terra in cælumque migraſſe, & ad Iouis regnum ſe contuliſſe, bone Deus, quas nugas, quas fabellas, quas fallacias excogitaturos eos fuiſſe arbitramur, ſi noſtrorum temporum ſcelera, ſi flagitia, ſi facinora, ſi abiectum Chriſtianæ religionis cultum, ſi veſanam dominandi libidinem, ſi nefandam rapiendi licentiam, ſi inauditam in iis impietatem, fæuitiam, ambitio-

ANNO CHRISTI 1513.

* al. lacertes

ANNO CHRISTI 1513. nem, quos pietatis, caritatis integritatisque exempla esse oportebat, conspicarentur? Quas ob res expergiscimini, patres, vt cœpistis, expergiscimini: & quando nonnisi pro reformanda confirmandaque Christiana republica in hunc ipsum locum conueneristis, sic eam reformandam confirmandamque vobis proponite, vt iustitiam in primis virtutum reliquarum principem ac reginam, tum inseparabilem Christiano orbi vnitatem pacemque summis bonorum omnium votis ac studiis expetitam, dicente psalmographo, *Iustitia & pax osculatæ sunt*, tandem aliquando restituatis. Neque enim seruari iustitia facile potest, nisi & iustitiæ vnitas, & vnitati concordia copuletur. Diligenter idcirco videndum est, patres amplissimi, vt eam Christiani retineant vnitatem, quam vniuersas multitudines, cunctos cœtus, omnes mortalium societates retinere cernimus. Nam si in primis quodcumque libuerit, vel regnum, vel ciuitatem, vel domum quamuis priuatam inspiciamus, nihil horum stare ac diu permanere posse absque ea, de qua dudum verba facere aggressi sumus, vnitate, luce clarius apparebit. Ruat enim illud atque euertatur regnum necesse est, quod non vniformi regis ac eorum qui reguntur voluntate gubernatur: exoriantur ac inualescant in ea ciuitate ciuiles discordiæ, intestina bella, odia sempiterna, in qua reipublicæ curam gerentium in vnum sententiæ non conueniunt. Dilabatur breui ac dissoluatur res familiaris, quamuis magna & ampla, nisi in vnam paterfamilias domesticique voluntatem concurrant, id quod euangelii verba illa locupletissime testantur: *Omne regnum diuisum contra se, desolabitur: & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se, non stabit.* Ipsas deinde hominum actiones, quarum aliæ bello ad rempublicam armis tuendam, aliæ pace, mercium ac ceterarum rerum humano vsui opportunarum commutatione alendam spectant, si nobis proponere ante oculos velimus, nec victoriam parari, nisi vexilla sequendi, seruandi ordines, ad tubæ signum sese instruendi, conserendi manum, pedem referendi, ceteraque id genus moliendi ac perferendi omnia, vna insit militibus imperatoribusque voluntas. Nec nauim vllam, nisi & gubernator & nautæ inuicem consentiant, & a-

Psalm. 84.

Matth. 12.

lius alii in iudicio atque opera nequaquam aduerſetur, ad certum vnquam peruenire portum comperiemus. Poſtremo, ſi noſtrum hoc humanum contemplemur corpus, optimam prudentiſſimamque rerum artificem naturam, cum in eo fabricando complures ac diuerſas partes ad varia ſtudia & miniſteria, vtpote oculos ad videndum, ad audiendum aures, pedes ad incedendum, formaſſet, vnam ceteris omnibus præfeciſſe, cuius citatu ac nutu cunctæ moueantur, ſeque ad agendum tolerandumve quidpiam in eius ipſius conforment voluntate, perſpiciemus. Quæ cum ita ſint, quonam pacto perpetuum Chriſti regnum vndique telis laceſſitum vigere, æternam beatorum rempublicam diuerſis factionibus diſſipatam florere, domum Dei ſanctiſſimam ſibi diſſidentem conſtare, cæleſtem angelorum militiam inter ſe digladiantem eminere, ſalutarem apoſtolorum nauim, diuerſis remigum & magiſtri conatibus agitatam, contineri, redemptoris noſtri membra ſciſſa, ſeparata, diſcerpta, ab vnitate diſtracta, ſtare ac permanere, vel minimo temporis ſpatio arbitrabimur? Summa igitur, ampliſſimi patres, vnitate, ſumma voluntatum animorumque concordia eſt opus, cum præſertim ea nobis diuinis & præceptis & exemplis tantopere inſinuetur. Omitto id quod inquit Propheta in pſalmis: *Deus habitare facit vnanimes in domo.* Subticeo agnum Exodi in figura Chriſti occiſum, atque in vna domo comedi iuſſum. Prætereo mandatum fuiſſe Raab, in qua eccleſia præformabatur, vt parentes, fratres, totamque familiam in domum ſuam colligeret ad ſeipſam: tranſeo verba illa, noſtra hac tempeſtate ſæpius repetita: *Vnum ſumus ego & Pater, & erit vnus grex & vnus paſtor.* Relinquo ſupplicium de iis diuinitus ſumptum, qui ſibi aduerſus Aaron legitimum ſacerdotem ſacrificandi licentiam arrogauerant: omnia denique diuina præcepta atque exempla prætermitto. Quid enim eorum vllum adducam, cum nihil aliud ſacrarum literarum contineant monimenta, quam vnum eſſe Deum, vnum Chriſtum, vnam eccleſiam, vnam fidem, vnam cathedram ſuper firmiſſimam petram Domini voce fundatam? Cumque id nos vel maxime, vt inquit Auguſtinus, ad vnitatem cohortari debeat, quod ex vno dumtaxat homine vniuerſum

ANNO CHRISTI 1513.

Pſalm. 67.
Exod. 12.
Ioſ. 2.
Ioan. 10.
Num. 10.
Matth. 16.

ANNO CHRISTI 1513. uersum gigni voluit humanum genus Altissimus, vt quantopere vnitatem in pluribus diligeret, nobis apertissime declararet. Hanc igitur primum omnium inducite, hanc custodite, hanc excolite, compositi in eodem sensu, vt Paulus apostolus inquit, *& in eadem sententia, sustinentes inuicem in dilectione, satagentes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis.* Eph. 4. Pax itaque vnitati coniungenda, aggreganda, copulanda est. Tanta est enim inter vtramque necessitudo ac societas, vt cum arctissimo & firmissimo colligatæ sint vinculo, dissolui earum vna, quin & altera dissoluatur; ac seruari vna, quin seruetur & altera, nullo modo possit. Quapropter extinctis bellorum flammis, quæ totum iam diu inflammarunt ac incenderunt Christianum orbem, sacrosanctæque reipublicæ rebus compositis, cum iustitia pariter atque vnitate excitanda atque erigenda pax est. De qua cum latissimus dicendi campus occurrat, nec temporis angustia, nec vestra, patres, ceterorumque præstantium virorum benignitas atque humanitas longiorem expetat orationem, plura non dicam. Siquidem ea quæ ad Christiani generis vtilitatem, dignitatem, auctoritatem, saluberrima hac Synodo decernenda maxime videntur, breuiter accepistis: quæ si vos vestris consiliis, vestris sententiis, vestris, inquam, suffragiis restituenda, seruanda, confirmanda statuitis, non dico sanctissimam hanc Vrbem veram pontificum sedem, sed orbem vniuersum maximam atque perpetuam frugem percepturum sperate. Idque vt summi pontificis votis ac studiis vestrum omnium ac bonorum principum optatis respondeat, supremum cæli numen his precibus obtestabor. Te, æterne Olympi regnator Christe, cuius ditione atque imperio cuncta cælestia terrenaque gubernantur, qui tuam a Nerone, Domitiano, Traiano, Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, Seuero, Maximino, Decio, Valeriano, Aureliano, Diocletiano haud passus es exterminari religionem ac fidem, qui ecclesiam tuam tot procellis hæreticorum ac schismaticorum agitatam, in mediis submergi nequaquam pertulisti fluctibus: te, inquam, inuocamus, tuum imploramus numen, tuam oramus clementiam. Respice vicarium tuum sanctissimum & ecclesiæ tuæ pastorem solertissimum, corpore licet

ægro, animo tamen firmiſſimo. Reſpice vigilantiſſimum ſenatum, reſpice cunctos hos patres, reſpice noſtros principes, reſpice familiam tuam vniuerſam. Vides impia tyrannorum pectora aduerſus iuſtitiam armata, cernis improbos ac nefarios in leges iuraque inſurgentes, ſpectas habere conuenticulum perditæ factionis adſcindendam ac dirimendam tunicam tuam inconſutilem, vnitatemque ab eccleſia tua reiiciendam. Perſpicis tuorum robore tot inteſtinis bellis perculſo, noſtriſque debilitatis ac pene confectis viribus, inſtaurantem ſe ad pugnam hoſtem, parantem ſe ad victimam noſtri ſanguinis. Tolle, vt cœpiſti, ſecures, tolle gladios. Sit finis ac terminus bellorum, ſit fas, reuiuiſcente iuſtitia, conſeruata vnitate, dulciſſimos optatæ pacis fructus colligere. Pacem a te Chriſte expetimus, pacem a te clementiſſime Deus efflagitamus. Da illam, Domine, diebus noſtris, quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Domine Deus noſter. Aut ſi bella gerenda ſunt, ſi acies inſtruendæ, ſi vulnera perferenda, ſi id noſtrorum expoſcunt vitiorum pœnæ, ſi noſtra pianda ſunt delicta ſanguine aduerſus Turcas nominis tui hoſtes, quod & ſanctiſſimus vicarius ipſe tuus & nos omni ſemper ſtudio concupiuimus, bella geramus: pro tua fide, pro religione, pro aris ac focis dimicantes, pœnas noſtrorum criminum luamus: tua effundamus cauſa ſanguinem, quo tuo tandem vniuerſus inſeruiat orbis imperio, tuam cuncti religionem ac fidem aſſerant, agnoſcant, profiteantur, vt ſuo quodammodo iure alacriter ac iucunde canere id poſſit eccleſia: In omnem terram propagatum eſt imperium eorum, & in fines orbis terræ religio eorum. Dixi.

ANNO CHRISTI 1513.

Obitus Iulii ſecundi pontificis maximi.

Anno a natiuitate Domini 1513. indictione prima, die vero Lunæ vigeſimaſexta menſis Februarii, felicis recordationis dominus Iulius papa ſecundus, ſicut Altiſſimo placuit, Romæ apud ſanctum Petrum in palatio apoſtolico ab hac luce migrauit, & viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt; & ſic apoſtolica ſedes vacauit, & fuerunt celebratæ exequiæ eius iuxta ritum & conſuetudinem antiquitus obſeruatam.

Anno Christi 1513. Die vero Veneris quarta menſis Martii ſupradicti anni 1513. reuerendiſſimi in Chriſto patres & domini, domini ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales in vnum pro electione ſummi pontificis facienda, poſt celebrationem Miſſæ Spiritus ſancti in baſilica principis apoſtolorum in altari ſancti Andreæ, conclaue quod in palatio ſancti Petri in capella ſuperiori, capella Sixti vulgariter nuncupata, factum fuerat, intrauerunt, & quilibet eorum intrauit, & clauſum fuit conclaue ad celebrandum canonicam legitimamque electionem Romani futuri pontificis iuxta canonicas ſanctiones.

DECRETA ET ACTA CONCILII LATERANENSIS ſub Leone papa X.

IN DEI OMNIPOTENTIS NOMINE. Amen.

Sequuntur geſta eiuſdem ſacri Lateranenſis Concilii, in Spiritu ſancto legitime congregati, ſub Leone X. pontifice maximo continuati & celebrati cum eiſdem ſolennitatibus & ceremoniis & officialibus in principio dicti Concilii deputatis & ordinatis.

Die autem Veneris vndecima ſupradicti menſis Martii, reuerendiſſimus in Chriſto pater & dominus, dominus Ioannes de Medicibus, ſanctæ Mariæ in Dominica ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis, de Medicibus vulgariter nuncupatus, Romæ in conclaui ſupradicto, per reuerendiſſimos dominos cardinales, ſancti Spiritus infuſione afflante, nemine diſcrepante, nulloque contradicente, concorditer & vnanimiter & pure ad ſummi apoſtolatus apicem rite & legitime ac canonice electus & aſſumptus extitit, nec non dominus Leo papa decimus nuncupatus, atque honorifice, vt decuit, de dicto palatio ad baſilicam principis apoſtolorum de Vrbe ductus, inibique ad altare maius eiuſdem cum cantico, Te Deum laudamus, cum maxima lætitia & ſolennitate poſitus & inthronizatus.

Die vero Sabbati decimanona ſupradicti menſis Martii, præfatus ſanctiſſimus in Chriſto pater & dominus noſter, dominus Leo diuina prouidentia papa decimus,

per reuerendiſſimos in Chriſto patres & dominos, dominos ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, diuino officio Miſſæ, ſolennitatibus in talibus fieri ſolitis in eccleſia ſancti Petri peractis, ante porticum & introitum dictæ baſilicæ, videlicet ſupra ſcalam marmoream, in qua conſtructum fuerat quoddam tabernaculum ornatum, ſiue ſolium eleuatum pro dicti domini Leonis papæ decimi coronatione agenda per reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Alexandrum ſancti Euſtachii diaconum cardinalem, de Farneſio vulgariter nuncupatum, in ceterorum dominorum cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, prælatorum, clerique atque populi præſentia extitit honorifice atque ſolenniter, vt decuit, & ſummo pontifici congruit, triplici diademate & corona coronatus & inthronizatus, cum magno totius curiæ & Romani populi plauſu & lætitia. ANNO CHRISTI 1513.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die vero Dominica, decima menſis Aprilis, fuerunt publicatæ & affixæ per Ioannem Dominicum de Fidelibus, ſanctiſſimi domini noſtri curſorem, quædam literæ prorogationis ſextæ ſeſſionis tenoris infra ſcripti.

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Ad ſanctæ Romanæ vniuerſalis eccleſiæ regimen, meritis quamquam imparibus, diuina diſpoſitione vocati, inter omnia peragenda, quæ tantæ molis onus requirunt, illud in primis expetendum videtur, vt iis quæ ad omnipotentis Dei laudem, eccleſiæque præfatæ vnitatem & exaltationem, ac fidelium omnium profectum tendunt, omni conatu totiſque viribus ſalubriter intendamus. Cum itaque felicis recordationis Iulius papa ſecundus prædeceſſor noſter, vt ſtatus eccleſiæ præfatæ in melius reformaretur, ſacrum ac generale Lateranenſe Concilium de venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum eccleſiæ præfatæ cardinalium, de quorum numero tunc eramus, conſilio & aſſenſu conuocauerit & indixerit, illudque deinde celebrare inceperit, & in eo plures vſque ad quintam ſeſſiones incluſiue tenuerit, ſextamque

Anno Christi 1513. sessionem tertio Idus præsentis mensis faciendam indixerit, prout in literis seu schedulis dicti Iulii prædecessoris desuper confectis plenius continetur : nos qui etiam tunc in minoribus constituti, Concilium præfatum celebrari summopere cupiebamus, & domino Iulio prædecessore, sicut Domino placuit, rebus humanis exempto, illius successores effecti, non minus cordi tenemus dicti Concilii celebrationem vsque ad perfectionem causarum, propter quas indictum fuit, continuare & ad finem perducere, Conciliumque huiusmodi vsque ad illius debitum finem & complementum prosequi velle nuntiamus. Verum cum præfatus Iulius prædecessor, eodem Concilio approbante, negotium & discussionem declarationis, nullitatis & inualiditatis ac abrogationis assertæ pragmaticæ sanctionis, in partibus Gallicanis quodam abusu introductæ, apostolicæ sedi, ecclesiasticæque auctoritati, & sacris Canonibus derogantis, dictis fratribus & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque discussorum in eodem Concilio faciendam commiserit, Gallicosque prælatos, capitula ecclesiarum & monasteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiam regalis existentes, omnesque & singulos alios sua communiter vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateret accessus, in certis locis tunc expressis, moneri & citari infra certum terminum præfigendum, ad comparendum coram Iulio prædecessore & Concilio præfatis, causasque dicendum, quare sanctio ipsa in concernentibus auctoritatem prædictam, & ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari & abrogari non debere decreuit : citatioque prædictorum Gallicorum capitulorum, parlamentorum & laicorum præfatorum, cum termino competenti ad comparendum eis assignato, duodecimo Kalendas Martii proxime præteriti executa fuerit, diesque comparitionis citatorum & monitorum huiusmodi non nisi quartodecimo Kalendas Maii proxime futuri veniat, vt sic citati & moniti in dicta sexta sessione tenenda comparere, suasque rationes allegare possint : cumque etiam dicta die, tertio Idus præsentis mensis, solennis processio nostræ assumptionis ad ecclesiam Lateranensem iuxta

morem aliorum prædeceſſorum noſtrorum fiet, difficillimumque eſſet eadem die ſeſſionem & proceſſionem huiuſmodi celebrare, ac ex aliis iuſtis & rationabilibus cauſis noſtrum & dictorum fratrum animos mouentibus, de conſilio & aſſenſu prædictis, ſextam ſeſſionem præfatam quinto Kalendas Maii proxime futuri, quæ erit die Mercurii vigeſimaſeptima præſentis menſis Aprilis, qua cauſæ huiuſmodi ceſſabunt, ac citati & moniti præfati comparere, & eorum cauſæ & allegationes audiri, vel vera contumacia accuſari poterunt, prorogamus, illamque ipſa die, quinto Kalendas menſis huiuſmodi faciendam indicimus. ANNO CHRISTI 1513.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prorogationis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo decimotertio, quarto Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno primo.

PLACET.

Executio & publicatio ſupraſcriptarum literarum prorogationis, ſequitur & eſt talis.

Die decima menſis Aprilis præſentes ſupraſcriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis principis apoſtolorum de Vrbe, in valuis eccleſiæ ſancti Ioannis Lateranenſis, in valuis cancellariæ apoſtolicæ, ac in acie Campifloræ, vt moris eſt, per me Ioannem Dominicum de Fidelibus, curſorem.

Alia executio & publicatio earumdem literarum prorogationis, eſt talis.

Die vero vndecima menſis Aprilis, affixæ & publicatæ fuerunt in valuis baſilicæ ſancti Ioannis Lateranenſis, dum ibidem gentium multitudo propter acceſſum ſanctiſſimi domini noſtri, domini Leonis papæ X. congregata erat, per Ioannem Dominicum de Fidelibus, curſorem.

Die vero Lunæ vndecima ſupradicti menſis Aprilis, poſt diuinum officium in baſilica ſancti Petri principis apoſtolorum peractum, ante horam prandii, ſanctiſſimus

ANNO CHRISTI 1513. in Christo pater & dominus noster, dominus Leo diuina prouidentia papa decimus diademate pontificali coronatus solenniter cum maximis mirificisque triumphis, honestate, reuerentia & honore decentibus, per reuerendissimos in Christo patres & dominos, dominos sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, cum albis mitris atque pluuialibus ornatos, nec non perplures illustres duces & barones, nobilesque Romanos, atque ceterarum nationum homines, de dicta basilica sancti Petri ad basilicam sancti Ioannis Lateranensis, pro nonnullis ceremoniis ibidem faciendis, laudabiliter associatus extitit.

SESSIO VI.

& prima tempore sanctissimi domini nostri, domini Leonis papæ decimi.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno a natiuitate eiusdem millesimo quingentesimo decimotertio, indictione prima, die vero Mercurii vigesimaseptima mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno primo, sacra & vniuersali Synodo in basilica Lateranensi congregata, fuit celebrata sexta sessio, præsidente præfato sanctissimo domino nostro. Et fuerunt præsentes infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ & archiepiscopi, ac reuerendi patres domini episcopi, abbates & oratores principum, illustres domini & alii quamplures doctores & magistri & equites ac nobiles, in primis reuerendissimi domini

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.
Reuerendissimus dominus Franciscus Sabinensis.

Presbyteri cardinales.

Reuerendissimus dominus Thomas tituli sancti Martini in montibus, Strigoniensis.
Reuerendissimus dominus Franciscus tituli sanctorum Ioannis & Pauli.

Reuerendiſſimus dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco. ANNO CHRISTI 1513.

Reuerendiſſimus dominus Hadrianus tituli ſancti Chryſogoni.

Reuerendiſſimus dominus Robertus tituli ſanctæ Anaſtaſiæ, Nannetenſis.

Reuerendiſſimus dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.

Reuerendiſſimus dominus Carolus tituli ſanctæ Cæciliæ.

Reuerendiſſimus dominus Antonius tituli ſancti Vitalis, Siponti-nus.

Reuerendiſſimus dominus Matthæus tituli ſanctæ Potentianæ.

Reuerendiſſimus dominus Petrus tituli ſancti Euſebii, Anconitanus.

Reuerendiſſimus dominus Achilles tituli ſancti Sixti, Bononienſis.

Reuerendiſſimus dominus Bandinellus tituli ſanctæ Sabinæ, de Saulis.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.

Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.

Reuerendiſſimus dominus Marcus ſanctæ Mariæ in Porticu, de Corneliis.

Reuerendiſſimus dominus Sigiſmundus ſanctæ Mariæ Nouæ.

Reuerendiſſimus dominus Alphonſus ſancti Theodori.

Patriarchæ & aſſiſtentes papæ.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.

Reuerendus pater dominus Alphonſus Antiochenus.

Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.

Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.

Reuerendus pater dominus Robertus Rheginus.

Reuerendus pater dominus Federicus Salernitanus.

Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.

Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Cauallicenſis.

Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.

Reuerendus pater dominus Pompeius Reatinus.

Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Taurinenſis.

Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus epiſcopus & gubernator Vrbis.

Reuerendus pater dominus Hercules epiſcopus Auguſtenſis, orator Sabaudiæ.

Reuerendus pater dominus Bertrandus epiſcopus Adrienſis & orator ducis Ferrariæ.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Stephanus Patracenſis.

Reuc-

ANNO CHRISTI 1513. Reuerendus pater dominus Iulius Corinthienſis.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Auinionenſis.
Reuerendus pater dominus Rainaldus Raguſinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Monembaſienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Arborenſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Surrentinus.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Iulius Florentinus.

Epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Genocius Troianus.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphenſis.
Reuerendus pater dominus Albertus Valuenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Marianenſis.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Iuſtinopolitanus.
Reuerendus pater dominus Aloyſius Interamnenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Petrus Theatinus.
Reuerendus pater dominus Iacobus ciuitatis Ducalis.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Buduenſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Sibinicenſis.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Spoletanus.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Sueſſanus.
Reuerendus pater dominus Petrus Vrgellenſis.
Reuerendus pater dominus Hugo Rhegienſis.
Reuerendus pater dominus Galeſius Bellunenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenſis.
Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Bernardinus Policaſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Ioſue Eſculanus.
Reuerendus pater dominus Marius Vrgentinus.
Reuerendus pater dominus Petrus Narnienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Spigacenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Literenſis.

ANNO CHRISTI 1512.

Reuerendus pater dominus Simon Modruſienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus * Auellinenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinenſis.
Reuerendus pater dominus Conradus Aſtunenſis.
Reuerendus pater dominus Scabonius Imolenſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterranus.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Licienſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomenſis.
Reuerendus pater dominus Paris Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Anſarenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Acerranenſis.
Reuerendus pater dominus Thomas Callinenſis.
Reuerendus pater dominus Albertus Sebaſtenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Caiacenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aſculanus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Signienſis.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriaticenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Biſignianenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Latinus Veſtanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Tribunienſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus pater dominus Claudius Bellicenſis.
Reuerendus pater dominus Paulus Lectorienſis.
Reuerendus pater dominus Theſeus Recanatenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Elnenſis.

* al. Lauellen.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Antonius ſancti Galgani.
Reuerendus pater dominus Ioannes ſancti Sebaſtiani extra Vrbem.

Oratores.

Illuſtris dominus Albertus de Carpi, ſereniſſimi Maximiliani Romanorum regis orator.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, illuſtriſſimi & Catholici Ferdinandi regis Aragonum & Caſtellæ gubernatoris orator.
Magnificus dominus Franciſcus Foſcarus illuſtriſſimi dominii Venetorum orator.
Reuerendus pater dominus protonotarius Marinus Charatius, illuſtriſſimi domini Maximiliani ducis Mediolanenſis orator.
Dominus Iacobus Saluiati, & Franciſcus Victorius, dominii Florentinorum oratores.
Illuſtriſſimus dominus Ludouicus comes Petiliani.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1513.

Senator Vrbis & conſeruatores.

Illuſtris dominus Iulianus ſenator Vrbis.
Dominus Hieronymus Venzo, & dominus Stephanus Carbon.

Celebrata itaque Miſſa per reuerendiſſimum dominum Franciſcum epiſcopum Sabinenſem, cardinalem Vulterranum, & habita oratione per reuerendum patrem dominum Simonem epiſcopum Modruſienſem, cuius tenor in fine præſentis ſeſſionis deſcribitur; cantatiſque litaniis & euangelio per reuerendiſſimum dominum Alphonſum ſancti Theodori diaconum cardinalem, quod incipit: *Cum eſſet ſero die illa vna ſabbatorum*, &c. ſanctiſſimus dominus noſter papa incepit hymnum: Veni creator ſpiritus, &c. Quo finito, idem ſanctiſſimus dominus noſter habuit orationem, & incepit: Paſtoralis officii, &c. exhortando patres exiſtentes in Concilio, ad cogitandum ea quæ viderint pro republica Chriſtiana expedire. Et etiam dixit intentionis ſuæ ſanctitatis eſſe, continuare Concilium, donec fiat vniuerſalis concordia & pax inter Chriſtianos. Finita huiuſmodi oratione, ſupradictus magnificus dominus Iacobus Saluiati orator Florentinorum, præſentauit mandatum præfato domino noſtro nomine dicti dominii ad intereſſendum Concilio. Et immediate idem dominus noſter dedit illud reuerendo patri domino Thomæ Phædræ legendum in ambone. Qui aſcendit ambonem, & legit tenoris infra ſcripti. Ioan. 20.

MANDATVM FLORENTINORVM.

In nomine Dei. Amen.

Anno Domini noſtri Ieſu Chriſti ab eius ſalutifera incarnatione milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die vero quarta menſis Aprilis, tempore pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, domini Leonis diuina prouidentia papæ X. Cum ſuperioribus menſibus, die videlicet trigeſima menſis Decembris 1513. ſacroſancto Concilio Lateranenſi per felicis memoriæ Iulium pontificem maximum indicto & celebrato intereſſe atque adhærere ſummoperecuperemus, vt veros Chriſtianos decet, mandauimus tribus legatis noſtris tunc,

ac etiam ad præsens Romæ degentibus, Iacobo videlicet Saluiato, Matthæo Strozæ, ac Francisco Victori, nobilibus ciuibus nostris & cuilibet ipsorum in solidum, vt nostro nomine tali muneri atque officio in tali Concilio interessent atque adhærerent, vt de tali mandato per nos facto & celebrato publicum constat documentum infra scripti tenoris & exempli. ANNO CHRISTI 1513.

In Dei nomine. Amen.

Anno Domini nostri Iesu Christi ab eius salutifera incarnatione 1513. indictione prima, die vero trigesima mensis Decembris, tempore pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, domini Iulii diuina prouidentia papæ secundi, prospexit tandem Deus noster de excelso sancto suo, *Dominus de cælo in terram adspexit.* Fluctuante enim Christiana nauicula & periclitante, ne ictibus mergeretur vndarum immanium & pessimarum, dies tandem illuxit, quo ventorum rabie sedata, & placatis positisque procellis, salutarem nauis repererit portum Christi, qui cum in terris homo factus versaretur, salutem mundo allaturus, nulli rei magis incubuit, nihil præ se tulit vberius, quam vt pacem procuraret, suis pacem relinqueret. Neque a nobis postmodum discessurus quidquam dulcius mandauit discipulis, quam vt pacem colerent, paci studerent, pacem rebus in omnibus amplexarentur. Neque id mirum. Quid enim pace sanctius, quid iucundius, quid vel nomine ipso pacis suauius? Hæc enim bonos nutrit, dispersos cogit, noxia quæque tollit, & salutem perennem non parat modo, sed præstat. Hac vna re motus sanctissimus ac beatissimus in Christo pater & dominus noster, dominus Iulius diuina prouidentia papa secundus, & catholicæ ecclesiæ pontifex maximus, verus & indubitatus Christi vicarius, Petri successor, cum videret Christianam pacem atque vnitatem discindi atque dilacerari, plures in vinea Domini Sabaoth hæreses pullulare, apros de silua imminere vineam ipsam iamiam profanaturos atque exterminaturos, schisma inter Christianos serpere mortiferumque & abominandum, lupos complures ouium pellibus amictos dominicum gregem inuadere; occurrendum protinus imminenti malo, atque exterminandum tam immane

Psal. 101.

Ioan. 14.

Anno Christi 1513. facinus duxit. Ideoque de consensu sacrosancti reuerendissimorum cardinalium collegii, Concilium superiore anno indixit legitimum, sacrosanctum, Romæ apud sanctam Lateranensem ecclesiam, ad quam Christiani omnes conuenirent, ab eo vocati in communem defensionem Christianæ reipublicæ, & eorum animaduersionem, qui tunicam inconsutilem atque vnicam Domini nostri Iesu Christi discindere, in partesque varias distrahere moliuntur. Cumque Florentinæ reipublicæ, inter Christianas primarias respublicas non postremæ, ad Conciliumque huiusmodi vocatæ, partes suas tueri, neque communi rei deesse conueniat, obsequendum votis vocationique sanctissimi domini nostri papæ statuit, vt Christianos principes decet: idcirco cum respublica ipsa coram interesse Lateranensi sacrosancto Concilio non possit, communem ceterorum vsum secuta, vicarios suos tali muneri destinandos decreuit. Quapropter nos priores libertatis, & vexillifer iustitiæ populi Florentini de Balia, vna cum consilio nostræ Baliæ, omnibus modis, quibus magis, melius & validius potuimus ac possumus, statutorum ac legum nostræ reipublicæ more seruato, facimus, constituimus, creamus & solenniter ordinamus procuratores nostros & nostræ reipublicæ, ac vices nostras ac reipublicæ ipsius nostræ demandamus nobilibus ciuibus nostris Iacobo Saluiato Ioannis filio, Matthæo Strozæ Laurentii filio, & Francisco Victori Petri filio, oratoribus nostris apud summum pontificem Romæ degentibus, quibus omnibus simul, & vnicuique ipsorum seiunctim & separatim nostras nostræque reipublicæ vices mandauimus atque mandamus, vt sacrosancto Concilio Lateranensi prædicto nostro nomine intersint, assistant, adhæreant, præstent & transigant, quæ a nobis nostraque republica præstari, exhiberi ac transigi quoquo modo possint in decus, honorem, dignitatem amplitudinemque præfati sacrosancti Concilii Lateranensis & exaltationem eiusdem sanctissimi domini nostri Iulii secundi pontificis maximi, & sanctæ Romanæ ecclesiæ catholicæ antedictæ, dantes eisdem oratoribus nostris & eorum cuilibet amplissimam auctoritatem, potestatem atque arbitrium ad omnia & singula in prædictis & circa prædicta, videli-

cet, quæ in tam pio & salutari ac religioso negotio tractanda, peragenda, promittenda, præstanda, & executioni mandanda atque adimplenda forent, quæ nos cum præfato nostro consilio Baliæ ex forma statutorum ac legum reipublicæ nostræ quoquo modo facere, tractare, promittere, præstare, ac executioni mandare atque adimplere possemus ac possumus, & quæ nosipsi facere possemus, si præsentes præfato sacrosancto Concilio interessemus, promittentes omnia & singula a præfatis oratoribus nostris vel altero ipsorum facta, gesta, promissa, præstitaque in præmissis & circa præmissa, nos approbaturos esse, rataque & grata in perpetuum habituros, decernentes præsens nostrum mandatum vires habiturum & duraturum, donec præfati oratores nostri vel ipsorum quilibet in præfata legatione permanserit apud præfatum sanctissimum dominum nostrum Iulium pontificem maximum. In quorum omnium fidem & testimonium præsens mandatum fieri iussimus & publicari in forma nostræ reipublicæ consueta.

Anno Christi 1513.

Datum in palatio nostro, die quo supra.

Ego Antonius olim ser Anastasii, ser Amerigi de Vespuccis, imperiali auctoritate iudex ordinarius notariusque publicus & ciuis Florentinus, nec non cancellarius extractus officiorum populi & communis Florentiæ, prædictis omnibus & singulis, dum sic agebantur, interfui, eaque rogatus scribere, scripsi rogatus & publicaui, & in hanc publicam formam redegi, & aliis magis arduis negotiis occupatus, alii mihi fido scribendum commisi. Et quia cum meo originali concordare inueni, ideo in fidem præmissorum me subscripsi, & solito mei signo signaui. Nunc autem eodem Iulio pontifice maximo ab humanis subtracto, & in legitimum eius locum ac sanctæ sedis apostolicæ successorem diuina prouidentia suffecto sanctissimo ac beatissimo domino nostro, domino Leone decimo pontifice maximo, vero Christi vicario, ac Petri legitimo successore, qui idem sacrosanctum Lateranense Concilium in Christianæ reipublicæ sanctificationem ac decus prosequi & celebrare pro sua diuina clementia destinat, ita nobis significantibus præfatis legatis, præfati sanctissimi domini nostri nomine non visum est, vt com-

Anno Christi 1513. muni Christianorum causæ, tam sanctæ, tam diuinæ, quantum in nobis est, desimus. Idcirco notum singulis atque vniuersis esse volumus, quibus interest, aut quomodolibet interesse posset, si qua in re per præfati felicis recordationis Iulii pontificis obitum, eidem mandato nostro subtractum, aut aliqua in parte diminutum quomodolibet sit, aut esse per quemquam putaretur, id nos omnemque rempublicam nostram huius instrumenti nostri serie penitus supplere, instaurare & sufficere. Volumusque eiusmodi mandatum, omni dubitatione semota, in suo robore penitus perstare & remanere, eosdemque legatos nostros, & quemlibet eorum, eadem facultate, auctoritate & potestate frui debere & posse, qua frui debebant ac poterant, dum præfatus felicis memoriæ Iulius pontifex maximus in humanis ageret: decernentes præsens nostrum mandatum vires habere ac durare debere, donec præfati oratores nostri, vel ipsorum quilibet in præfata legatione permanserit apud præfatum sanctissimum dominum nostrum, dominum Leonem decimum pontificem maximum. In quorum omnium fidem ac testimonium præsens fieri iussimus instrumentum, eumdemque Antonium Vespuccium secretarium nostrum, notariumque publicum, de prædictis vnum seu plura, prout opus fuerit, conficere instrumenta.

Datum in palatio nostro, die quo supra.

Ego idem Antonius olim ser Anastasii, ser Amerigi de Vespuccis, imperiali auctoritate iudex ordinarius, notariusque publicus & ciuis Florentinus, nec non cancellarius extractus officiorum populi & communis Florentiæ, prædictis omnibus & singulis dum sic agebantur, interfui; eaque rogatus scribere, scripsi, rogaui & publicaui, & in hanc publicam formam redegi, & aliis magis arduis negotiis occupatus, alii mihi fido scribere commisi. Et quia cum meo originali concordare inueni, ideo in fidem præmissorum me subscripsi, & solito mei signo signaui.

Deinde dominus Marius de Peruschis procurator Concilii, reproduxit bullam seu monitorium contra profitentes pragmaticam, tenoris prout supra continetur, dans eius executionem a tergo, videlicet:

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, pontificatus ſanctiſſimi domini Iulii diuina prouidentia papæ ſecundi anno decimo, die vero decimaquinta menſis Februarii, præſentes retroſcriptæ literæ apoſtolicæ præfati ſanctiſſimi domini noſtri papæ fuerunt affixæ & publicatæ in metropolitana Mediolanenſi, & in cathedrali Papienſi die decimaſexta, ac cathedrali Aſtenſi die decimaoctaua menſis Februarii, affixæ & publicatæ in valuis ſeu portis, & ibidem per longum temporis ſpatium dimiſſæ, vt ab omnibus ibidem ſtantibus legi & intelligi poſſent. Deinde copiæ earumdem literarum ibidem affixæ, dimiſſæ fuerunt in ſignum veræ publicationis earumdem literarum prædictarum, per me Franciſcum Vaca ſanctiſſimi domini noſtri papæ curſorem: & dictus dominus Marius procurator accuſauit eorum contumaciam prælatorum & aliorum intereſſe debentium ſacro Concilio huiuſmodi, & non intereſſentium, petens decerni citationem contra eoſdem: & ſanctiſſimus dominus noſter nihil reſpondit. Demum excluſis aliis non habentibus vocem definitiuam, exceptis oratoribus & baronibus ac prælatis, & clauſis portis dicti Concilii, vt moris eſt, ſanctiſſimo domino noſtro Leone decimo, cum ceteris prælatis, ſacris veſtibus indutis & mitratis, in ſuis locis conſidentibus, reuerendus pater dominus Robertus archiepiſcopus Reginenſis aſcendit ambonem, & legit ſchedulam tenoris infra ſcripti, de mandato dicti ſanctiſſimi domini noſtri. Anno Christi 1513.

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad futuram rei memoriam, ſacro approbante Concilio.

Superna illius ordinatione, qui cæleſtia & terreſtria omnipotentis prouidentia moderatur, ſanctæ ſuæ vniuerſali eccleſiæ licet immeriti præſidentes, inter multiplices curas, quibus aſſidue angimur, doctoris gentium ſalubri ſanctiſſimaque doctrina moniti, ad ea maxime aciem noſtræ mentis conuertimus, per quæ in eccleſia ipſa perpetua vnitas & caritas inuiolata perdurent, grexque nobis commiſſus rectis tramitibus in viam ſalutis procedat, ac Chriſticolarum nomen & precioſæ crucis ſignum,

Anno Christi 1513. signum, in quo fideles saluati sunt, infidelibus expulsis, dextera Dei assistente, latius diffundatur. Sane postquam felicis recordationis Iulius papa secundus prædecessor noster sacrum generale Lateranense Concilium, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio & assensu, laudabiliter, legitime & ex rationabilibus causis, Spiritu sancto cooperante, & in eo quinque sessiones tenuerat, sextamque sessionem tertio Idus præsentis mensis faciendam indixerat, nos, dicto prædecessore de medio sublato, extunc expressis & aliis causis nostrum & dictorum fratrum animum mouentibus, sextam sessionem huiusmodi, de eorumdem fratrum consilio & assensu, vsque in hodiernum prorogauimus. Cum autem in minoribus constitutis semper nobis insitum cordi fuerit, generale Concilium, vtpote agri dominici culturam præcipuam, celebrari videndi, nunc ad apostolatus apicem assumpti, honesto vtilique desiderio nostro debitum ex iuncto nobis curæ pastoralis officio accessisse conspicientes, rem hanc ardentiori voto & tota animi alacritate susceпimus. Itaque prorogationem huiusmodi per nos factam, approbante eodem sacro Lateranensi Concilio, approbamus, ac Concilium ipsum vsque ad perfectionem causarum, propter quas indictum extitit, & præsertim, vt inter principes & potentatus Christianos, bellis atrocibus pacatis, hostilibusque armis depositis, vniuersalis & firma pax componi valeat, pro qua indefessa solicitudine, nihil pro tam salubri bono intactum relinquendo, omnes conatus nostros adhibere intendimus, prosequi, & fine debito terminare velle, nostrique incommutabilis animi & intentionis fore & esse declaramus, vt iis quæ ad Dei laudem ecclesiæque præfatæ exaltationem ac Christi fidelium concordiam pertinent, peractis, sancta ac necessaria expeditio contra catholicæ fidei hostes fieri, feliciterque ex illis, Altissimo fauente, triumphari possit. Vt autem ad tantum perutile Concilium accedere debentes ab accessu huiusmodi quomodolibet non retrahantur, omnibus & singulis ad celebrationem Concilii præfati per dictum Iulium prædecessorem conuocatis, aut in congregationibus Conciliorum

generalium de iure vel consuetudine interesse debentibus, præsertim Gallicæ nationis, & ad dictum Concilium Lateranense venientibus, schismaticis & aliis quibuscumque, de iure communi vel speciali, per sententiam seu literas apostolicas prædecessorum nostrorum, vel sedis apostolicæ, prohibitis dumtaxat exceptis, venientiumque seruitoribus & familiaribus, cuiuscumque status, gradus, conditionis vel nobilitatis existentibus, ecclesiasticis & sæcularibus, pro se & eorum bonis quibuscumque, non obstantibus quibusuis censurarum & pœnarum ecclesiasticarum & sæcularium adiectionibus, contra eos ex quibusuis causis, a iure, vel per sedem præfatam, sub quibusuis verborum formis & clausulis generaliter promulgatis, & quas generaliter incurrerunt, per ciuitates, terras & loca terrestria & maritima Romanæ ecclesiæ præfatæ subiecta, ad Concilium Lateranense ad Vrbem huiusmodi veniendi, & in ea morandi & libere consulendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, liberum, tutum, plenum & omnimodum saluumconductum, cum plena, libera, tuta & omnimoda securitate, atque in vera & infallibili fide pontificia, approbante sacro Concilio præfato, harum serie damus & concedimus. Et nihilo minus omnes & singulos reges, principes & potentatus Christianos per literas nostras hortabimur, monebimus & requiremus, vt pro summi Dei & apostolicæ sedis reuerentia, venientes ad sacrum Lateranense Concilium huiusmodi, directe vel indirecte, quomodolibet in persona vel bonis non molestent, seu molestari faciant, sed eos libere, secure & quiete venire permittant. Ceterum pro exequenda celebratione ipsius Concilii, septimam sessionem decimo Kalendas Iunii proxime futuri faciendam indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, declarationis, continuationis, prosecutionis, concessionis, monitionis & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

ANNO CHRISTI 1513.

Data Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis

ANNO CHRISTI 1513. dominicæ milleſimo quingenteſimo decimotertio, quinto Kalendas Maii, pontificatus noſtri anno primo.

Die Mercurii vigeſimaſeptima Aprilis, milleſimo quingenteſimo decimotertio. Lecta per reuerendum dominum Robertum archiepiſcopum Rheginum.

Qua perlecta, petiit idem reuerendus dominus archiepiſcopus, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnes reſponderunt, placere contenta in ſchedula. Et fuit indicta ſeptima ſeſſio decimo Kalendas Iunii. Super quibus omnibus & ſingulis præfatus dominus Marius procurator petiit inſtrumentum & inſtrumenta.

Demum reuerendus pater dominus Carolus Orpheus ſedis apoſtolicæ notarius dedit mandatum reuerendi patris domini Pauli Zanæ epiſcopi Brixienſis, & inſtrumentum excuſationis illius. Et reuerendus pater dominus Franciſcus Inſert, literarum apoſtolicarum ſolicitator, dedit mandatum reuerendi patris domini Georgii epiſcopi Conimbrienſis. Et reuerendus pater dominus Bernardus archiepiſcopus Spalatenſis dedit mandatum reuerendi patris domini Octauiani epiſcopi Viterbienſis, & dominus Iacobus Gerteuuitz dedit mandatum reuerendi patris domini Ioannis epiſcopi Miſnenſis, ad intereſſendum Concilio huiuſmodi.

Congregatio prælatorum in Lateranenſi palatio pro rebus Concilii.

Anno a natiuitate Domini 1513. indictione prima, die vero Veneris decimaquarta menſis Maii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis papæ decimi anno primo, poſt meridiem, in baſilica Lateranenſi, in aula qua itur ad ſancta ſanctorum, vulgariter nuncupata aula Concilii, fuit congregatio prælatorum exiſtentium in vrbe. Et fuerunt præſentes cardinales, generales ordinum, videlicet:

Reuerendiſſimus dominus Raphael epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ camerarius, cardinalis ſancti Georgii nuncupatus.

Reuerendiſſimus dominus Thomas ſancti Martini in

montibus presbyter cardinalis, Strigonienſis nuncupatus. ANNO CHRISTI 1513.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii diaconus cardinalis, de Farneſio nuncupatus.

Inſuper fuerunt præſentes octuaginta & ſeptem patriarchæ, archiepiſcopi & epiſcopi. Fuitque propoſitum per præfatum reuerendiſſimum Raphaelem epiſcopum Oſtienſem, etiam de mandato ſanctiſſimi domini noſtri, quod difficile foret pro ſingulo negotio tractando in Concilio congregare omnes prælatos: ideo ſequendo ordinem & modum aliorum Conciliorum, paternitates ſuæ eligerent aliquos prælatos graues & doctos, qui eſſent vna cum reuerendiſſimis cardinalibus, ad pertractandum coram ſanctiſſimo domino noſtro ea quæ in ſeſſionibus conciliaribus eſſent proponenda. Et ita prælati ibidem exiſtentes dixerunt fore honeſtum & rationi conſonum. Et ad electionem prælatorum deputandorum proceſſerunt, mediantibus fabis albis & nigris, ſeu cum fabis albis & nigris: & ita elegerunt vigintiquatuor prælatos, videlicet:

Reuerendum dominum Bernardum epiſcopum Taruiſinum gubernatorem Vrbis.
Archiepiſcopum Senenſem.
Epiſcopum Terdonenſem.
Epiſcopum Bidunenſem.
Archiepiſcopum Salernitanum.
Archiepiſcopum Florentinum.
Epiſcopum Cumanum.
Archiepiſcopum Tranenſem.
Epiſcopum Fauentinum.
Epiſcopum Melitenſem.
Epiſcopum Caſtelli maris.
Epiſcopum Signenſem.
Epiſcopum Modruſienſem.
Epiſcopum Alexandrinum.
Epiſcopum Cauallicenſem.
Archiepiſcopum Rheginum.
Archiepiſcopum Spalatenſem.
Epiſcopum Reliſinum.
Epiſcopum Iuſtinopolitanum.
Archiepiſcopum Nazarenum.
Epiſcopum Ilcinenſem.
Epiſcopum Vrbinatenſem.
Epiſcopum Anglionenſem.
Epiſcopum Taurinenſem.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Anno Christi 1513.

Prorogatio septimæ sessionis.

Deinde die vigesima supradicti mensis Maii, discretus vir dominus Enrardus Duuiuier, præfati sanctissimi domini nostri cursor, retulit se affixisse literas prorogationis septimæ sessionis tenoris infra scripti.

Leo episcopus seruus seruorum Dei.

Prouidentia sedis apostolicæ plurimum circumspecta, nonnunquam ea quæ certis tunc suadentibus causis & rationibus, statutis temporibus facere dispossuit, ex aliis non minus ponderandis rationibus & causis in aliud tempus in melius commutat & prorogat, prout id in Domino videt salubriter expedire. Cum itaque in sexta sessione sacri Lateranensis Concilii solenniter celebrata, in qua nos Concilium prosequi & fine debito terminare velle, eodem sacro Concilio approbante, nuntiauimus, septimam sessionem Concilii præfati decimo Kalendas Iunii proxime futuri faciendam indixerimus, & certis superuenientibus legitimis causis, præsertim quia propter temporis angustiam materiæ in dicta sessione proponendæ prælatis deputatis & aliis generaliter interesse in dicta sessione debentibus notificari non potuerunt: aduentus quoque venerabilis fratris Ioannis archiepiscopi Gneznensis primatis Poloniæ, carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Poloniæ regis oratoris, ad præstandum nobis dicti regis nomine obedientiam, & adhærendum ac se incorporandum nomine totius Polonicæ nationis sacro Lateranensi Concilio, ad Vrbem de proximo expectatur: qui dictæ septimæ sessioni, quæ vltima erit ante Kalendas Octobris proxime venturi, interesse cupit: aliisque causis nobis & venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus notis, septima sessio decimo Kalendas huiusmodi commode celebrari non possit, satiusque visum sit eam ad aliquot paucos dies post decimum Kalendas præfatas celebrandam prorogare: Nos vrgentibus rationibus moti, de fratrum prædictorum consilio & vnanimi assensu, septimam sessionem prædictam ad decimumquintum Kalendas Iulii, quæ erit sexta feria, prorogamus, & ipsam decimoquinto Kalendas Iulii faciendam indicimus.

Data Romæ in palatio apoſtolico, die vigeſima menſis Maii, 1513. pontificatus noſtri anno primo. ANNO CHRISTI 1513.

PLACET.

Anno a natiuitate Domini 1513. indictione prima, die vero tertia menſis Iunii, ſanctiſſimus dominus noſter diuiſit ſupradictos prælatos deputatos per congregationem, vt aliqui eorum tractarent ea quæ ſpectant ad pacem vniuerſalem componendam inter principes Chriſtianos, & etiam quæ ſpectant extirpationi ſchiſmatis: & alii ad tractandum ea quæ ſpectant ad fidem, & ſuper reformatione & abolitione pragmaticæ ſanctionis. Et etiam ſanctitas ſua vltra prælatos deputatos per congregationem, addidit alios, qui intereſſe deberent congregationibus particularibus faciendis, ac etiam addidit generales ordinum. Deputati fuerunt tales, & primo.

Deputatio pro rebus pacis vniuerſalis componendæ inter principes Chriſtianos, & pro extirpatione ſchiſmatis, eſt de infra ſcriptis, videlicet:

Reuerendiſſimus dominus Vulterranus.
Reuerendiſſimus dominus Strigonienſis.
Reuerendiſſimus dominus Surrentinus.
Reuerendiſſimus dominus de Fliſco.
Reuerendiſſimus dominus ſancti Chryſogoni.
Reuerendiſſimus dominus de Finario.
Reuerendiſſimus dominus de Farneſio.
Reuerendiſſimus dominus Mantuanus.

Prælati his adiungendi ſunt infra ſcripti, electi per vniuerſos prælatos Concilii.

Reuerendus dominus Gubernator epiſcopus Taruiſinus.
Reuerendus dominus Terdonenſis.
Reuerendus dominus Biſignianenſis.
Reuerendus dominus Salernitanus.
Reuerendus dominus Florentinus.
Reuerendus dominus Cumanus.
Reuerendus dominus Theatinus.
Reuerendus dominus Fauentinus.

Additi per ſanctiſſimum dominum noſtrum de his qui non interfuerunt congregationi tempore electionis.

Reuerendus dominus archiepiſcopus Gneznenſis, orator Poloniæ.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1513. Reuerendus dominus episcopus Reatinus.
Reuerendus dominus generalis Augustinensium eremitarum.
Reuerendus dominus generalis Seruorum.

Deputatio pro generali reformatione curiæ & officialium est de infra scriptis.

Reuerendissimus dominus Camerarius.
Reuerendissimus dominus Senogallienſis.
Reuerendissimus dominus Agennensis.
Reuerendissimus dominus Eboracensis.
Reuerendissimus dominus sancti Vitalis.
Reuerendissimus dominus Sedunensis.
Reuerendissimus dominus Aragonensis.
Reuerendissimus dominus de Corneliis.

Prælatis his adiungendi, sunt infra scripti, electi per vniuersos prælatos Concilii.

Reuerendus dominus Senensis.
Reuerendus dominus Miletensis.
Reuerendus dominus Castelli maris.
Reuerendus dominus Signinus.
Reuerendus dominus Modrusiensis.
Reuerendus dominus Alexandrinus.
Reuerendus dominus Cauallicensis.
Reuerendus dominus Rheginus.

Additi per sanctissimum dominum nostrum de his qui non interfuerunt congregationi tempore electionis.

Reuerendus dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus dominus episcopus Augustensis orator Sabaudiæ.
Reuerendus dominus generalis Carmelitarum.
Reuerendus dominus generalis Camaldulensis.

Deputatio super materia pragmaticæ, & rebus fidem tangentibus, est de infra scriptis.

Reuerendissimus dominus Grimanus.
Reuerendissimus dominus Arborensis.
Reuerendissimus dominus Nannetensis.
Reuerendissimus dominus vicecancellarius.
Reuerendissimus dominus sancti Eustachii.
Reuerendissimus dominus Bononiensis.
Reuerendissimus dominus de Saulis.
Reuerendissimus dominus de Petruciis.

Prælati his adiungendi, sunt infrascripti, electi per vniuersos prælatos Concilii.

Reuerendus dominus Spalatensis.
Reuerendus dominus Ragusinus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Reuerendus dominus Iuſtinopolitanus.
Reuerendus dominus Nazareth.
Reuerendus dominus Ilcinenſis.
Reuerendus dominus Vrbinatenſis.
Reuerendus dominus Anglonenſis.
Reuerendus dominus Taurinenſis.

Anno Christi 1513.

Additi per ſanctiſſimum dominum noſtrum de his qui non interfuerunt congregationi tempore electionis.

Reuerendus dominus Sibinicenſis.
Reuerendus dominus Melfitanus.
Reuerendus pater generalis Prædicatorum.
Reuerendus pater generalis Minorum.

Ita placet, & deputamus.

Deinde ſupradicti deputati diuerſis vicibus conuenerunt in vnum, tractantes & conſulentes in tribus diuerſis locis, prout fuerunt deputati, de rebus pacis, fidei & reformationis, in palatio tamen apoſtolico diuerſis cameris, ſiue aulis & locis, vbi ſteterunt ad plures horas qualibet vice clauſi, ad diſcutiendum & examinandum materias proponendas in ſacro Lateranenſi Concilio & ſequentibus ſeſſionibus tenendis & celebrandis. Quæ poſtmodum in dictis ſeſſionibus poſt longam & maturam diſcuſſionem expeditæ fuerunt, vt infra apparebit.

*Simon Bengnius epiſcopus Modruſienſis Bernardino de * Frangepanibus, Modruſiæ, &c. comiti, ſalutem.*

* Frangepanis. * Frangepanum.

Conſtitueram omnino, princeps illuſtris, orationem hanc non edere, vtpote quæ ſilentio potius premi, quam in hominum exire notitiam mereatur: ne ſi quid fauoris aut gratiæ, dum recitaretur, paulo ante conſecuta eſt, totum id nunc ſua in lucem prodeundi temeritate diſpereat, cum præſertim nullo eruditi laudatoris elogio muniatur, nulloſve commendationis titulos præ ſe ferat. Noſti vero tu, qui non ſucciſiuis modo temporibus, ſed inter arma, inter gladios ipſos ſcribis aliquid ſemper aut trãsfers, quantum referat, audiatur oratio an legatur, & in cuius aurem veniat, a quo probetur. Verum mea hæc, vt ingenue fatear, non oſtenſioni, ſed fidei & veritati innititur. Malui enim communes calamitates aperta oratione, nudis verbis & excuſſo, vt dicitur, ſinu denudare, quam exquiſitis verbis aut ementitis locis rem ipſam per ſe veriſſimam inum-

ANNO CHRISTI 1513. inumbrare. Cum doctis actum est, quorum animis probe insinuari posset habita oratio. Et qui veritatem dicit, iuxta illud sapientis, non laborat. Nam & miserabiles huiusmodi conciones plus interim efficaciæ obtinent, & magis mouent, si res ipsæ de quibus agitur, iisdem quibus concluduntur terminis, & eadem illa qua sunt facie, sine cultu, sine affectatis, vt aiunt, cincinnis exhibeantur. Si quid vero nostra hac profecerimus oratione, tu & nostri omnes, imo ecclesia omnis intelliget. Ego certe nihil dubito, Leonem pontificem nostrum maximum, in quo æqua semper fuit bonitati liberalitas, prudentiæ caritas, integritati magnanimitas, & hunc etiam sacrosanctum cardinalium senatum, non nos, non nostros tantum, pro quibus etiam Saluator noster humanitatem subiit & passus est, haud despiciendam gregis dominici partem, sed Christianam rempublicam omnem hancque apostolicam sedem, hæc templa, has aras, hos penates, hæc sacra, hanc prouinciarum principem & orbis caput vrbem Romam, seque adeo & salutem propriam conseruaturos. Vel si nil magis hac industria consecutus ero, id saltem efficiam, vt officii me mei nullo vnquam tempore pœnitentia subeat, quin & vera prædixerim, & necessarium remedium pro virili implorauerim. Quod etiam si debito euentu destituatur, & tibi & nostris, qui animum in hac re expendere statuent, & mihi etiam ipsi fiet satis. Vale.

Oratio per Simonem Bengnium episcopum Modrusiensem in sexta sessione Lateranensis Synodi habita.

Nemo vnquam extitit, pater beatissime, vosque patres amplissimi, qui sua virtute, suo ingenio nisus, nostrum hoc cælum transcendere potuerit: quandoquidem comparare tantum arte aut industria nunquam possumus, vt vnde nostra culpa decidimus, nostra eodem virtute resiliamus. Quod si cui datum est aliquando (datum est autem multis) felicitatem illam, quæ ceteras omnes immensitate æternitateque superat, adipisci, veritatis eum pater attraxit. Hæc namque vna est ad beatitudinem via, ipsa est principium, ipsa finis. Hanc qui propriis viri-

bus confidunt, relinquentes, non ferme secus, quam Thaletem illum Asianum decidisse referunt, in errorum damnationisque foueas prolabuntur. Haud aliter certe a veritate ipsa & diuini iudicii speculo facies suas auerterunt, qui loquentes in dolo verba pacifica, innumeras fere ecclesiæ calamitates intulerunt. Quarum causa œcumenicum illud primum omnium & innumerabilium bonorum seminarium, apud Nicæam Bithyniæ vrbem, & alia alibi multa Concilia coacta & celebrata esse legimus. Ego vero in hac Lateranensis Concilii continuatione verba facturus, tametsi leue dicendi munus suscepisse me arbitror, quippe qui certus sim, vos & officii vestri memores & dignitatis, tales vos Christianæ religioni exhibituros, quales temporum & rerum, de quibus agendum est, ratio ac magnitudo esse iubet: cum hac tamen præfatione dicam, patres, vt, si quid, quod dicendum a me fuisset, omisero (tanta est huius prouinciæ difficultas) veniam me ab omnibus impetraturum sperem. Vos vero, si (quæ vestræ partes sunt) labenti ecclesiæ non succurreritis, quid spei, quid subsidii reliquum sit, iudicate. Itaque de promissa toties ecclesiæ reformatione, deque sanctissima contra Turcas expeditione quam breuissime dicturus, a veritate illa opem atque auxilium implorabo, quæ locuturis nobis coram regibus & præsidibus Spiritus sancti facundiam pollicetur. Tu igitur, Domine, qui os hominis fecisti, qui mutum, surdum, videntem & cæcum fabricatus es, pone custodiam ori meo & ostium circumstantiæ labiis meis; vt quæ tuo nomine digna sint, quæ Leoni pontifici nostro maximo, hisque patribus ac dominis, & vniuersæ ecclesiæ salutaria fuerint, perstringere valeam. Quando ita constitutum est a natura, vt omnia orta occidant, plurimum certe debemus maioribus nostris, qui cum perpetuo esse non possent, vsque adeo nobis prospexerunt, vt, nisi qui omnem exuit humanitatem, rerum gestarum memoria & præsentem vitam corrigere, & futuram etiam recte ducere sua sponte vnusquisque possit ac valeat. Cuius etiam rei gratia statuariam & sculpturæ & picturæ artes sagacissima mortalitas adinuenit, vt qui literarum notitiam non habent, inspectis magnorum virorum imaginibus ad bene viuendum excitentur: tum etiam, ANNO CHRISTI 1513.

Anno Christi 1513. vt maiores natu præclara illorum gesta a generatione in generationem proferant & promittant. Nobis vero maiorum nostrorum studio atque vigiliis tantopere consultum est, nobis ex euangelicæ legis institutionibus, & Christi legislatoris nostri actionibus, totius vitæ norma ita præscripta est, vt illinc veluti ex archetypo quodam & exemplari, quid fugere, quidve sequi debeat, vnusquisque depromere possit, simulque qualem se sibi, & qualem alteri exhibere teneatur, apertissime sciat. Et sicut pro honore, pro potentia, pro imperio, pro republica animarum prodigos, & extrema quæque perpessos fuisse nonnullos refert antiquitas: ita nos quoque pro Christiani nominis honore animas nostras odisse debemus in hoc mundo, pro Christiana fide nihil arduum, nihil terribile expaueſcentes, pro Christianæ religionis imperio agrum dominicum excolere, vitia extirpare, virtutes serere debemus. In hac vero Christiana republica corruptelas omnes tamquam boni ciues explodamus, errata corrigamus, instituta quæ malorum studiis in desuetudinem abierunt, ad communem bonorum vsum reuocemus, pacem amemus, amicitias celebremus: & tales denique nos, qui tamquam luminaria in mundo lucere debemus, exhibeamus, vt qui in ecclesia Dei sunt, nostra bona opera velut e speculo videant, quæ sequantur. Illis vero, qui cogente necessitate auxilium a nobis implorant, caritatis viscera ostendamus, ne si præmissorum rationem non habuerimus, lupi & impudici, iuxta Augustini sententiam, iudicemur. Sed dicturus iam de his quæ facere nos oportet, rem altius aliquantulum repetam, vt recensitis aliquorum malorum oppressionibus, quanta nos deinceps etiam incommoda maneant, si vestro studio, vestra prudentia illis non occurratur, cognoscatis, inspiciatis, attingatis. Gregorio vndecimo, cui ob restitutam Italiæ Romanam curiam plurimum debemus, Romæ vitæ functo, Vrbanus sextus legitime successit. Quod cum cardinales Galli incusarent, Clementem septimum deligunt: iidemque illi cardinales in demortui Clementis locum Benedictum decimumtertium substituunt. Vrbano Bonifacius eo nomine nonus, Bonifacio Innocentius septimus, Innocentio Gregorius duodecimus, succedunt. Abdicatis-

que deinde in Pisano Concilio, communi omnium cardinalium consensu, Gregorio & Benedicto, quod promissis non stetissent, Alexander quintus eligitur, in cuius postea locum Ioannes vigesimustertius sufficitur. Et ita per quadraginta ferme annos multis variisque incommodis afflicta ecclesia, octo legitimos, mixtimque pseudopontifices habuit. Eoque ventum erat, vt cum velum templi Dei trifariam scissum ecclesiam catholicam protegere ac circumfouere nequiret, schismaticis ipsis longe lateque debacchandi occasionem præbuit ea pestis, nostris vero in nosipsos & nostra viscera desæuiendi fomitem subministrauit; non tamen sine suspicione, quod illorum temporum pontifices, qui bella extinguere, discordias tollere debuissent, suscitarent ea potius atque nutrirent. Quibus rebus quasi in præceps itum est. Et nisi Deus optimus maximus lucernam illam de domo Dauid internecioni nunquam demandandam promisisset, quid de nobis nunc esset, arbitrari facile potestis, patres amplissimi. Quare, cum nemo esset, qui languenti ecclesiæ opem ferret, recordatus Deus verbi sui, augustissimi illius tunc Romanorum & Hungariæ, nunc candidissimam animam, Sigismundi regis spiritum suscitauit. Qui tamquam prudentissimus Samson, & fortissimus virorum Gedeon, temporum magis quam commoditatis suæ habuit rationem. Sed quid tanto principe dignius? quid omnipotenti Deo gratius? quid, quod vniuersæ ecclesiæ ex vsu magis esset, facere potuisset? Et cum dignitatis suæ ratio, & rerum necessitas ita exposceret, nulla eum itinerum laborumve difficultas dehortari, aut ab optimo vnquam proposito deducere valuit: ita vt non prius conquieuerit, quam tribus illis, qui de pontificatu contendebant, abdicatis deiectisque, huic sanctæ sedi legitimũ pontificem, pacemque plusquam aurum desiderabilem dederit. Martinus quintus is fuit, vnicum mea sententia & præsentaneum tantis malis remedium, ante cuius ad Vrbem aduentum, vniuersæ ecclesiæ pax restituta est. Quieuimus tunc aliquamdiu: periclicati sumus iterum. Rebus enim sic, vt diximus, foris compositis, & Martino vita functo, omnis belli moles in Eugenium recidit: qui post amissas nonnullas vrbes & oppida, post suscitatum in Vrbe

Anno Christi 1512.

Anno Christi 1513. tumultum, fuga saluti suæ consuluit. Superuenienteque Basileensis Concilii tempore, cum tollere illud frustra tentasset (quantus est censuræ metus, quanta Concilii auctoritas) Bononiam primo id transtulit, Basileæ deinde idipsum approbauit: rursum Ferrariam, & demum Florentiam conuocauit. Basileensis tamen conuentus patres, contra sanctissimæ Nicænæ Synodi decreta, præter Romani pontificis sententiam & auctoritatem, Concilium licet acephali conuocantes & prosequentes, vt hoc quoque ceteris illius congregationis malis annumerauerim, abdicato Eugenio, Amedeum Sabaudiæ ducem suffecere. Quod tametsi temere factum, ecclesiæ tamen plurimum obfuit. Nam & tripliciter scissa tunc est, & longo post tempore ad veram vnitatem reduci vix potuit, renascentibus semper aliis & aliis nouis ac grauissimis bellis, quæ tanti boni effectum impediebant, Eugenio tunc & Nicolao postea Italiam frustra placare conantibus. Effecit tamen id demum Nicolaus, vbi Amedeus, de quo dixi, pontificatu seipsum abdicauit, summa Christianorum omnium lætitia & exultatione. Sed interrupit tantum gaudium Constantinopolis & Peræ expugnatio, in qua Constantinopolitanus imperator obtruncatus est, & quod reliquum nobis erat orientalis roboris ac splendoris, amisimus, amissis antea dudum Hierosolymis, Antiochia & Alexandria, tribus ecclesiæ catholicæ munitissimis arcibus. Adnitente deinde Callisti tertii pontificis legato, compluribusque cruce signatis, Taurunum Hungari defenderunt, multis hostium trucidatis, & capta etiam ingenti præda, quam nostris paulo post dissensionibus & socordia cum omni vsura rependimus, amisso Trapezuntis imperio cum tota Pontica regione, & [1] Bosnæ *Bossinæ regno cum bona Illyrici parte. Recuperasset hæc omnia Pius secundus, prudentia & caritate in Christianos nulli prædecessorum pontificum postponendus, si, dum in conuentu Mantuæ celebrato hæc meditatur, omnis fere Italia intestinis odiis & bellis caruisset: sed tota omnino recuperationis spes intempestiua tanti pontificis morte sublata fuit. Et ita, nostra causa, tantum bonum nostris, vt diximus, malis impeditum hucusque sæpius extitit, serpente magis in dies, & Christianam ditio-

nem occupante vicino iam & potentissimo hoste. Ad nostros redeo, qui diuina ira perciti, post amissam Euboeam & magnam Graeciae atque Epiri partem, maiora bella parare, maiora odii & discordiarum domi militiaeque semina iacere, accedente ad hoc Bohemorum regis perfidi, & in apertam iam haeresim prolabentis, sceleratoque & vrbi vicina opinione. Quae demum omnia, aut maiori ex parte, Pauli secundi sapientissimi pontificis suasu & prudentia sublata sunt. Carptim haec attigi, patres, vt quae supra meos annos accidere, reminiscamini: quae vero mea aetate gesta sunt, neminem ex vobis esse arbitror, qui non, sicut ego & melius me, omnia norit. Quis est enim, ad quem illius nunquam satis deploratae cladis, quam ante hos viginti annos in Illyrico accepimus, fama non peruenerit? Quis est, qui pulcerrimas & ditissimas orientis atque Epiri ciuitates, ex corde & oculis Christianorum a Turcis nuper erutas, non deplorauerit? Omitto combustas naues, amissas triremes, desideratum saepius nostri nominis robur. Quis est praeterea, qui Iadrensem agrum quinquies eodem anno Turcarum rabie vastatum, & ferro ac flammis desolatum nesciat? Scardona celeberrimi olim conuentus ciuitas, oppugnata saepius hoc etiam anno, & quod nuperrime vidimus, amissis prope eam quatuor oppidis, ipsa Dei magis quam hominum praesidio defensa est. At in ecclesia Modrusiensi, cui ego, licet indignus, nunc praesum, continuas excursiones fieri, villas incensas, castra expugnata, & intra hos duos menses duo vi capta & diruta, abductaque esse, proh dolor, plus quam duo millia Christianorum, quis est qui non audierit iam, ingemuerit iam, nisi nos hic in vrbe, qui conniuemus, obaudimus, dissimulamus? Praetereo reliquam Adriatici maris oram, Dalmatiamque omnem, quae & assiduis incursionibus vel eo maxime infestatur, quod quidquid in ea equitum aut peditum roboris erat, ad Italicos tumultus euocatum est; nisi tamen assiduis Venetorum vigiliis & validissima semper classe defenderemini: tum etiam nisi bellicosi essent Dalmatae, rupto iam diu eo obice, refractis illis claustris repagulisque, Turcas in Italia coram vidissetis. Quid de Hungaris dicam, quibus tantus inest pro Christi nomi-

Anno Christi 1513.

Anno Christi 1515. ne pugnandi feruor, vt quantumuis pauci cum magno Turcarum numero congredi non vereantur? Quid de Polonis, quorum ita ſpectata eſt in vniuerſos Chriſti hoſtes ſtrenuitas, vt ab armis in Turcas, Tartaros, Ruſſos, Valacchos & alios eiuſcemodi barbaros exercendis nunquam reſpirent? Horum præſidio & quibuſdam quaſi propugnaculis ſi careretis, experiremini profecto, quid Turcarum rabies, quid immanitas eſſet. Experiremini certe, quantum ſagittis valeant hoſtes hi de quibus diximus. Videretis procul dubio & ſentiretis, quam longe volent, quam acute perforent, & quam auide Chriſtianum ſanguinem ſitiant, qui equinum bibunt. Illud certe ſatis conſtat, profligatos ſæpius a decem annis Hungarorum exercitus, & intra hos ſex menſes quinque fortiſſima eorum caſtra a Turcis in Illyrico eſſe expugnata, & quod illis commune eſt, vna cum incolis abſumpta. O ferrea Chriſtianorum pectora, o immites Chriſtianos, qui hæc non videant, non audiant, non credant! Vnius olim Catonis ſententia, & Africanæ ficus pro concione oſtenſæ, ſenatum populumque Romanum ad delendam Carthaginem impulit: nos amiſſa ſæpius Aſia, Africa, & magna iam Europæ portio, continuæque Chriſtianorum cædes & lacrymæ nil mouent? nos vicinior, potentior, crudelior hoſtis nihil deterret? Sunt hic complures ex noſtris, qui poſt amiſſas paulo ante vxores cum liberis & fortunis omnibus ad me miſeri confugerunt, conſilium & auxilium implorantes. Poſſem ego quoque vobis hodie, patres, hoc eodem in loco recentia & ſanguinolenta adhuc iſtorum vulnera oſtendere. Sed quouſque iam patiemini tam vicinum hoſtem? Quamdiu eum, vt clauos in oculis & lanceas in lateribus, feretis? An expectatis, dum parata & deducta iam ingens claſſis Rhodum occupet, aut Italiam depopuletur? Vereor profecto, vereor, & futurum certo certius credite, patres, ne breui apud vos cœnent, niſi prouideatur; qui cum quibus diximus, iam pranſi ſunt. Multa reticeo, quæ quoniam noſtra ætas vidit & paſſa, ne alta vulnera recrudeſcant, non recenſere ſatius exiſtimo. Vnum hoc certe nullo pacto prætermittere poſſum, longe feliciores illos Italis ceteriſque Chriſtiani orbis nationibus exiſtimandos, qui pro fide

contra infideles perfidoſque pugnant, pro ſanctiſſima religione contra fœdiſſimam ſectam ſanguinem fundunt, pro Deo optimo maximo contra turpiſſimum Mahumetum corpora telis obiiciunt, mortem oppetunt. Iſti contra, quid pro paucorum potentia, pro priuatis odiis, pro ſimultatibus fecerint, dicat Brixia, exponat Rauenna, referat Etruria, ediſſerat calamitates ſuas ciſalpina Gallia, Gallia item tranſalpina, Flaminia, Liguria. Citetur Liris teſtis victoriæ, inſpiciantur vrbana ſepulcra, recenſeatur Hiſpania, interrogetur Britannia. Quid dicam magis? Perluſtretur Europa: audiemus profecto ſanguinem clamantem de terra & voces occiſorum dicentium: *Vindica Domine, vindica Domine, vindica Domine ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt.* Et quod deteſtabile omnino dixerim, parum eſt, Italicum cruorem Italica manu fundi, niſi exteris etiam gentibus hauriendus præbeatur. Poſſem ad hæc de pernicioſiſſima illa Hydrunti inuaſione, deque continuis noſtri nominis hoſtium per Tyrrhenum mare excurſionibus, ni temporis anguſtia concluderer, multa dicere. Sed dicemus de his omnibus latius, cum pacatis Italiæ rebus (hanc enim omnium, quæ nunc vigent, bellorum arcem eſſe iudico) ſanctiſſimæ expeditionis tempus aduenerit. Nunc vero, quod reliquum iam eſt, vt commodius a me dici & fieri a vobis poſtmodum poſſit, operæprecium exiſtimaui, ſi de eccleſia catholica aliquid, quantum tamen temporis breuitate dabitur, in medium adduxero. Illud enim neceſſarium in primis ſemper fore duxi, vt fidei noſtræ caput, Romana ſcilicet eccleſia, componatur ante omnia, inſtauretur, reformetur. Nam ſicut grauiſſimus eſt morbus, qui a capite diffunditur; ita optima eſt valetudo, quæ ab optimo capite, tamquam a ſaluberrimo fonte, inter cetera membra defluit & corriuatur. Vidimus iam, quæ maiorum noſtrorum, quæ noſtra ætate acciderint. Et hæc ferme omnia, aut maiorem eorum partem, noſtra cauſa, noſtris, vt diximus, malis perpeſſi ſumus. Tædet vero, pigetque, fidem, pietatem, religionem noſtris temporibus ita tepuiſſe, & pene dixerim, contabuiſſe videri, vt vix earum vlla veſtigia ſint reliqua. Et in nobis quo tempore eccleſia ab hæreticorum perſecutionibus vacua, ſumma pace & libertate fruitur, tantopere fidem

ANNO CHRISTI 1513.

Apoc. 6.

ac

ANNO CHRISTI 1513. ac feruorem maiorum noſtrorum animis inſitum refrixiſſe, vt cum Ieremia vere dicere poſſimus: *Egreſſus eſt a filia Sion omnis decor eius*, innocentiæ ſcilicet & caſtitatis: *principes eius facti ſunt vt arietes, hoſtes ingreſſi ſunt ſanctuaria eius.* Thren. 1. Eccleſias polluerunt virgines eius, & iuuenes in captiuitatem abierunt. Sacerdotes & ſenes ſpreuerunt Deum. Non eſt lex, non eſt mandatum, iudicia peruertuntur. Hæccine eſt illa Ieruſalem, ciuitas perfecti decoris, & gaudium vniuerſi orbis? Hæccine illa filia Sion, ſponſa Chriſti, quæ vna eſſe debet? Noſtri vero, tamquam mendax illa femina quæ diuidi puerum petebat, diuiſerunt eam ſæpius, diſciderunt, dilaniauerunt. Hæccine eſt illa filia Sion, ſoror Chriſti, quam maiores noſtri commendatam ſibi pro viribus defenderunt, proprii ſanguinis effuſione incorruptam conſeruauerunt, ieiuniis, lacrymis, orationibus auxerunt? Nos contra quibus artibus maiorem iam eius partem amiſerimus, ſilentio inuoluam. Et de minima iſta quæ ſuperat adhuc portione nihil dicam, patres. Ponam digitum ſuper os meum: diiudicet ſeipſum vnuſquiſque, & quæ afflictus animo & pro veritate dixi, æquis auribus accipite, æquo animo ferte, & communem omnium vtilitatem apertis, vt dicitur, oculis proſpicite. Sed ne fleueris, filia Sion, quia ecce venit leo de tribu Iuda, radix Dauid: ecce ſuſcitauit tibi Deus ſaluatorem, qui ſaluabit te de manibus vaſtantium, & populum Dei de manu perſequentium liberabit. Te, Leo beatiſſime, ſaluatorem expectauimus, te liberatorem venturum ſperauimus. Ad te pro acceptis cladibus, pro perperam geſtis gementes, pro malorum fine, & futuræ ſpe victoriæ læti & hilares clamamus: *Impugna impugnantes nos.* Pſalm. 34. *Apprehende ſcutum & gladium, & exurge in adiutorium noſtrum.* Conclude aduerſus eos qui nos perſequuntur, & tabernaculum ſponſæ tuæ, quod manus impiorum polluerunt, vindica, vt ſicut Chriſtianus populus te ſolum & verum pontificem veneratur, ita & Chriſtiani nominis hoſtes te religioſiſſimum metuant, te potentiſſimum contremiſcant. Da hoc, pater beatiſſime, Iulii prædeceſſoris tui & parentis optimi ſanctiſſimæ memoriæ, da perpetuæ quieti, vt ſicut lætatur iam te ſucceſſore, ſicut gaudet iam te indictum a ſe Concilium proſequi & celebra-

re, ita & conceptam animo ecclesiæ vnionem, eiusque reformationem, & sanctissimam contra Turcas expeditionem te omni desiderio expetere, totis viribus complecti videat & lætetur. Vos vero, patres amplissimi (ingenue dicam quod sentio) nisi certus essem, maioribus iam auspiciis & felici ductu eius sponsi, quem Deus nuper ecclesiæ suæ stabili fide iugauit, daturos sedulo operam, vt respublica nostra in his quibus constituti sumus periculis, vestra cura, vestro studio, vestra prudentia nihil detrimenti capiat, salua sit, liberetur: viderer profecto iam nunc videre domos nostras deseri, nos pro mancipiis duci, trahi, discerpi, & in nos, qualia sæpe anteactis temporibus, contumeliarum omnium & scelerum fieri exempla. Vos ego omnes appello, patres, qui ædificati supra fundamentum apostolorum, sedetis super sedes duodecim iudicantes, illud pro viribus adnitimini, vt interiores & domesticæ primum discordiæ vastationesque tollantur. Et iuxta legislatoris nostri sententiam, portæ inferi, id est, inferiores mundi potestates, aduersus Romanam ecclesiam, quæ summa est & suprema, non præualeant. Quibus sublatis, tum demum cum apertis hostibus agendum censeo. Serpentem vero sæuissimi schismatis hydram caritatis igne & pastoralis officii adustione extinguite, exsiccate; ne quæ nunc parua est scintilla, maximum paulo post incendium suscitet: vnaque sit sponsa Christi, vna amica eius, vna dilecta. Si quid præterea in hac vniuersi orbis specula, vel incontinentium licentia honestati detraxit, vel si temporum malignitas æquitatis ac iustitiæ, quæ humanarum diuinarumque rerum fundamentum est & conseruatrix, lumen offendit, huius sanctæ Synodi iudicio emendetur, quæ caritatis clypeo, potestatis mucrone, misericordiæque ac seueritatis libra bonos foueat, malos compescat, & maiorum more fortia confirmet, debilitata instauret, iniusta in æquitatis gyrum reducat, vt non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, quæsiuisse merito commendetur. Cumque restitutam sibi integritatis suæ speciem ac decorem sancta Romana ecclesia viderit, & filiis suis ipsa glorietur, & nos tantæ parentis gloria indigni minime comprobemur. Pacem vero non cum hostibus, prout hactenus factum est, sed cum nostris

ANNO CHRISTI 1513.

Matth. 16.

ANNO CHRISTI 1515. habeamus. Bellum illis & arma inferamus, cum his beneficiis certemus, & de recuperandis quæ noſtra ſunt, contendamus. Et cum ad amorem, qui rerum omnium cauſa eſt, & ad pacem atque concordiam nati ſimus, pacem amplectamur, pacem amemus, pacem celebremus, vt rempublicam noſtram Chriſtianam in priſtinam maieſtatem reſtituere, eamque qualis eſſe debet, poſteris noſtris relinquere poſſimus. Illis præterea, qui ſeruitutis iugum apud ſæuiſſimos Turcas iam diu ſuſtinent, & redemptionis expectationem ferre vlterius nequeunt, vel benigni alicuius ſideris ſalutares igniculos oſtendamus, ne quod multorum annorum patientia promeruiſſent, noſtra id culpa vel negligentia amittere videantur. Illis denique, qui hoſtium ipſorum faucibus expoſiti ad quinquageſimum annum, iam abducuntur, diripiuntur, vulnerantur, cædi demum aſſiduæ & excidio patent, & quorum quaſi deuotionis fiducia in vtramque aurem hucuſque dormiuimus, erogemus aliquid, impartiamur aliquid, vt refecti aliquantulum viriliter agant, confidant & ſint robuſti, ne forte rupto eo obice, ſublataque media belli mora, hoſtilitatis impetus (quod flexis genibus deprecemur) nos quoque in præceps trahat. Mundemus tamen prius domos noſtras, interiores inquam, quæ non fumo, non puluere, ſed malis cogitationibus ſordidantur: exteriores quoque prudenter diſponamus. Commodiſſime enim reipublicæ rector ac moderator efficitur, qui ſuorum prius extiterit. An forte arbitramini, patres ampliſſimi, eum eccleſiam Dei bene diſpoſiturum, & diligentem fore de alieno, qui de ſuo negligens eſt, qui domum ſuam diſpenſare neſcit? Et cum in ſocietatem Ieſu Chriſti vocati ſimus, non ſint in nobis contentiones, neque ſciſſuræ, quarum conſuetudinem eccleſia Dei habere non debet: ſed vnanimes ſemper idipſum omnes intendamus, quod conſtruat & ædificet in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ita demum deformata reformabuntur, dubii ſperabunt, nutantes confirmabuntur, fides exaltabitur, iuſtitia vigebit, pietas coletur, religio ſtabit, hoſtes propellentur. Aurea pax reuocabitur, dicemuſque cum Iſaia, & cantabimus: *Exulta ſatis filia Sion, quia ecce Saluator tuus veniet tibi.* Dixi.

1. Cor. 1.

1. Cor. 11.

Iſa. 62.

Zach. 9.

SESSIO VII.

Anno Christi 1513.

In nomine Domini. Amen. Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die vero Veneris decimaſeptima menſis Iunii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno primo, fuit celebrata ſeptima ſeſſio Concilii generalis Lateranenſis in eccleſia Lateranenſi, præſente & præſidente præfato ſanctiſſimo domino noſtro papa. Fueruntque præſentes infra ſcripti reuerendiſſimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi & abbates, oratores principum & illuſtres domini, ac quamplurimi doctores & nobiles, & primo,

Epiſcopi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Raphael Oſtienſis.
Reuerendiſſimus dominus Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſimus dominus Iacobus Albanenſis.
Reuerendiſſimus dominus Marcus Prænestinus.
Reuerendiſſimus dominus Franciſcus Sabinenſis.

Presbyteri cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Thomas tituli ſancti Martini in montibus, Strigonienſis.
Reuerendiſſimus dominus Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, Surrentinus.
Reuerendiſſimus dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus dominus Hadrianus tituli ſancti Chryſogoni.
Reuerendiſſimus dominus Robertus tituli S. Anaſtaſiæ, Nannetenſis.
Reuerendiſſimus dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.
Reuerendiſſimus dominus Carolus tituli ſanctæ Cæciliæ.
Reuerendiſſimus dominus Chriſtophorus ſanctæ Praxedis.
Reuerendiſſimus dominus Antonius tituli S. Vitalis, Sipontinus.
Reuerendiſſimus dominus Petrus tituli ſancti Euſebii, Anconitanus.
Reuerendiſſimus dominus Achilles tituli ſancti Sixti, Bononienſis.
Reuerendiſſimus dominus Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.
Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſimus dominus Marcus ſanctæ Mariæ in Porticu, de Corneliis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Anno Christi 1515. Reuerendiſſimus dominus Sigiſmundus ſanctæ Mariæ Nouæ.
Reuerendiſſimus dominus Alphonſus ſancti Theodori.

Patriarchæ & aſſiſtentes papæ, & oratores.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Iulius Florentinus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Pompeius Reatinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Taurinenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus epiſcopus & gubernator Vrbis.
Reuerendus pater dominus Silueſter Vuigornienſis epiſcopus, orator regis Angliæ.
Reuerendus pater dominus Ioannes Gneznenſis archiepiſcopus, orator regis Poloniæ.
Reuerendus pater dominus Hercules epiſcopus Auguſtenſis, orator Sabaudiæ.
Reuerendus pater dominus Bertrandus epiſcopus Adrienſis & orator ducis Ferrariæ.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Iulius Corinthienſis.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Matthæus ſanctæ Seuerinæ.
Reuerendus pater dominus Orlandus Auinionenſis.
Reuerendus pater dominus Rainaldus Raguſinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Monembaſienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Arborenſis.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Barenſis.

Epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Simon Ariminenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphenſis.
Reuerendus pater dominus Albertus Valuenſis.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Iuſtinopolitanus.
Reuerendus pater dominus Rainaldus ſancti Angeli de Lombardia.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Petrus Theatinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Vicentinus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.

Reuerendus pater dominus Hieronymus Buduenſis.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetenſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterranus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Anſarenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Sibinicenſis.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomenſis.
Reuerendus pater dominus Paris Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Ioſue Aſculanus.
Reuerendus pater dominus Vincentius Oſcenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Spoletanus.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Biſignianenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Marianenſis.
Reuerendus pater dominus Bonifacius Iporigienſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinenſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Tranquillus * Firmanus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Marſicanus.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriaticenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Foroliuienſis.
Reuerendus pater dominus Marius Vrgentinus.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Licienſis.
Reuerendus pater dominus Albertus Sebaſtenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Signienſis.
Reuerendus pater dominus Marcus Senogallienſis.
Reuerendus pater dominus Baptiſta Aquinatenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Narnienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Vrgellenſis.
Reuerendus pater dominus Latinus Veſtanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Galeſius Bellunenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Literenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus * Auellinenſis.
Reuerendus pater dominus Hugo Rheginus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Caiacenſis.

Anno Christi 1513.

*Fetrin.

*Lucellinen.

Anno Christi 1513. Reuerendus pater dominus Georgius Bellicenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenſis.
Reuerendus pater dominus Scabonius Imolenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Elnenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aſculanus.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Floremundus abbas ſancti Gregorii de Vrbe.
Reuerendus pater dominus Ioannes Andreas abbas ſancti Sebaſtiani extra Vrbem.
Reuerendus pater dominus Hilarius præceptor ſancti Spiritus de Vrbe.

Generales ordinum.

Magiſter Ægidius generalis ordinis eremitarum ſancti Auguſtini.
Magiſter Angelus generalis ordinis beatæ Mariæ Seruorum.

Oratores.

Illuſtris dominus Albertus de Carpi orator Maximiliani electi imperatoris.
Magnificus dominus Hieronymus Vich orator Catholici Ferdinandi Aragonum regis.
*Oſtrorog. Illuſtris dominus Staniſlaus de * Oſteroch orator regis Poloniæ.
Magnificus dominus Franciſcus Foſcarus orator Venetorum.
Reuerendus pater dominus Marinus Caracciolus orator ducis Mediolanenſis.
Magnifici domini P. de Bondelmonte, & Iacobus Saluiati, ac Franciſcus Victorius, oratores Florentinorum.
Reuerendus pater dominus Alexander archidiaconus Mantuanus, orator marchionis Mantuæ.

Illuſtres domini temporales.

Illuſtris dominus Iulianus de Medicis frater germanus ſanctiſſimi domini noſtri.
Illuſtris dominus Camerini.
Magnificus dominus Franciſcus Cibo.
Illuſtris dominus Marcus Antonius Columna.
Illuſtris dominus Franciottus de Vrſinis cum eius filio.

Conſeruatores Vrbis.

Dominus Hieronymus Benzon cum ſociis.

Fuit celebrata Missa submissa voce per reuerendum patrem dominum Gabrielem archiepiscopũ Dyrrachiensem, & habita oratio per dominum Baltassarem del Rio clericum Palentinum, protonotarium apostolicum, reuerendissimi domini cardinalis Alborensis secretarium : cuius tenor in fine præsentis sessionis est insertus. Et cantatis litaniis, & aliis deuotis orationibus, & ab eodem sanctissimo domino nostro benedicta Synodo, prout moris est, reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii diaconus cardinalis, de Farnesio vulgariter nuncupatus, cantauit euangelium secundum Lucam, quod incipit : *Designauit Dominus & alios septuaginta duos discipulos*, &c. Quo finito oratores Poloniæ supradicti præsentarunt mandatum illustrissimi domini Sigismundi regis Poloniæ. Et reuerendus pater dominus Thomas Phædra ascendit ambonem, & legit illud tenoris inserti, videlicet:

Anno Christi 1519.

Luc. 10.

MANDATVM REGIS POLONIÆ.

Sigismundus Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lituaniæ, Russiæque, &c. dominus & heres.

Notum facimus vniuersis & singulis harum seriem inspecturis, lecturis seu audituris, quod postea quam accepimus dominum olim felicisque recordationis Iulium II. diuina prouidentia sanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summum pontificem, pro defendenda sanctæ Romanæ ecclesiæ vnitate, & sanctissima contra catholicæ fidei & crucis Iesu Christi hostes expeditione suscipienda, Concilium generale in Laterano indixisse, memores officii ac debiti nostri, quo eidem sanctæ Romanæ ecclesiæ matri nostræ sumus adstricti, pro cuius honore & tranquillo statu omnes vires nostras effundere semper parati sumus, de certa nostra scientia, ac vniuersorum regni ac dominiorum nostrorum, principum spiritualium & sæcularium, procerum, communitatum ac militiarum consilio & coassensu, reuerendum in Christo patrem dominum Ioannem ecclesiæ metropolitanæ Gneznensis archiepiscopum, & regni nostri primatem, & magnificum Stanislaum de * Ostrorog equitem auratum, Palatinatus castellanum, nostros & regni nostri consiliarios sincere dilectos, quos etiam nuper

* Ostrorog.

piis

ANNO CHRISTI 1513. piis paterniſque monitis prædicti olim Iulii ſummi pontificis ad infra ſcripta deſignatos legauerimus, eoſdemque ad ſanctiſſimum in Chriſto patrem & dominum, dominum Leonem decimum diuina prouidentia eiuſdem ſanctæ Romanæ ac vniuerſalis eccleſiæ ſummum pontificem modernum, & ſanctam ſedem apoſtolicam, ac ſacrum Lateranenſe Concilium, ſi & inquantum cœptam proſecutionem habuerit, oratores deſignauimus & deſignamus, & deputamus harum ſerie literarum, dantes illis plenam & omnimodam poteſtatem pro nobis ac regnis, dominiis, principibus, ſpiritualibus & ſæcularibus, proceribus & populis ditioni noſtræ ſubiectis coram eadem ſanctitate domini noſtri, domini Leonis decimi papæ moderni, comparendi, ibidemque obedientiam, iuxta maiorum meorum conſuetudinem, præfato ſanctiſſimo domino noſtro nouo præſtandi, & recognoſcendi eumdem ſanctiſſimũ dominum noſtrum papam eſſe verum, vnicum & indubitatum pontificem, & dominici gregis paſtorem, & in ſacro Lateranenſi Concilio dicendi, proponendi, atque quæ regno noſtro opportuna ſunt, petendi, agendi, tractandi omnia & ſingula, quæ ad celebrandum & concludendum ipſum ſacrum Concilium, & quæ in eodem proponentur & tractabuntur, nec non ad dictæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ & membrorum eius vnionem, Chriſtianæque religionis augmentum, atque ad ſanctiſſimam & a nobis deſideratam in eius Chriſtianæ religionis & catholicæ fidei hoſtes expeditionem, & quæ ad obedientiam conſuetam præſtandam fuerint neceſſaria ſeu opportuna, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale, quam præſentibus eſt inſertum; & quæ ipſimet faceremus, ſeu facere poſſemus, ſi præſentes adeſſemus. Promittentes nos ratum, gratum, validum atque firmum habituros quidquid in prædictis & quolibet eorum, per dictos noſtros oratores actum & geſtum fuerit. In quorum fidem & teſtimonium præſentes ſcribi & ſigillo noſtro ſigillari fecimus.

Datum Poznaniæ decima menſis Aprilis, anno Domini 1513.

Sigiſmundus rex
ſcripſit.

Quo perlecto, reuerendus pater dominus Marinus

Caracciolus præsentauit mandatum illustrissimi domini Maximiliani ducis Mediolanensis: & idem Phædra legit in ambone tenoris infra scripti, videlicet: ANNO CHRISTI 1513.

MANDATVM DVCIS MEDIOLANI.

Maximilianus Maria Sfortia, vicecomes, dux Mediolani, &c. Papiæ princeps, Angleriæ comes, ac Genuæ & Cremonæ dominus.

Nemini dubium sit, quod sacrosancta vniuersalis Synodus, in Deo optimo maximo congregata, vniuerso Christiano orbi & gregi dominico, ac etiam catholicis principibus est admodum proficua & salutaris. Nam circa Christianæ religionis indiuisibilem vnitatem, pacem & tranquillitatem versatur, pro vniuersali morum in capite & in membris ecclesiæ reformatione ac Christianæ fidei augmento, & vt vitia extirpentur, corrigantur excessus, & virtutes solidæ inserantur. Tendit etiam ad regum & principum inuicem dissidentium pacificationem & concordiam. Anno superiore felicis recordationis Iulius secundus Lateranense Concilium instituit, & reformandæ ecclesiæ initium tulit, & normam afferre cœpit, extirpando errores qui surgere in Christianis populis velle videbantur. Dehinc vt Pisanum Conciliabulum tolleret, & eius pernicioſissimi schismatis extirparet auctores, ipsos & præcipuos eorum fautores Italia expulit. Quibus expulsis, mihi in primis aditus patuit ad recuperandum paternum & hereditarium statum Mediolanensem. Iulio secundo ex humanis sublato, qui tantorum operum auctor esse cœperat, illi successor creatus est, in quo nec sapientia maior, nec animi bonitas firmior ad peragendum quæ inchoata fuerant, desiderari posset. Nuper igitur certior factus sum, sanctissimum ac beatissimum dominum nostrum, dominum Leonem diuina prouidentia decimum pontificē maximum in Lateranensi Concilio sextam sessionem celebrasse, & principes ac populos omnes monuisse, & statuisse, quæ finiendo Concilio supersunt, & pacando Christiano orbi necessaria videntur, peragere velle. Res profecto admodum salubris, & quæ nullis vnquam laudibus satis efferri posset. Hæc autem cum ab omnibus sint magnifacienda, minime

Anno Christi 1513. a me sine graui nota negligi possent. Neque enim vnquam ex animo excidet, occupato parentis mei statu, idipsum * rectum quod patria procul vixi, serenissimi Cæsaris beneficio * rectum me vixisse: & nisi inter ceteros beatissimi Iulii secundi arma Gallum hostem pepulissent, frustra a me per hæc tempora parentis mei principatus desiderari potuisset. Collibens igitur atque omni studio ad Lateranense Concilium accedo: cui, nisi impius atque ingratus esse velim, deesse nusquam debeo. A sancta nostra matre ecclesia separare me, iniquissimum esset, præsertim cum ad id ipsum, quod sum, apostolicæ sedis & sanctissimæ ligæ, Romanique Cæsaris beneficium esse agnoscam ac fatear. Omnibus igitur meliori modo, via, iure, forma & causa, quibus melius, validius & efficacius possum, eligo, creo, atque constituo reuerendum dominum Marinum Caracciolum apostolicum protonotarium, consiliarium & oratorem dilectum meum, verum & certum ac legitimum procuratorem, & mandatarium ac nuntium specialem, vt nomine meo in hoc sacro Concilio ac Christiana religione & congregatione interfit, assistat, suffragetur, & in omnibus & singulis actis & processibus ea agat, tractet, proponat & concludat, quæ pro sanctæ Romanæ ecclesiæ reformatione, & pacandis Christiani orbis turbationibus atque incommodis, agi, firmari & concludi oportere censebitur. Polliceor autem in verbo veri principis & cum iuramento, omnia & singula me firma & rata habiturum, quæ per ipsum ad hoc publicum bonum procurata, dicta, acta, gesta aut promissa fuerint. In cuius rei fidem & testimonium præsentes fieri iussi, & non solum sigilli mei munimine, verum manus meæ propriæ subscriptione stabiliui.

Datum Papiæ die nono Maii, millesimo quingentesimo decimotertio.

Maximilianus.

Quo etiam finito, reuerendus dominus Alexander archidiaconus Mantuanus dedit mandatum illustrissimi marchionis Mantuæ, & dominus Thomas Phædra legit illud tenoris infra scripti, videlicet:

MANDATVM MARCHIONIS MANTVÆ.

Anno Christi 1513.

Franciscus marchio Mantuæ, &c. sanctæ Romanæ ecclesiæ confalonerius.

Sicuti contingit nobis diuino beneficio ecclesiæ sanctæ Dei sacri corporis esse membrum haud ignobile, sic nobis conuenire intelligimus, præfatæ ecclesiæ semper inhærere, pro ea & cum ea extrema quæque pati, & more boni militis glorioſum ipsius vexillum nusquam deserere. Cum igitur alias sacrum Lateranense Concilium indixerit sanctæ memoriæ Iulius papa II. dignitatis ecclesiasticæ studiosissimus, & in primis a nobis semper adorandus. Is namque vt erat pientissimus, e tenebris & vmbra mortis gratuita redemptione nobis ereptis, salutem & dulcissimam libertatem restituit: propter quod immortale meritum, opinamur Deum optimum maximum, precibus nostris exauditis, retribuisse copiosam sibi in cælis mercedem. Quod quidem consilium beatissimus dominus Leo papa decimus, nuper diuinitus ad apostolatus apicem euectus, (quod nobis fauſtum felixque futurum reipsa perspeximus) cum maxima populi Christiani frequentia prosequitur, licet superioribus diebus speciales oratores, illustrem dominum Aloysium Gonzagam marchionem, & etiam consanguineum nostrum carissimum, & dominum Franciscum Bonatum iuris vtriusque doctorem, ciuem nostrum dilectissimum ad eius beatitudinem venerandam adorandamque miserimus, vt in his etiam quæ in posterum occurrere possunt, pro virili nostra integerrime facere satis valeamus, specialem nuntium, procuratorem, & in omnibus & singulis, in ampliſſima & validissima forma, vices nostras omnimodas gerentem, facere persuademur. Harum propterea serie omni meliori modo eligimus, constituimus, creamus & deputamus nostrum verum, certum, legitimum & indubitatum procuratorem & nuntium specialem & generalem, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec contra; & omnimodas vices nostras gerentem, reuerendum in Christo archidiaconum Mantuanum dominum Alexandrum Gablonetam iuris vtriusque doctorem & oratorem nostrum carissimum. Cuius fidem & nobis inseruiendi voluntatem multis an-

Anno Christi 1513. nis probauimus & cognouimus, ad quantum in nobis est, sacrum Lateranense Concilium, per felicis memoriæ sanctissimum Iulium papam recte & rite diuinitus indictum & conuocatum, in omnibus & per omnia, prout & quemadmodum eius beatitudo statuit & ordinauit, laudandum, confirmandum & venerandum, atque debitis temporibus in omnibus actis processibusque eiusdem sacri Lateranensis Concilii comparendum, in ipsoque debitam audientiam præfato sanctissimo domino nostro Leoni, toties, quoties fuerit opportunum, præstandum, & eumdem dominum nostrum verum, vnicum, canonicum & indubitatum pontificem dominici gregis pastorem esse, quem, etsi mori oportuerit, nunquam negabimus, confitendum, recensendum & recognoscendum, in ipsoque sacro Lateranensi Concilio dicendum, proponendum, tractandum, firmandum, reuocandum, damnandum, laudandum vouendumque, & nostro nomine omnia & quæcumque celebrationi, continuationi & conclusioni dicti sacri Lateranensis Concilii, & quæ in eodem proponentur, tractabuntur, decidentur, vnionique & indiuiduitati dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ matris nostræ & membrorum, nec non morum vniuersali reformationi, fideique augmento necessaria, seu etiam opportuna, & sine quibus ea commode fieri seu perfici nequirent, etiamsi speciale, singulare & indiuiduum mandatum exigerent, & maiora essent expressa. Ita quod ea omnia quæ nosipsi, si præsentes essemus, omni validiori modo facere possemus, cum omnibus clausulis, iuramentis & obligationibus necessariis, & quibus efficacius fieri potest, valeat & ipse validissime celebrare & nostro nomine perficere, & ad consilium sapientis non solum præsens nostrum mandatum extendere, sed in omnibus & singulis occurrentibus, maioribus etiam expressis, addere, & cum clausulis & obligationibus, prout expedierit, confirmare: quoniam super prædictis omnibus & singulis, cum annexis, dependentibus, emergentibus, incidentibus & connexis, omni meliori modo & forma, quibus de iure efficacius fieri potest, præfato reuerendo domino Alexandro plenarie vices nostras committimus, damus & conferimus, promittentes ratum, gratum, validum atque fir-

mum, omni in loco & tempore perpetuo habere, quid- Anno Christi 1513.
quid in prædictis & circa prædicta, & quodlibet eorum, per præfatum dominum archidiaconum dictum, actum, procuratum gestumve fuerit, & in nullo vnquam contra facere vel venire aliqua ratione vel causa. Renuntiantes omnibus exceptionibus tam iuris quam facti, & omnia & singula bona nostra tam præsentia quam futura, cum præmissorum omnium & singulorum obseruantia obligantes.

Datum Mantuæ die duodecima Iunii, millesimo quingentesimo decimotertio.

Franciscus marchio Mantuæ manu propria.

Statius Gadius secretarius mandato suo subscripsit.

Quo finito, reuerendus Laurentius de Medizeldri, orator illustrissimorum dominorum Stanislai & Ioannis ducum Mazouiæ, dedit mandatum: & idem Phædra legit illud tenoris infra scripti, videlicet:

MANDATVM DVCVM MAZOVIÆ.

Staniſlaus & Joannes Dei gratia duces Mazouiæ, Ruſſiæque, &c.

Significamus per præsentes nostras literas vniuersis quibus expedit, quia venerabilem dominum Laurentium de Medizeldri cathedralis Vilnensis præpositum, & parochialis in Vitepstro archipresbyterum, ecclesiarum, secretarium regium, oratorem, nuntium & procuratorem specialem, ad sacrum generale Concilium Lateranense, per modernum sanctissimum dominum nostrum Iulium diuina prouidentia papam secundum, cum sacro reuerendissimorum dominorum cardinalium collegio institutum, & ad Kalendas Nouembris translatum, de mente nostra bene & plene informatum, iussis eiusdem sanctissimi domini nostri morem gerentes, deputauimus, designauimus, misimus & constituimus, deputamusque, designamus, mittimus & constituimus, dantes & concedentes eidem plenam & omnimodam facultatem nomine nostro in eodem Concilio super statu religionis Christianæ, ac sanctæ Romanæ vniuersalisque ecclesiæ rebus, etiam ducatus nostri, consulendi, agendi, differendi & conclu-

Anno Christi 1513. dendi, volentes ea omnia quæ idem nomine noſtro egerit in eodem ſacro conuentu, rata, grata atque firma habere, etiamſi talia forent, quæ mandatum exigerent magis ſpeciale. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus ſubappendi iuſſimus.

Datum in ciuitate noſtra Eziechonouu, vigeſima Februarii, anno Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio.

Quo finito, idem dominus Thomas Phædra legit quamdam ſchedulam ſubſcriptam per dominum Bernardinum de Caruaial, & F. de ſancto Seuerino, olim ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, ſuper materia abiurationis ſchiſmatis & vnionis eccleſiæ, cum conuenientibus verbis & humili erroris confeſſione, & veniæ petitione, tenoris infra ſcripti, videlicet:

Tenor huius ſchedulæ non eſt inſertus, quia cum eſſet in manu dicti Thomæ ſecretarii, qui poſtmodum defunctus eſt, nunquam potuit reperiri.

Quin domini Bernardinus Caruaial, & F. de ſancto Seuerino, poſtmodum per ſanctiſſimum dominum noſtrum, ſeruatis ſolennitatibus conſuetis, paucis diebus elapſis, in palatio apoſtolico priſtinæ dignitati in conſiſtorio ſecreto ſolenniter poſt ſchiſmatis abiurationem reſtituti fuerunt, cum veniſſent prius per aulas palatii apoſtolici, vbi magna multitudo conuenerat, tamquam priuati clerici, & non cardinales, habitu clericorum ſæcularium induti ſimpliciter coloris violati, & bireto eiuſdem coloris, ante pedes ſanctitatis ſuæ coram ſacro ſenatu genuflexi, & ſchiſma in ſolenni forma intelligibili voce iuxta tenorem certæ ſchedulæ, quam in manibus tenebant, factæ, & realiter abiuraſſent, & veniam humiliter erratorum petiiſſent, prioribus veſtibus exuti, habitum cum bireto rubeo cardinalium conſueto induti, per magiſtrum ceremoniarum, & ad oſculum pedum & oris per ſanctitatem ſuam admiſſi, & capello rubeo accepto de manu ſanctitatis ſuæ, & ad oſculum aliorum cardinalium recepti, & de ſpeciali gratia ad priorem locum reſtituti fuiſſent, iuxta morem prædeceſſorum ſuorum ſeruari ſolitum in ſimilibus, prout latius in actis publicis in camera apoſtolica, & apud ſecretarios domeſticos pontificis & Conci-

lii latius continetur. Deinde lecta ſchedula prædicta, excluſiſque ceteris de more non habentibus voces definitiuas in Concilio, clauſoque oſtio Concilii, exceptis oratoribus & baronibus qui remanſerunt, prælatiſque omnibus poſt ſanctiſſimum in ſuis ſubſelliis cum mitris & veſtibus ſacris conſidentibus de more. Anno Christi 1512.

Demum reuerendus pater dominus Pompeius de Columna epiſcopus Reatinus aſcendit ambonem, & legit quamdam ſchedulam tenoris infra ſcripti de mandato ſanctiſſimi domini noſtri papæ, alta & intelligibili voce, videlicet:

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio.

Meditatio cordis noſtri aſſidua * ſacri Lateranenſis Concilii vigilans & intendens, ad ea potiſſimum vertitur, quæ per prædeceſſores noſtros Romanos pontifices pro tuitione eccleſiaſticæ libertatis, deformatorumque præſertim in officiis apoſtolicæ ſedis reformatione, ac Chriſti fidelium pace & tranquillitate, prouide ſtatui & ordinari incepta, per noſtræ prouiſionis miniſterium, debitum & ſalubrem ſortiantur effectum. Dudum felicis recordationis Iulius papa ſecundus prædeceſſor noſter negotium & diſcuſſionem declarationis, nullitatis & abrogationis aſſertæ ſanctionis pragmaticæ in partibus Gallicanis contra libertatem præfatam in dictæ ſedis vilipendium, abuſu Gallicorum prælatorum & nobilium, & aliorum laicorum eis fauentium introductæ, venerabilium fratrum noſtrorum, tunc ſuorum, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque diſcuſſorum ſibi & Concilio præfato faciendam, dicto Concilio approbante commiſit, Gallicoſque prælatos, capitula eccleſiarum & monaſteriorum, parlamenta & laicos illis fauentes, & dicta ſanctione abutentes, omneſque alios & ſingulos in præmiſſis ſua communiter vel diuiſim intereſſe putantes, moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram prædeceſſore & Concilio præfatis, cauſaſque dicendum, quare ſanctio præfata, illiuſque corruptela & abuſio in concernentibus auctoritatem dictæ eccleſiæ, * ſacro Lateranenſi Cõcilio.

ſacro-

ANNO CHRISTI 1513. sacrorum Canonum & libertatis præfatæ violatione m, nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, statuit & ordinauit, nec non literas suas, per quas Romanæ curiæ officiales, & illorum exactiones generaliter reformauerat, per nonnullos deputatos & deputandos, particulariter declarari, & declarationes ipsas sibi in eodem Concilio referri præcepit, prout in literis seu schedulis dicti Iulii prædecessoris desuper confectis plenius continetur. Cum autem dicto Iulio prædecessore in humanis agente, diuersis impedimentis causantibus, citatio exequi & reproduci, ac negotium abrogationis discuti, ac reformatio huiusmodi particulariter, vt intentionis ipsius Iulii prædecessoris fuerat, fieri non potuerint, sed ipso Iulio prædecessore rebus humanis exempto, citatio ipsa legitime executa, in proxima præcedenti sessione per procuratorem fiscalem nostrum reproducta, ipsorumque citatorum non comparentium contumacia accusata, & ad vlteriora procedi petitum fuerit: nos licet totis animi desideriis nil magis affectantes, quam præmissas & alias causas vtiles & necessarias, propter quas dictum Concilium indictum extitit, ad debitum finem perducere: tamen, vt mature & humaniter procederetur, petitioni præfatæ responsionem non dedimus, nuncque etiam cum præfato Concilio intelligentes, per citatos & monitos huiusmodi diuersa impedimenta allegari, quare in termino eis præfixo comparere, defensionesque eorum allegare, & de eorum iure docere non potuerunt, vt omnis iustæ excusationis & querelæ materia eis auferatur, iam libero saluoconductu ipsis & aliis ad Concilium huiusmodi venire volentibus in dicta proxima præcedenti sessione concesso, cardinalium aliorumque prælatorum, qui præmissa & alias conciliares materias audiant, discutiant, auditaque & discussa in eodem Concilio referant, particulari deputatione per nos facta, etiam vt maiorem nostram & Concilii præfati erga eos benignitatem sentiant, eodem sacro Concilio approbante, terminum citationis & monitionis huiusmodi præfixum vsque ad primam sessionem post Kalendas Nouembris proxime venturi tenendam prorogauimus; ipsumque terminum illis non currere, nisi post primam sessionem prædictam tenendam, nec in ali-

quo præiudicare decernimus. Et insuper cum vltra cardinales iam deputatos, nonnullos prælatos per dictum Concilium electos, additis aliquibus ex legitimis causis, qui reformationi prædictæ generali intendere debeant, deputauerimus, sitque nostra firma intentio & dispositio, vniuersalem reformationem, tamquam vtilem & necessariam ad dominici agri purgationem & culturam, omnino prosequi & perficere, Domino disponente: sed quia graues querelæ in dies contra officialium Romanæ curiæ abusum & extorsiones ad nos deferuntur ex diuersis orbis partibus, dictaque reformatio iam cœpta tempore felicis recordationis Iulii secundi prædicti prædecessoris nostri fuerit, sacro approbante Concilio, ideo ad hoc vt illa citius terminetur, & ea absoluta, ad alias reformationis partes deueniri possit, & querelæ prædictæ tollantur, quod cardinales & prælati per ipsam reformationem deputati, auditis prius & intellectis officialibus præfatis, eorumque iuribus examinatis, reformationem prædictam iuxta tenorem literarum dicti Iulii prædecessoris desuper editarum, & Concilii præfati in tertia siue quarta sessione determinationem; ac iuxta primæuas officiorum institutiones seu antiquas consuetudines, vsque ad tempora piæ memoriæ Sixti quarti etiam prædecessoris nostri obseruatas, vel alias, prout eis videbitur, facere, formasque & modos, quos officiales ipsi in exigendis taxis, emolumentis regalibus & prouentibus quibuscumque seruare, & a quibus sub pœnis in literis ipsius Iulii prædecessoris desuper contentis abstinere teneantur, particulariter & distincte declarare & decidere, ac reformationem & decisionem per eos faciendas, in proxima futura vel aliis sessionibus, quibus commode id fieri poterit, referre debeant, vt per dictum sacrum Concilium & nos approbari & debitæ executioni demandari valeant & inuiolabiliter obseruentur, eodem sacro Concilio approbante, statuimus & ordinauimus. Ceterum, quia tam ex debito iuncti nobis desuper apostolicæ seruitutis officii, quam vt in imminenti & notorio infidelium periculo ac effusioni Christiani sanguinis, qui exigentibus nostris culpis frequenter in dies effunditur, occurratur, & dissensiones quæ inter Christianos principes vigent, tollantur, cogi- Anno Christi 1513.

ANNO CHRISTI 1513. mur inter reges & principes Christianos totis viribus pacem quærere, cuius componendæ vna ex principalioribus congregationibus Concilii præfati causa extitit, vt ipsa sequatur & inuiolata perduret, & debitæ executioni demandetur, præsertim his temporibus, quibus potentia infidelium & inimicorum fidei creuisse dicitur, Concilio præfato approbante, ad reges, principes & potentatus præfatos, legatos & nuntios pacis, vigiles, doctrina, experientia & probitate insignes, pro tractanda & componenda vniuersali pace mittere disposuimus & decreuimus, vtque arma deponant, Domino auxiliante, quantum in nobis est, pro viribus laborare & operari, regumque & principum & potentatuum huiusmodi oratores in ipso Concilio præsentes pro apostolicæ sedis reuerentia fideliumque vnione requirimus, vt regibus, principibus & potentatibus suis respectiue hæc significent, eosque nostro nomine hortentur ad ipsos legatos apostolicos benigne & honorifice tractandum & audiendum, votisque nostris tam iustis & piis per eos illis exponendis satisfaciendum: quod eos facturos credimus, vt quanto citius fieri poterit, & absque legitima excusatione per nos mittendi legationis munus eis impositum sponte suscipere, & susceptum viriliter adimplere possint, ac patre luminum, a quo omne datum optimum est, fauente, pax ipsa *Iac. 1.* tractari & componi, eaque composita, sancta & necessaria contra infidelium rabiem, Christianum sanguinem sitientium, expeditio fieri valeat, & pro totius Christianitatis securitate & quiete feliciter terminari. Postremo quia iam temporis dispositione calores æstiui instant, prælatorum valetudini, & ad Concilium præfatum venire volentium commoditati consulentes, aliisque iustis & rationabilibus causis moti, octauam sessionem sextodecimo Kalendas Decembris proxime futuri, præfato sacro Concilio approbante, indicimus faciendam, prælatisque omnibus & singulis, & aliis in eodem Concilio existentibus, a curia præfata recedendi, & vbi eis placuerit, ad eorum libitum commorandi; ita tamen, quod nisi dicto die sextodecimo Kalendas Decembris, cessante impedimento legitimo, præsentes fuerint, in literis indictionis ipsius Concilii, & canonicis sanctionibus contra non accedentes ad

Concilia contentas pœnas incurrant, præfato ſacro Concilio approbante, licentiam & facultatem concedimus. Anno Christi 1513.
Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prorogationis, aſſignationis, deputationis, confirmationis, commiſſionis, continuationis, reformationis, deliberationis, monitionis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ in publica ſeſſione in ſacroſancta Lateranenſi baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo decimotertio, quintodecimo Kalendas Iulii, pontificatus noſtri anno primo.

Ia. Sadoletus.

Ia. Queſtemberg.

Qua perlecta, idem epiſcopus petiit a patribus, an placerent eis contenta in ſchedula. Et omnes reſponderunt, placere contenta in ſchedula, excepto reuerendo patre domino Ieremia archiepiſcopo Tranenſi, qui dixit, non placere dilationem quoad reformationem, nec etiam quoad pacem & reuocationem pragmaticæ. Et etiam dixit, quod cum tractatu reuocationis deberet tractari de prouiſione facienda ſuper cauſis contentis in reuocatione. Et hæc fuerunt pro ſeptima ſeſſione. Et fuit indicta octaua ſeſſio decimo Kalendas Decembris. Super quibus omnibus & ſingulis dominus Marius de Peruſchis procurator Concilii petiit inſtrumentum & inſtrumenta.

Deinde anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die vero decimaſexta menſis Decembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno primo, diſcretus vir Bellauilla eiuſdem ſanctiſſimi domini noſtri curſor, in valuis baſilicæ principis apoſtolorum, & ſancti Ioannis Lateranenſis, ac cancellariæ apoſtolicæ, publicauit literas ſiue ſchedulam prorogationis octauæ ſeſſionis, cuius tenor talis eſt.

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei octauam ſeſſionem ſacri celeberrimique Lateranenſis Concilii, in qua terminum in ſeptima ſeſſione præcedente, Gallicis prælatis & eis fauentibus, ſuaque intereſſe putantibus, citatis & monitis

Anno Christi 1513. ad dicendum causam, quare sanctio pragmatica in concernentibus sacrorum Canonum & libertatis ecclesiasticæ violationem nulla & inualida declarari & abrogari non deberet, præfixum; & quarum citationis & monitionis executio reproducta, & ipsorum citatorum & monitorum contumacia accusata fuerat, eisdem citatis & monitis non currere, nisi post primam sessionem, nec in aliquo eis præiudicare decreuimus, ac declarationem & decisionem reformationis officialium, & hæresum extirpationem, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus & prælatis per nos commissas, referendas statuimus & ordinauimus: nec non pro vniuersali pace inter Christianos principes & potentatus componenda, ad eos legatos & nuntios mittere dispositimus, regumque, principum & potentatuum huiusmodi oratores in ipso Concilio tunc præsentes, vt regibus, principibus & potentatibus suis respectiue id significarent, eosque nostro nomine hortarentur, ad ipsos legatos apostolicos benigne & honorifice tractandum & audiendum, votisque nostris tam iustis & piis per eos illis exponendis satisfaciendum, ad decimumsextum Kalendas Decembris proxime præteriti faciendam per nos indictam, ex certis legitimis causis tunc expressis, ad diem Veneris post proximum festum sanctæ Luciæ prorogamus, quæ erit XVII. Kalendas Ianuarii, faciendam indiximus: terminumque citatis & monitis præfatis, vt præfertur, præfixum interim non currere, & in aliquo eis non præiudicare, nisi post octauam sessionem præfatam, decernimus & declaramus. Cum autem cardinales & prælati congregationum, quibus fidei & reformationis officialium, & pacis causæ huiusmodi commissæ fuerunt, licet omni studio & diligentia circa illarum expeditionem elaborauerint, quia tamen resolutiones per eos factæ in debitam schedulam adhuc reduci non potuerunt, id infra triduum factum esse, ac proxima dies Veneris, qua dicta octaua sessio per nos indicta teneri debeat, instare noscatur: Nos igitur ex præmissis & aliis causis super hoc prouidere volentes, de venerabilium fratrum nostrorum consilio & vnanimi consensu, octauam sessionem & diem Veneris huiusmodi ad diem Lunæ proxime futurum prorogamus, & octauam sessionem ipsam dicta die Lunæ, quæ erit decimaquarta Kalendas Ianuarii,

faciendam indicimus, terminumque citatis & monitis præfatis, vt præfertur, præfixum interim non currere, & in aliquo eis non præiudicare, nisi post ipsam octauam sessionem, decernimus & declaramus. ANNO CHRISTI 1513.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimotertio, Idibus Decembris, pontificatus nostri anno primo.

PLACET.

Deinde die decimaseptima eiusdem mensis fuit congregatio in capella superiori palatii apostolici omnium trium congregationum, super fide, pace & reformatione: in qua reuerendissimi domini cardinales & prælati deputati legerunt schedulas tres super fide, pace & reformatione, quæ in octaua sessione inseruntur, & hoc post multas congregationes prius factas super huiusmodi consultatione.

Inuictissimo & augusto principi Ferdinando Hispaniarum sceptra tenenti, Aragonum, vtriusque Siciliæ ac Ierusalem regi Catholico, Baltassar del Rio scholasticus Myndonienſis, apostolicæ sedis protonotarius, debitam mancipii reuerentiam, felicitatem P. D.

Aristoteles philosophantium princeps, inuictissime rex, Callisthenem suum auditorem ad magnum Alexandrum condiscipulum mittens, monuisse fertur, vt cum eo aut quam rarissime, aut quam iucundissime loqueretur, quo apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. Xenocrates quoque philosophus alter, qui nobis multa audire, pauca vero loqui licere, & eapropter duas nobis a natura aures, & os vnum insitum fuisse aiebat, cum maledico quorumdam sermoni summo cum silentio intereſſet, interrogatus, cur solus linguam cohiberet: Quia dixisse me, inquit, aliquando pœnituit, tacuisse nunquam. Graue quidem alterius præceptum, alterius autem præclara sententia fuit. At ego, cum a silentio iucunditatẽ, a iucunditate veritatem sæpius procul esse conspexerim, æstimaui tutius mihi fore, amicum habere Platonem: sed salubrius, dominam & parentem veritatem colere: quia quanto magis veritati præsto sum, tanto minus a rerum omnium opificis via & vita secedere videor. Quam

Anno Christi 1513. ob rem cum in dies & in horas fama crebuerit, atrociorem impræsentiarum hostem habere Christianam religionem, quam antehac fuerimus experti, quem amicis & affinibus, consanguineis & fratribus, proprio denique sanguini non pepercisse intelleximus: nam & binos ex fratre nepotes, & fratrem ipsum (nepotibus prius strangulatis, vt sanctissimo domino nostro Leoni, & sacrosancto cardinalium senatui nudiustertius per fide dignas literas denuntiatum est) nuperrime occidisse non expauit, Hungariæ regnum mox inuasurus, cuius iam duo emporia, regni præcipua antemuralia, igne vastauit, quo illinc commodior sit illi ad nos aditus. Ego vero tanto repente lacessitus infelici nuntio, vtriusque spreto philosophi consilio, licet alios hac ipsa de re verba fecisse, & parum aut nihil ad tam sanctum opus animos allexisse compererim, vt quemadmodum duræ cautes assiduo lymphæ tenui delapsu perforantur, ita & inconcussæ audientium mentes, quibus quæ reipublicæ nostræ conducunt, quandoque obaudire mos est, repetita toties viuida verborum vi penetrentur, accendantur, incitentur, efflagitatus a maxime venerando antistite domino Laurentio Puccio Florentino, felicis recordationis Iulii secundi pontificis maximi & in eius locũ suffecti Leonis sanctissimi a datandis dictandisque literis apostolicis obsequentissimo mancipio, & veræ huius Romanæ curiæ præfulgido sidere, literatorum præsidio, & denique absque adulationis labe, bonitatis integritatisque cultore optimo, & de maiestate tua optime merito; qui dum proxime exacto anno coram vigili pastore Iulio præfato de dominica passione ac mortis nostræ morte me concionantem audiret, de hac ipsa sanctissima in Turcas expeditione orationem aliquando habere me coegit; non potui tandem in tanta rei necessitudine rerumque expectatione formidolosus non paruisse, ac parendo carptim non tetigisse nonnulla de te, deque aliis Christianis principibus, quibus Christianæ reipublicæ tutandæ ampliandæque cura est. Inter quos quia eminentissimum sidus semper fulsisti, etiam si ad gloriæ tuæ æmulorum perniciem, maiestati tuæ assentari videar, dum vera loquor, loqui non pudet. Nec puduit pariter aperta voce mutire, & in media vrbis & orbis terrarum, ac vniuersalis ecclesiæ sacrosancta area propa-

lam bonos extuliſſe, de fide catholica bene meritos commendaſſe, Chriſtiani nominis hoſtium domitores aliis prætuliſſe, reliquos vero ſibi tantum natos principes, vt aiebat diuinus ille Plato, ſilentio præteriiſſe, clariſque tuis facinoribus intentos ad hanc ſanctiſſimam expeditionem maxime neceſſariam inuitaſſe & prouocaſſe. Accipe igitur, auguſtiſſime princeps, ſubditi tibi addictiſſimi, homagiique tibi debiti lucubratiunculam hanc qualemcumque, quam coram tuo & aliorum principum ſolio, te abſente, ac ſi præſentem fuerim intuitus, non intempeſtiue habui. Et quia coram tanto conſeſſu ineptias meas veſane fortaſſis prodere ſum auſus, nunc in lucem edere maieſtati etiam tuæ eaſdem temere, reuerenter tamen dicare non ſum veritus, ſciens in Chriſti negotio præſentaneo morem tibi geſſiſſe, & votiue tibi fuiſſe obſecutum, dum non immerito ab omnibus recte ſentientibus regum exemplar Chriſtianorum, vt es, & haberis & iudicaris, cuius propterea omnes Dei cauſam, teque cauſæ eiuſdem cauſidicum appellant, tutorem prædicant, & eccleſiaſticæ colunt libertatis aſſertorem. Orationi igitur noſtræ, quando quid otii aut curarum vacatio acciderit, rex ſacratiſſime, intende proſpere, procede & regna, non iſthic tantum, ſed in medio illo orbis terrarum & Ioſaphat vmbilico, ibique, vbi Chriſtus mortem noſtram moriendo deſtruxit, vbi & vitam reſurgendo reparauit, quo ipſum rurſus ſupremum iudicem venturum ſperamus, pro acquirenda tua Ieruſalem, pro viſendo Caluariæ loco, pro colendo vitæ noſtræ ſepulcro, pro adorando, iam a regibus fidei noſtræ primitiis adorato, præſepio, caſtrametare, & ſacratam precioſo ſanguine humum deiferam tuis tentoriis fode. Extenſis autem in Hieroſolymitanis arcibus tuis aquilæferis, alteram altera Ieruſalem facile conſequeris. Alteram inquam, cuius non petra ſolidata, ſed lapis angularis eſt Chriſtus, quique in vna crucifixus apparuit, in altera glorioſus manet in ſæcula, comitaberis rex regem gloriæ: conſtituet te ſupra multa longe maiora, qui in pauca te fidelem & catholicum adinuenit. Et denique, ne prolixius vagari videar, quam ipſa rei ſeries expoſcit, tu, qui inter ceteros ſacro chriſmate vnctos reges ſolus catholicus, & non ab re, nuncuparis, fidei catholicæ ac tuum nomen & ditionem, dum datur occaſio,

Anno Christi 1513.

ANNO CHRISTI 1513. casio, vt solitus es, extende, amplia, dilata, ne (quod Deus auertat) quando diutius oppressis Christianis suppetias feramus, suppetiis præsertim nobis opus sit, vicino iam hoste acerrimo perterritis. Vale, regum optime, diuque viue regnorum amœnitate felicissimus. Romæ ex ædibus reuerendi domini mei cardinalis Arborensis vndecimo Kalendas Iulii, anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo decimo tertio, pontificatus domini nostri Leonis papæ decimi anno primo.

Nihil impossibile erit vobis. Matthæi XVII.

Ascensurus ad superos, vnde venerat, seruator noster Matth. 17. Iesus, beatissime pontifex, missurus pariter athletis suis paracletum Spiritum, quo totius orbis accolas aggredi, inuadere & expugnare non formidarent: *Si habueritis*, inquit, *fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, & transibit; & nihil impossibile erit vobis.* Cuius firma veræ fidei institutoris pollicitatione confisus, tantorum patrum qui hoc ipso in loco ante me verba fecerunt, quorum ego corrigiam calceamenti nedum soluere, verum deosculari videor minus dignus, auctoritatem, doctrinam, grauitatem, prægrandes bonarum artium & eloquentiæ torrentes admiratus, nihil de hac omnium celeberrima per glorioſæ memoriæ Iulium secundum indicta, nihil de aliis per alios sanctitatis tuæ prædecessores celebratis Synodis, cum tot & tanta, tamque luculenter & copiose dicta sint, differendum putaui, nisi vt iam tandem vberrimum aliquem fructum tanti ouium Christi satagentissimi pastoris, tantarumque ouium fecundus confessus, ex hoc sacro Dei ouili fecundet, pullulet, pariat, & contra immanissimos fidei nostræ hostes, contra Christiani sanguinis sitibundas feras, contra patrimonium Christi tyrannice occupantes, arma lucis induti, Christianorum arma conuertamus. Et licet Modrusiensis præsul in proxime habita sessione, & Lucensium primo, Florentinæ deinde reipublicæ, postremo sereniſſimi Poloniæ regis oratores insignes in reuerentia tibi & regis sui & gentilium tuorum nomine exhibita, de huiusmodi bello suscipiendo multa sapientissime disseruerint, quia tamen paucis tanta complecti nequiuerunt, quin Ibidem.

plura aliis recenſenda reliquerint, vt eo libentius communi Chriſtianorum iacturæ conſulatur, quo inſtantius periculum formidandum eſt: vtque ea omnia, & ſi pluries repetita, balbus ego & hebes, ac ab omni dicendi genere immunis, paucis abſoluam, voſque deſidioſi & ſegnes, iamiam expergiſcentes, non ingrata audire, & audita exequi poſſitis, Gabrielis prece ſolita Deiparæ noſtræ præſidium imploremus: Aue Maria, &c. Anno Christi 1513.

Nihil impoſſibile erit vobis.

Verberabat iam tertio, cui inſidebat, aſinam Balaam, beatiſſime Chriſtiani gregis animarum protomedice, quia quo vellet herus, nollet aſina, obuii angeli expaueſcens gladium, iter facere. Aperuit Dominus os aſinæ conquerentis, & contra nutum Dei verberantis Balaæ oculos diuino fulgore luſtrauit, vt quod humano capite erat delicturus in Deum, aſellæ verbis a labris angeli iuſſa capeſſeret, iubentem adoraret, eiuſque nutui pareret. Quid mirum ergo? Quid, qui dudum ante locutus eſt in igne, in rubo, & nunc in aſina, loquatur in me Deus? & ab eo quem rectum reris tramitem, tibi deuiare conſulat, labia mea aperiens, vt os meum annuntiet laudem ſuam? Reris profecto, ni fallor, verum iter proficiſci, ſi iam reſtituto & aucto B. Petri patrimonio, pacato aliquanto Italiæ tumultu, compoſitis demum Chriſtianorum principum nonnullis ſimultatibus, daretur Turcarum rabiem exinde frenatum iri. Sed vbi periculum maius intenditur, vt aiebat in ſacro Lugdunenſi Concilio prædeceſſor tuus Gregorius, vt tu, decimus, ibi procul dubio plenius eſſe conſulendum cenſeo. Inſtat Turcarum gladius faucibus noſtris, & nos eius acumini colla ſubmittimus: obrepit litora, & ad auratos receſſus illecebris educati comprimimur. Depopulatur oppida, vaſtat agros, graſſatur in compitis, & nos ſegnitie marceſcimus. A propriis laribus euellimur, retrudimur ad hos qui extant, ſacros penates. Illi igne, ferro, tormentis in vniuerſam vndequaque Chriſtianam rempublicam: nos in noſipſos ſæuientes, illis ad noſtrum interitum opitulamur. Nos vt parua tueamur, amittimus magna: illi, vt maiora ſibi poſteriſque ſuis relinquant hereditatis monumenta, grandia quæque ſua, ne diſcordia dilabantur, floccifaciunt & par-

ANNO CHRISTI 1513. uipendunt. Ita vt si inuictissimus ille Ferdinandus Hispaniarum sceptra feliciter tenens, vitæ vmbratilis amator extitisset, tantum Granatæ regnum, & quasi totam illam Bæticam prouinciam, in occiduo nostro octingentis ferme annis a Mauritanis occupatam, in veri Dei cultum ac ditionem suam venire minime coegisset: vt quod in oriente aliorum principum inertia orthodoxæ ditioni per infideles obtruncatum est, id ipsum Catholicus princeps catholicæ fidei & sibi ipsi in occidente restitueret. Reminiscens diuini verbi, si contra fidei hostes fide & armis dimicandum erat, nihil formidandum, nihil impossibile futurum auspicabatur. Si his igitur armis contra inermes dimicandum nobis est, & nihil impossibile erit nobis: aggrediamur nobis debitam prouinciam, amplectamur omnium sanctissimam expeditionem, irruamus in perterritos hostes, iam sectæ suæ, secundum eorum prophetiam, finem pertimescentes, quæ sexcentis circiter annis post salutiferum Virginis partum incepisse, & secundum astrorum peritos, breui finienda esse perhibetur; in tali asserentes signo initium habuisse, vt diu durare posse impossibile sit, aut supra naturam magis, seu ob peccatorum nostrorum demerita. Quod ab Alionoto regis Armeniæ fratre facile comprobatur, dum in orientali scribens historia, esse apud Mahumetanos hostes indubiam prophetiam, cuius prætextu ad annum millesimum quingentesimum a Christi ortu duraturam eorum sectam, pro comperto asseuerat. In isto obiter centum annorum curriculo, quorum iam tertium cum decimo supputamus, deleri radicitus tantam superstitionem, si non negligimus, si otio non torpemus, aut negotio non dissidemus, ambigendum non est. Lex enim & prophetæ eorum vsque ad Ioannem Medicem, qui infecta terrarum orbis membra abscindet, diruet, & vt leo rugiens deuorabit. Quæ omnia licet aliter se haberent, quam futura prænuntiamus, vrget tamen necessitas, impellit ratio, cogit & hortatur nos ipsa nostra iam imminuta respublica. Nam ante Eubœæ & Aulonis incendium, dum senatus Venetus nobis arx Christiana & propugnaculum extitit, mare illud piratis omnibus & grassatoribus vacuum audiuimus. Redactis tamen in miseram Turcarum seruitutem Eubœa & Aulone, liber eis ad nos patet aditus. Nouit quæ lo-

quor, signifera illa immortalis memoriæ Iulii secundi cataphracta quadriremis, ab hostibus haud dudum prope Corsicam expilata & direpta. Expertæ sunt, nec multo post, tres aliæ Catholici regis validissimæ triremes, & introclusi Christiani, sui nominis hostium efferatam sæuitiem. Quarum vexillis, proh dolor, velut pisces hami esca, ceteros maria sulcantes Christicolas, ni Deus auertat, deglutient, discerpent, deuorabunt. Sensit quæ recolo, felicis recordationis Sixtus quartus, qui tunc Ferdinando Parthenopeo regi, sacri collegii & subditorum ecclesiæ communi pecunia adiutus, maximo terrestri exercitu contracto, instructa cum apostolico legato munitissima classe, suppetias misit. Quia traiecto ex Aulone Adriatico sinu, & expositis in Apuliam haud exiguis militum copiis, tanto impetu Hydruntem eius regionis metropolim oppugnare adortus est quidam Mahumeti Ottomani dux impiger, vt paucis paulo post diebus transactis, nemine interim ante suppetias Sixti succurrente, illam vi ceperit, omnique crudelitatis genere in ea sit debacchatus, & archiepiscopo pontificalia paramenta induto, cum clero & ciuibus in ecclesia trucidato, sacris omnibus profanatis, prostitutis virginibus, iunioribus cum pueris Byzantium in lugubrem captiuitatem transmissis, magnam vtrique Siciliæ iacturam, sed maximum toti Christiano orbi terrorē incussit. Nam si præter suppetias ipsas ecclesiæ, diuinum auxilium tunc nobis præsto non fuisset, quo imperantis Mahumeti mors, & inter filios discordia interuenerat, actum erat de his quæ extant, Europæ angustiis: quia formidandum nobis esset, quod illud incendium latius fuerat diffundendum. Sed quos suo ipsius precioso sanguine mercatus est Christus, noluit periclitantibus suæ subuentionis penitus deesse subsidium. Taceo quot idem Mahumetus, viuente nunc Turcarum tyranno longe mitior & humanior, a nostris manibus suo *imperio, regno subdiderit. Nam præter Pontum, Bithyniam, Cappadociam, Paphlagoniam, Ciliciam, Pamphyliam, Lyciam, Cariam, Lydiam ac Phrygiam, regna, prouincias, vrbes insignes, totum fere Hellespontum adusit. Peram & Mitylenem Ianuensium colonias diripuit, Peloponnesum inuasit, ipsisque Achaiæ, Acarnaniæ, Epiri, maioris Macedoniæ Christianis populis non pepercit. Raxiam pariter &

Anno Christi 1514.

*f. imperio regni subd.

Anno Christi 1513. Seruiam prouincias, ac quidquid ab Hadrianopoli, Sauumque & Danubium amnes interiacet, suæ ditioni adscripsit, & a nostra abstulit. Valachi eapropter timore perculsi, pro maiori parte ad ipsum defecerunt. Bosinam postmodum obrepens, velut horrenda tempestas, Cerbereis faucibus exhausit vsque adeo, vt senes & infantes, quorum ætati indulgendum; feminas, quarum sexui naturæ lege parcendum erat, ceteroſque locorum incolas in plateis concatenatos, ceu boues euiscerari, mactari, dilacerari canino rictu nefarie iusserit. Illinc Sinopem & Trapezundam, vetusta nostrorum monumenta maiorum, suæ feritati subegit. Ipsam denique Byzantium Constantini vrbem augustam sub fide fœderis quiescentem (ac si ab infidelibus fides, ab immanissimis pietas, a perfidis hostibus vita speranda esset) machinis & tormentis extemplo & inopinate oppressam vi cepit, eiusque vniuersa plebe venumdata, & in atrocissimam seruitutem subacta, expugnauit, diripuit, adussit. Et vt nobilitatem omnem penitus deleret, ac indigenæ nobiles Christi milites ingenui, sub ficta libertatis spe frustrarentur, sæuus ille canis eosdem iam libertate donatos repente obtruncari præcepit.

Nostra, nostra, inquam, hæc, non proauorum tempestate accidisse comperimus: & si iamiam per caritatis alumnum, maximeque reuerendissimum Hungariæ cardinalem, quem interea & sanctissime quidem, pro te & sacrosancta ista sede, omnium sanctissimæ legationis officio fungi statuis, imminens Turcarum imperatoris procella non retunditur & propulsatur; vereor, pater beatissime, vereor, patres amplissimi, ne dum absenti hinc Hungariæ & Poloniæ calamitati non consulitur, nostratum præsentaneam formidemus, imo (quod absit) deploremus, lamentemur, patiamur. Sed quid in externis, vt ita dicam, enarrandis tempus contero? Nosti, pater beatissime, Coclearium oppidum Valentini litoris, Capritanum castrum Arborensis marchionatus, & alia vtriusque Hesperiæ & insularum maris nostri maritima loca, quæ nostri nominis hostes, circumuentores & piratæ propalam assidue depopulantur. Pensita, oro, quanti te, quanti sacrosanctam istam sedem, quanti faciant ceteros

Christianæ reipublicæ primores inteſtinis bellis laborantes, qui noſtri vſque dominii præcordia penetrare non expaueſcunt: quorum contagioſam peſtem ſi per Africæ fines Ferdinandus noſter non compeſcuiſſet, irruiſſent enimuero in nos, & ceu dudum fecerunt, huic ſacræ Lateranenſi baſilicæ, igne ſuppoſito tunc dilapſæ, nunc minime peperciſſent. Nouerunt tamen eius potentiæ ſcintillam Melhila, Auranum, * Buſia, Tripolis, ciuitates perpulcræ, Mazarquibir, & alii portus celeberrimi, quibus rex ipſe alter Hannibalis * annulus, nobis vero noſtri & Romani ſanguinis vindex & vltor eſt. Ladiſlaum etiam Hungariæ regem ſereniſſimum, Chriſtianæ religionis athletam & ducem ſtrenuum, ne ſilentio prætereamus, ſuis tantum regni primatibus comitatum, innumeram ſæpe hoſtium multitudinem aut profligaſſe, aut dum noſtra ambire ſtudebant, ſua propria reliquiſſe, tergaque & vitam noſtrorum manibus ſæpius dediſſe, non dubitamus. Emmanuelem pariter Luſitanorum regem, fidei noſtræ fidus præclarum, orientis viſcera noſtris a Gadibus vſque auroram & Gangem penetraſſe, fidei expertes vexillo crucis inſigniuiſſe, paganas gentes domuiſſe, in ditionem noſtram venire coegiſſe, nemo noſtrum ambigit. Sigiſmundum præterea Poloniæ regem, aſſiduum & acerrimum infidelium domitorem, contra Tartaros & alios hoſtes conuicinos dimicantem, maximam reportaſſe victoriam, perennis memoriæ Iulio ſecundo & ſacroſancto huic collegio, cuius tu præcipuus archidiaconus & colendus collega tunc exiſtebas, denuntiatum eſt. Quo in conflictu ſupra quadraginta hoſtium millia cæſa fuiſſe, pro comperto habemus. Etſi, o vtinam iam datum eſſet ſolam tantorum principum manum in veros hoſtes conuerti potuiſſe, credidiſſem profecto de te, Leo maxime, eorumdem regum impenſa illud prophetici pſalmi dictum: *Dominabitur a mari vſque ad mare, & a flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent. Et adorabunt eum omnes reges, & omnes gentes ſeruient ei.* Tu vero, qui ſummi Dei geris vices in terris, quique Chriſti tunicam, ſciſſuræ iam proximam, inconſutilem, vt erat, præſeruaſti, vniuerſaliſque eccleſiæ cardines & principes, vt olim

Anno Christi 1515.

* Bugia

Pſalm. 71.

ANNO CHRISTI 1513. manus Domini apostolorum principem a fluctibus, ne mergeretur, erexit, tu quoque in hac lacrymarum fluctuosa valle, ne dissensionis turbine obruerentur, erexisti, euocasti, oues que ipsas tuas, vocem tuam audientes, pastoris boni vestigia & verba secutus, ad te traxisti: quandoquidem dudum ante oues existens, prædicebas: *Cum exaltatus fuero, omnia traham mecum.* Traxisti, inquam, Domine, omnia ad te, quando quæ aberant ab ouili oues, iam pastor effectus attrahis, foues, amplexaris, vt villicationis tuæ rationem redditurus, Dei verba dicas Deo: *Quos mihi dedisti, non perdidi ex eis quemquam.* Attrahe pariter & conuoca religionis nostræ sæculares principes, compone eorum simultates: largiantur te duce vnius saltem triennii sanctissimas inducias Deo, quæ mediocri amico etiam non efflagitanti darentur, vt rixis tandem particularibus sedatis, maius & validius copiarum corpus efficiamini: quia nullum robur tam firmum atque solidum, quod diuisum non debilitetur, non cadat, non dissipetur. Ignis in stipites segregatus, extinguitur: domus in lapides diuisa corruit: nauis in tabulas discissa demergitur: *Omne regnum in seipsum diuisum*, vt aiebat Legislator noster, *desolatur.* Christianis etiam principibus inter se dissidentibus, prolabitur funditus Christiana religio: & denique nihil est, quod concordia non constet, cadat discordia. Pariat ergo concordes animos concors fides, & concordibus membris te sanctissimum amplexantibus caput, expergiscere in Dei subsidium, obliuiscere populum tuum & domum patris tui. *Excita, Domine, potentiam tuam, & veni.* Succurre miseris explosis Christicolis, qui te præstolantur. Consule renatæ labenti religioni, quia *omnes amici eius spreuerunt eam, & non est qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Audi Dominum, qua te de causa in hunc terrarum orbem miserit, & qua, delendæ præsertim Mahumeticæ sectæ tempestate, oues suas tibi crediderit. *Vt consolarer*, inquit, *omnes lugentes Sion, & ponerem consolationem lugentibus Sion.* Tuo nempe gladio fretus: *Conuertam*, ait, *luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & lætificabo a dolore.* Hac propterea ipsi fide securi, Conuerte, clamitant, luctum nostrum in gaudium: *nam viæ Sion lugent, quia non sunt qui veniant in eius leuamen, & ipsa oppressa est*

Ioan. 12.

Ioan. 18.

Luc. 11.

Psalm. 79.

Thren. 1.

Isa. 61.

Ierem. 31.

Thren. 1.

amaritudine. Tria enim hoc vno nondum exacto anno, vt hanc consolationis spem iam breui complendam facilius crederemus & intueremur, operata est in te Dei omnipotentia maximi, diue Leo: mirabilem, primum, tuam mediis ab hostibus libertatem, non hominum, sed Dei manu donatam: desperatam, alterum, in proprios lares & patriæ amplexus reductionem & receptionem: reliquum, quod non ab re, nec nisi (vt ego ipse vidi, vidi, inquam, immeritus: vidi, & qui vidit, testimonium perhibuit; & scitis patres, quia verum est testimonium eius) vere diuina prouidentia factum censendum est, quod te sacerrimus iste senatus ex tot tantisque patribus, tibi ætate maioribus, meritis & vitæ integritate paribus, iuniorem in senem, fratrem, & vt ita dixerim, filium in patrem, collegam in dominum, in Petri successorem, in summum sacerdotem, in Christi vicarium elegerint, assumpserint, adorauerint, vt hanc scilicet sanctam prouinciam assumeres, assumptã prosequereris, & longo saltem temporis interuallo longæuus perficeres, perfectam pacares, & Christiano dogmate institueres: ac ceu leo rex quadrupedum, tu alter Leo, hominum non alter rex tantum, sed regum rex, & orbis terrarum monarcha effectus, alias oues quas habes, quæ non sunt de hoc ouili, ad tuum ouile reduceres, alliceres, reuocares. *Accingere ergo gladio tuo super femur tuum potentissime:* nam & tu duos gladios habes, spiritualem scilicet & temporalem. Altero igitur euaginato, altero in vaginam reposito, in hostes irrue, quia nihil impossibile erit tibi. Vinces profecto, quia vicit Leo. Aggredere certamen gloriæ, vbi qui legitime certauerit, coronabitur. Dissolue compedibus mancipatos, affere pedicis astrictos, aufer vinctis manicas, audi nostrorum lugubres vlulatus, excogita miserandos gemitus, pensita lacrymarum & sanguinis profundos torrentes, perpende flebiles singultus. Volue tecum animo, quot nefandas strages, quot sanguinolentas cædes, quot incendia, quot excidia Christianorum, quot Dei nostri templa incensa, diruta, profanata, & ceu prostibula spurcata existima. Miserere nostræ Christianæ reipublicæ hanc sacram Synodum appellantis, vociferantisque: *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei.* Fer illis opem, discerpe ergastula, vindi-

Ioan. vlt.

Psalm. 44.

2. Tim. 2.

Iob. 19.

ANNO CHRISTI 1513.

ANNO CHRISTI 1513. vindica captiuos, manumitte concatenatos. Ecce te inuitat rex Propheta: *Dirumpamus*, ait, *vincula eorum, & proiiciamus a nobis iugum ipsorum.* Deduc eos ad tuum & Domini iugum suaue, quia cadent. *Cadent enim a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis.* Et vnum interea excogita pontificum feliciſſime. Si nunc atrociſſimæ Turcarum ſiti minime obſimus, quo in ſtatu nos, quo in ambiguo poſteros noſtros, ad has Europæ rimas compreſſos, ſumus relicturi? Et ſi nihil impoſſibile erit nobis, contra patrimonium Chriſti occupantes, contra fidei noſtræ hoſtes, contra inimicos crucis arma ſumamus. Ad quod etiam electionis vas nos hortatur, dicens: *Perſequimini inimicos crucis, quorum finis interitus eſt.* Si ergo interitus, audeamus certa Pauli ſponſione ſecuri. Tuque beatiſſime pontifex, quem item ſacroſancta hæc Synodus appellat, obteſtatur, & in Prophetæ verbis proclamat: *Tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi:* cuius ductu & auſpicio Chriſtiana religio reuiuiſcit, nitere, vt te duce, qui bonitate inſignis, ſapientia præcipuus, prouidentia circumſpectus, præpotens armis, auctoritate grauis, conſilio & rerum experientia pollens, Chriſtianæ reipublicæ primus & caput es, ſit vna fides, vnum baptiſma: denique, vt es vnus paſtor, ſit vnum ouile: vt hac orbis machina ſub illius qui paſtor bonus eſt, bacillo, fide & ditione introducta, quam ipſe mercedem copioſam in cælis pro fidei noſtræ retributione ſpopondit, eam ipſi operibus aſſequamur. Dixi.

Pſalm. 2. *Pſalm. 90.* *Philip. 3.* *Pſalm. 15.*

SESSIO VIII.

IN nomine Domini. Amen. Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimotertio, indictione prima, die vero Lunæ decimanona menſis Decembris, celebrata fuit octaua ſeſſio Concilii generalis in ſacroſancta baſilica Lateranenſi, præſente & præſidente ſanctiſſimo domino noſtro Leone papa decimo. Et fuerunt præſentes infra ſcripti reuerendiſſimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, generales ordinum, oratores principum & illuſtriſſimi domini, ac in ſacra pagina & vtraque cenſura doctores celeberrimi, videlicet:

Anno Christi 1513.

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.
Reuerendissimus dominus Bernardinus Sabinensis.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.
Reuerendissimus dominus Franciscus Tiburtinensis.
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

Presbyteri cardinales.

Reuerendissimus dominus Franciscus tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Surrentinus.
Reuerendissimus dominus Hadrianus tituli sancti Chrysogoni.
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Fliſco.
Reuerendissimus dominus Leonardus tituli sanctæ Susannæ, Agennensis.
Reuerendissimus dominus Carolus tituli sanctæ Cæciliæ.
Reuerendissimus dominus Christophorus sanctæ Praxedis.
Reuerendissimus dominus Antonius tituli S. Vitalis, Sipontinus.
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii, Anconitanus.
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.
Reuerendissimus dominus Laurentius tituli sanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi cardinales.

Reuerendissimus dominus Federicus de sancto Seuerino, sancti Angeli.
Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii, Farnesius.
Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin, de Aragonia.
Reuerendissimus dominus Marcus sanctæ Mariæ in porticu, de Corneliis.
Reuerendissimus dominus Alphonsus sancti Theodori.
Reuerendissimus dominus Matthæus sancti Angeli Gurcensis.
Reuerendissimus dominus Iulius sanctæ Mariæ * de Nauicula. * in Dominica.
Reuerendissimus dominus Innocentius sanctorum Cosmæ & Damiani.

Patriarchæ & assistentes papæ, & oratores.

Reuerendus pater dominus Bernardus Taruisinus episcopus & gubernator Vrbis.
Reuerendus pater dominus Claudius Massilienſis episcopus Christianissimi Francorum regis orator.
Reuerendus pater dominus Ioannes Gneznenſis archiepiſcopus, orator regis Poloniæ.
Reuerendus pater dominus Bertrandus episcopus Adrienſis & orator ducis Ferrariæ.
Reuerendus pater dominus Dominicus episcopus Aquenſis, marchionis Montisferrati orator.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1513. Reuerendus pater dominus Cæsar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Alphonsus Antiochenus.
Reuerendus pater dominus Robertus archiepiscopus Rheginus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senensis.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachiensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Consanensis.
Reuerendus pater dominus Pompeius Reatinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciscus Taurinensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Cauallicensis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterranus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.

Archiepiscopi.

Reuerendus pater dominus Iulius Corinthiensis.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicosiensis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatensis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Iadrensis.
Reuerendus pater dominus Orlandus Auinionensis.
Reuerendus pater dominus Andreas Monembasiensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Arborensis.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Gabriel Barensis.

Episcopi.

Reuerendus pater dominus Dionysius Tolonensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Nannetensis.
Reuerendus pater dominus Lactantius Suanensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetensis.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbiensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Franciscus Vicentinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Ansarensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Iustinopolitanus.
Reuerendus pater dominus Albertus Valuensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Sibinicensis.
Reuerendus pater dominus Iannotius Troianus.
Reuerendus pater dominus Petrus Narniensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Sarsinatensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Tudensis.
Reuerendus pater dominus Martinus Zarnensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenensis.
*Patentinensis. Reuerendus pater dominus Hugo *Rhegiensis.

Anno Christi 1513.

Reuerendus pater dominus Aloysius Iporiensis.
Reuerendus pater dominus Marinus * Minernensis. * Meteruniens.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriaticensis.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomensis.
Reuerendus pater dominus Robertus Ciuitatensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Marsicanus.
Reuerendus pater dominus Christophorus Cæsenatensis.
Reuerendus pater dominus Theseus Recanatensis.
Reuerendus pater dominus Corradus Astunensis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinensis.
Reuerendus pater dominus Michael Archensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Elnensis.
Reuerendus pater dominus Lambertus Venusinus.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatensis.
Reuerendus pater dominus Andreas Lausanensis.
Reuerendus pater dominus Sixtus Salutiarum.
Reuerendus pater dominus Marcus Senogallensis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Signinus.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.
Reuerendus pater dominus Baptista Vincensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Paulus Æsinus.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Corsulensis.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Licensis.
Reuerendus pater dominus Hercules Vrbeuetanus.
Reuerendus pater dominus Franciscus Bisignianensis.
Reuerendus pater dominus Galesius Bellunensis.
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Marianensis.
Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Gabriel Caluensis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Squilacensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Aquinatensis.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Iosue Esculanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.
Reuerendus pater dominus Marius Vrgentinus.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chiensis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Caiacensis.
Reuerendus pater dominus Andreas Literensis.
Reuerendus pater dominus Latinus Vestanus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricensis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Asculanus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1513.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Blasius generalis Vallis vmbrosæ.
Reuerendus pater dominus Petrus Camaldulensis.
Reuerendus pater dominus Zacharias Sebastensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes sancti Sebastiani extra Vrbem.
Reuerendus pater dominus Nicolaus sancti Gregorii de Vrbe.

Generales ordinum.

Reuerendus pater dominus Hilarius præceptor sancti Spiritus.
Reuerendus pater dominus Thomas generalis sancti Dominici.
Reuerendus pater dominus Bernardinus sancti Francisci.
Reuerendus pater dominus Ægidius, eremitarum sancti Augustini.
Reuerendus pater dominus Angelus sanctæ Mariæ Seruorum.

Oratores & illustres domini.

Illustris dominus Maria Sfortia, & illustris dominus Albertus Pius de Carpi, & Antonius Iuba, sereniſſimi Maximiliani electi imperatoris oratores.
Magnificus dominus Ludouicus de Solier Christianissimi regis Franciæ orator.
Magnificus dominus Hieronymus de Vich Catholici regis Ferdinandi Aragonum orator.
Magnificus dominus Totus Lupus de Lapide eques, & Benso de Aluenschn. & Ioannes Benceluil, oratores illustris domini Ioachim marchionis Brandeburgensis electoris imperii.
Magnificus dominus Petrus Landus orator illustrissimi dominii Venetorum.
Reuerendus pater dominus Marinus Caracciolus, protonotarius apostolicus, orator illustrissimi domini Maximiliani Sfortiæ ducis Mediolanensis.
Oratores dominii Florentinorum.
Magnifici domini Galeottus de Carreto, & Franciscus Pugilla, oratores illustris domini marchionis Montis ferrati.
Dominus Franciscus de Guidono, orator magistri Rhodi.
Illustris dominus Galeatius Sfortia.
Illustris dominus Ioannes Ludouicus marchio Pallauicinus, ac quamplures illustres domini, & magistri sacrarum literarum, & in vtroque iure doctores celeberrimi.

Fuit celebrata Missa submissa voce per reuerendum patrem dominum Gabrielem archiepiscopum Dyrrachiensem, & habita oratio per dominum Ioannem Baptistam de* Gargiis militem ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, quæ in fine præsentis sessionis ponetur. Et canta-

* Garge

tis deuotis orationibus ac hymno consueto, Veni creator Spiritus; & litaniis, ac præstita obedientia, & aliis ceremoniis seruari solitis seruatis, reuerendissimus in Christo pater dominus Marcus cardinalis de Corneliis cantauit euangelium secundum Matthæum, quod incipit: *Simile factum est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit seminare*, &c. Et deinde reuerendus pater dominus Claudius episcopus Massilienſis, & magnificus dominus Ludouicus de Solier, oratores Christianissimi Francorum regis, dederunt mandatum ipsius Christianissimi regis, & iuxta illius tenorem adhæserunt nomine præfati regis sacro Lateranensi Concilio, & reuocauerunt Conciliabulum Pisanum, ac petierunt prorogari terminum ad allegandum de iuribus super pragmatica sanctione. Quo facto, reuerendus pater dominus Thomas Phædra de mandato sanctissimi domini nostri ascendit ambonem, & legit prædictum mandatum, cuius tenor talis est. Anno Christi 1513.

MANDATVM REGIS FRANCORVM.

Ludouicus Dei gratia Francorum rex, dux Mediolani, & dominus Genuæ, vniuersis præsentes inspecturis.

Fieri volumus manifestum, quod cum carissimus consanguineus noster Fridericus tituli sancti Angeli, sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconus cardinalis de sancto Seuerino vulgariter nuncupatus, & dilecti ac fideles consiliarii nostri, magistri, Claudius de Seysello electus Massilienſis, & Ludouicus Forbin dominus de Soleriis, apud sanctissimum dominum nostrum papam Leonem decimum impræsentiarum oratores, tamquam procuratores nostri & procuratorio nomine certas promissiones, obligationes & submissiones fecerint præfato sanctissimo domino nostro per instrumentum publicum, manu venerabilis viri Petri Bembi præfati sanctissimi domini nostri papæ secretarii & notarii apostolici receptum, cuius tenor sequitur & est talis.

In nomine Domini. Amen.

Vniuersis præsentes inspecturis fiat manifestum, quod superioribus annis bonæ memoriæ Iulio secundo pontifice maximo in humanis agente, subdolæ falsæque sugge-

ANNO CHRISTI 1513. stiones inimicorum atque æmulorum sereniſſimi & Chriſtianiſſimi Ludouici Francorum regis apud eumdem Iulium vſque adeo inualuiſſent, quod illum aduerſus dictum regem obſequentiſſimum filium, & eccleſiæ primogenitum ex patre, apertum acerrimumque hoſtem effeciſſent. Et licet idem rex, quantum fieri potuit, patienti animo dicti pontificis impetum atque iracundiam tolerare ſtatuiſſet, ſperans aliquando fore, vt ſuæ ſanctitati reconciliaretur, nihilo minus tamen præter opinionem dicti regis euenerit, quod multi eccleſiaſtici, etiam ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, aliique doctiſſimi & præſtantiſſimi viri, in ciuitate Piſana ſub nomine Concilii generalis conuenerint, aſſerentes firmiter, & pluribus coloratiſque rationibus perſuadentes, ſe dicti Concilii congregandi multis de cauſis legitimam poteſtatem habere, accedente etiam ad hoc conſenſu & auctoritate sereniſſimi Romanorum imperatoris electi, prætenſum Concilium Piſanum indixerint, dictuſque rex ex conſilio plurimorum prælatorum & aliorum doctiſſimorum virorum eccleſiæ & nationis Gallicanæ dicto prætenſo Concilio Piſano adhæſerit, prælatoſque qui illud legitime congregatum eſſe arbitrabantur, ad prætenſum Concilium præfatum ire permiſerit, illudque in terris, regno & dominiis ac ditionibus ſuis continuare paſſus fuerit, & illius decretis & prouiſionibus paruerit, & in regno & dominiis ſuis prædictis pareri fecerit, non quidem vt ſanctæ ſedi apoſtolicæ aut ſanctæ Romanæ eccleſiæ (quod abſit) maculam aliquam aut ſciſſuram ſchiſmaque inferret, ſed prædictis conſiliis, ſuaſionibus, adhortationibuſque inductus, præſertim quia cauſæ propriæ, per quas ad id faciendum motus fuit, perſonam eiuſdem Iulii pontificis a quo, vt præfertur, prouocatus fuerat, præcipue concernebant. Cumque poſtmodum præfato Iulio pontifice vita functo, & ſanctiſſimo domino noſtro Leone decimo in eius locum ad ſummi apoſtolatus apicem atque vniuerſalis eccleſiæ regimen aſſumpto, intellexerit præfatus rex ſanctitatem ſuam inſequendo in hac parte geſta præfati Iulii, dictum prætenſum Concilium Piſanum, tamquam minus legitimum, & a non habentibus poteſtatem indictum, nec non omnia in eo geſta damnaſſe & improbaſſe, & dictum Concilium Lateranenſe tamquam rite

& legitime indictum, eiusque omnia gesta & decreta ap- Anno Christi 1511
probasse, fueritque postmodum per suam sanctitatem, tam per literas in forma Breuis, quam alias diuersimode paterne admonitus, vt a dicto prætenso Concilio, tamquam minus rite & a non habentibus potestatem indicto, recederet, & dicto Lateranensi tamquam vero, indubitato, vnico & œcumenico Concilio adhæreret, ipseque rex solo religionis zelo atque instinctu adductus, sperans desideratam vniuersalem Christi fidelium pacem auspiciis præfati sanctissimi domini nostri Leonis papæ decimi præsto adfuturã, ac propediem, fauente Domino, vnanimi Christianorum principum & populorum consensu, arma in orthodoxæ fidei communesque hostes conuertenda esse: considerans insuper, quanti sit in his & ceteris rebus omnibus summi pontificis auctoritas, quam præsertim vitæ munditia atque innocentia comitatur, quæ sunt in præfato sanctissimo domino nostro perspicua, paternis suæ sanctitatis monitis & suasionibus abunde permotus, quippe qui illius auctoritati & sententiæ potius quam alterius cuiusque mortalium, sanctius & seuerius semper stare iudicauit, præsertim vbi scandalum ecclesiæ imminet & scissura, pro singulari quam erga præfatum sanctissimum dominum nostrum & sanctam sedem apostolicam gerit deuotionem, vestigia Christianissimorum Franciæ regum prædecessorum suorum non solum imitari, verum etiam, si fieri potest, anteire cupiens, animaduertens præsertim quod per mortem præfati Iulii, omnis odii & suspicionis materia est extincta, & quod nonnulli ex prænominatis cardinalibus, nec non imperator electus, qui dictum prætensum Concilium Pisanum indixerant, iam illi renuntiarunt, & dicto Lateranensi adhæserunt. Hinc est, quod in præsentia præfati sanctissimi domini nostri Leonis papæ decimi, coram nobis notariis & testibus infra scriptis personaliter constituti reuerendissimus in Christo dominus Fridericus sancti Theodori diaconus cardinalis de sancto Seuerino vulgariter nuncupatus, nec non reuerendus in Christo pater dominus Claudius de Seysello electus Massilienſis, ac magnificus & generosus dominus Ludouicus Forbin dominus de Soleriis, præfati Christianissimi Ludouici Francorum regis procuratores ad omnia & singula infra scripta peragenda specialiter deputati, constanti-

Anno Christi 1513. stantibus literis patentibus dicti Christianissimi regis sua manu subscriptis,& sigillo suo sigillatis eiusdem regis nomine & mandato, cum ea qua decuit reuerentia atque humilitate a dicto prætenso Pisano Concilio penitus discesserũt, illique plenarie renuntiauerunt, ac pure,libere & simpliciter sacrosancto Lateranensi Concilio prædicto, tamquam vero, vnico & legitimo, adhæserunt. Et insuper procuratorio nomine quo supra promiserunt, quod præfatus rex Christianissimus nullum deinceps fauorem, nullamque assistentiam dicto prætenso Concilio Pisano quoquo pacto præstabit, quinimo quoscumque in ciuitate Lugduni, aut alibi in regno, terris & dominiis suis, sub nomine dicti prætensi Cõcilii Pisani persistentes,infra vnum mensem proxime futurum abire faciet; & pertinaciter resistentes, cuiuscumque status, gradus, dignitatis aut conditionis fuerint, ecclesiastici, vel sæcularis, de facto eiiciet & expellet, ac pro schismaticis habebit, & contra eos velut tales, ad omne mandatum præfati sanctissimi domini nostri etiam manu armata, si opus fuerit, procedet. Et vlterius promiserunt præfati procuratores nomine quo supra, prænominatum Christianissimum regem facturum & curaturum cum effectu, quod sex prælati & quatuor doctores seu graduati ex honoratioribus,ex numero eorum qui prædicto prætenso Concilio Pisano interuenerunt, destinabuntur ad eumdem sanctissimum dominum nostrum papam nomine dicti prætensi Concilii Pisani, & cum legitimo mandato per illud pro tempore repræsentantes, tam eorum quam aliorum omnium qui dicto Concilio adhæserunt, nomine facto. Qui prælati & doctores seu graduati infra Kalendas Ianuarii proxime futuri coram sua sanctitate personaliter comparebunt, dictoque Concilio Pisano pure & simpliciter renuntiabunt, illudque abiurabunt, & veniam atque absolutionem a sua sanctitate humiliter in forma conuenienti, & suæ sanctitati accepta, postulabunt, & vlterius dicto Concilio Lateranensi tamquam vero, vnico indubitatoque, tam suo quam aliorum adhærentium prædictorum nomine, adhærebunt, & se incorporabunt: quodque si præmissa facta non fuerint, præfatus rex nulli eorum qui dicto prætenso Concilio Pisano interfuerunt, aut fauerunt, opem, auxilium aut fauorem dabit aduersus sanctæ

sedis apostolicæ auctoritatem, quinimo præfati sanctissimi domini nostri sententias, decreta & censuras contra eos exequi faciet suo posse, etiam manu forti & armata, si opus sit, absque vlla simulatione vel fraude. Et vlterius promiserunt præfati procuratores, quo supra nomine, quod quamprimum commode fieri poterit, venient aliqui prælati & insignes viri nomine totius ecclesiæ Gallicanæ cum sufficienti mandato, qui dicto Concilio Lateranensi adhærebunt & assistent, quemadmodum ceteræ nationes. Quæ omnia & singula prænominati procuratores promiserunt ratificari facere per præfatum Christianissimum regem in bona & sufficienti forma, cum præinsertione præsentis instrumenti, de verbo ad verbum, intra quadraginta dies proxime futuros, sub obligationibus & submissionibus in forma. Anno Christi 1513.

Ego Fridericus diaconus cardinalis sancti Angeli de sancto Seuerino, ita promitto.

Ego Claudius electus Massilienſis manu propria ita promitto.

Ego Ludouicus de * Soleriis manu propria ita promitto. * Soler

Ego Petrus Bembus clericus Venetiarum, sanctissimi domini nostri papæ secretarius ac publicus apostolica auctoritate notarius, quoniam præmissis omnibus & singulis, dum sic, vt prædictum est, in antecubiculo sanctissimi domini nostri papæ, atque in eius præsentia, reuerendissimorumque dominorũ Antonii tituli sancti Vitalis presbyteri cardinalis Papiensis, & Petri tituli sancti Eusebii presbyteri cardinalis Anconitani, & Laurentii sanctorum quatuor presbyteri cardinalis de Pucciis, ac Iulii sanctæ Mariæ in Domnica diaconi cardinalis de Medicis, tractarentur & fierent, præsentibus etiam testibus ad id vocatis, Philippo Aldimario, Latino de Benassais, ac Ioanne Lazaro Pulica, & requisitis, rogatus interfui, eaque ita fieri vidi & audiui, & hoc ipsum publicum instrumentum, aliis impeditus negotiis, alterius manu scriptum confeci, & in hanc publicam formam redegi, signumque meum atque nomen in prædictorum fidem apposui.

Anno Domini 1513. indictione prima, die sexta mensis Octobris, pontificatus eiusdem sanctissimi domini nostri anno 1. signatum. Idem B. Hinc est, quod nos de dictis promissionibus, obligationibus & submissionibus, toto-

Anno Christi 1513. que tenore dicti instrumenti præsentibus inserti, ad totum informati, ex certa nostra scientia & regia auctoritate omnia & singula in dicto instrumento contenta harum tenore laudamus, ratificamus & approbamus, illaque obseruare & attendere, in nulloque contrauenire vel facere aliqua ratione vel causa promittimus bona fide nostra, & in verbo regis, ac sub expressa obligatione omnium bonorum nostrorum præsentium & futurorum. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas iussimus sigilli nostri munimine roborari.

Datum Corbeiæ die vigesimasexta mensis Octobris, anno Domini millesimo quingentesimo decimotertio, & regni nostri decimosexto.

Ludouicus Dei gratia Francorum rex, dux Mediolani, dominus Genuæ, vniuersis præsentes literas inspecturis salutem.

Notum facimus, quod nos confidentes de prudentia, dexteritate, diligentia & fide carissimi & amantissimi consanguinei Friderici cardinalis de sancto Seuerino, protectoris negotiorum nostrorum in Romana curia, & dilectorum ac fidelium consiliariorum nostrorum Claudii episcopi Massilienſis, & domini Ludouici de Soleriis, oratorum per nos destinatorum ad sanctissimum papam, eosdem & quemlibet eorum ex nostra certa scientia & auctoritate regia fecimus & constituimus, ac per præsentes facimus & constituimus nostros veros & indubitatos procuratores generales & speciales; ita tamen quod specialitas generalitati non deroget, nec contra; ad petendum nomine nostro & ecclesiæ Gallicanæ, pro qua, quo ad hoc, promittimus, a sanctissimo domino nostro papa & a sacro Concilio Lateranensi in sessione quæ proxime celebrabitur, aut alias, prout eis videbitur, terminum & dilationem competentem pro dicta ecclesia Gallicana, vt interea possint congregari, deputari & mitti aliqui prælati, & aliæ notabiles personæ, ad se præsentandum in dicto sacro Lateranensi Concilio, & ibidem super facto pragmaticæ sanctionis respondendum, considerato quod antea & in præsentia propter bella & dissensiones quæ sunt in Italia, non fuit, neque tutum est iisdem prælatis & aliis personis dictæ

ecclesiæ Gallicanæ Romam posse accedere, & quod dicta ecclesia Gallicana cum in præsentia congregata non sit, ad se congregandum propter regni magnitudinem, distantiam diœcesum & habitationum dictorum prælatorum, nec non propter bella quæ in limitibus regni nostri geruntur, indiget temporis spatio conuenienti. Et insuper ad requirendum a præfato sanctissimo domino nostro papa, & a sacro Concilio Lateranensi prædicto, tam nostro quam dictæ ecclesiæ Gallicanæ nomine, pro qua promittimus, vt præfertur, ne vllo modo velint procedere in facto prædictæ pragmaticæ sanctionis, dicta ecclesia Gallicana & nostris procuratoribus & deputatis non auditis, & ad petendum & requirendum de præmissis instrumentum publicum loco & tempore profuturum & valiturum prout iuris fuerit. In quorum fidem præsentes literas manu nostra scripsimus, & sigilli nostri iussimus munimine roborari. Anno Christi 1513.

Datum Corbeiæ die vigesimasexta Octobris, anno salutis millesimo quingentesimo decimotertio, & regni nostri sextodecimo.

Louys.

Per regem Robertet.

Quo finito, reuerendus pater dominus Marinus Caracciolus protonotarius apostolicus, orator illustrissimi domini ducis Mediolanensis, supplicauit sanctissimo domino nostro, ne permitteret quod Christianissimus rex Franciæ nominaret se ducem Mediolani in mandato, attento quod ipse vsurpauerat ducatum Mediolanensem, & dictus dux auxilio sanctæ sedis recuperauerat: alias protestabatur, &c. Ex aduerso reuerendus pater dominus Claudius episcopus Massilienſis dixit illa alio loco & tempore determinari debere. Et tandem dominus noster respondit, quod omnia dicta transirent sine præiudicio. Deinde supradicti oratores illustris marchionis Brandeburgensis electoris imperii dederunt mandatum, & id reuerendus pater dominus Thomas Phædra legit in ambone, cuius tenor talis est.

Anno Christi 1513.

MANDATVM MARCHIONIS Brandeburgensis.

Dei gratia Ioachim marchio Brandeburgensis, sacri Romani imperii archicamerarius, princepsque elector, Stetiniæ, Pomeraniæ, Cassuborum & Sclauorum dux, burgrauius Nurembergensis ac Russiæ princeps, vniuersis præsentes literas inspecturis, amicabile obsequium, salutem, fauorem, & complacendi animum affectuosum.

Ad hoc nos omnipotens Deus in membrum & vnum de catholicæ ecclesiæ columnis, meritis licet insufficientibus, constituit, vt eius mandatis ad extremum parere etiam dinoscamus atque cupiamus. Cum igitur felicis recordationis Iulius papa secundus, cuius, & non minus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis moderni pontificis, laudes tacere nequiuimus, sacrum Lateranense Concilium, ad ecclesiæ sanctæ Dei, ad Christianæ reipublicæ augmentum, extinctionem hæresis, reformationem morum, ac communem Christicolarum pacem tractandam indixerit: verum quia pluribus innumerisque negotiis præpediti, ac varia propter itineris discrimina, huiusmodi Concilio personaliter ad præsens interesse minime valemus, propterea præsentibus consiliariis & oratoribus nostris fidelibus nobis dilectis, venerabilibus ac magnificis dominis Enttelvuolffo de lapide equiti aurato, capitaneoque nostro, Bussoni de Alueslent iuris doctori, ac ecclesiæ Magdeburgensis canonico, Ioanni Blanctenfeldo doctori, Teutonicorumque ordinis Prussiæ in Romana curia procuratori generali, coniunctim & diuisim, melioribus quibus possumus & debemus modis in mandatis tradidimus atque commisimus, eos etiam constituimus, illisque vt nostris oratoribus impræsentiarum committimus atque mandamus, quatenus præsenti Lateranensi Concilio, sancte & rite indicto ac conuocato, nostro nomine, quantum per eos fieri poterit, interesse, in illoque comparendo actus & processus concelebrare, causas tractare, omniaque alia agere ac determinare, quæcumque celebrationi Lateranensis Concilii interueniunt, proponenturque: nec non quæ necessaria & opportuna vniuersali reformationi, fideique augmento videantur, & si speciale

mandatum exegerint, & maiora essent expressis, nosque ipsi, si præsentes essemus, validiori modo facere possemus, cum omnibus clausulis, iuramentis & obligationibus necessariis, & quibus efficacius fieri potest, valeant. Promittentes ratum, gratum & validum omni in loco & tempore perpetuo habere, quidquid in prædictis & circa prædicta, & quodlibet eorum, per præsentes nominatosque nostros consiliarios & oratores actum conclusumque fuerit. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum præsentes nostras literas ac constitutionis mandatum sigilli nostri appensione duximus roborandum, sub anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimotertio, penultima die mensis Septembris. Anno Christi 1513.

Quo perlecto, magnifici domini oratores marchionis Montisferrati superius nominati dederunt mandatum, quod etiam fuit lectum per eumdem dominum Thomam Phædram in ambone, cuius tenor talis est.

MANDATVM MARCHIONIS Montisferrati.

Guillelmus marchio Montisferrati, sacri Romani imperii princeps, vicariusque perpetuus.

Cum pro maiorum nostrorum & cuiuslibet Christiani principis more, reuerendum in Christo patrem dominum Dominicum de Schiliuis episcopum Aquensem, ac magnificos dominum * Galeoctum de Carreto, & dominum Franciscum * Pugellani, iuris vtriusque doctores, consiliarios & oratores nostros ad sanctissimum dominum nostrum Leonem papam decimum pro obedientia & reuerentia suæ sanctitati præstanda nuper destinauerimus, accepimus septimam Lateranensis Concilii diuinitus conuocati, vniuersalem repræsentantis ecclesiam, imminere sessionem. Ne igitur ab dominico ouili, cuius non spernendum membrum sumus, tamquam vagi aberrare, & inconsutilis vestis Domini & saluatoris nostri Iesu Christi temerarii & improbi laniatores iudicemur, ipsam in primis vniuersalem Synodum Lateranensem per sanctæ memoriæ Iulium secundum in Spiritu sancto legitime & *Galeorum *Pugellam,

Anno Christi 1513. canonice congregatam, atque alias antecedentes sessiones, in quibus de vniuersalis ecclesiæ & totius reipublicæ Christianæ bono actum est, approbantes, omnibus melioribus modo, via, iure, forma & causa, quibus melius & efficacius de iure facere possumus & debemus, vices nostras reuerendissimo in Christo patri domino Marco tituli sanctæ Mariæ in Transtiberim presbytero cardinali Senogallensi, protectori nostro, nec non præfatis, reuerendo episcopo * Dominico ac Galeotto & Francisco oratoribus nostris, & cuilibet eorum in solidum, tenore præsentium demandamus, quatenus instanti septimæ sessioni, nec non omnibus & singulis deinceps in præfato sacrosancto Concilio Lateranensi faciendis & peragendis nostro nomine assistant, seu alius eorum assistat, eaque omnia & singula peragant, seu peragat, quæ per nosipsos exhiberentur & agerentur, si præsentes adessemus, & quæ ad dignitatem, amplitudinem & exaltationem personæ sanctissimi domini nostri Leonis decimi pontificis maximi, nec non sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac sacrosancti Lateranensis Concilii, exhibenda merito esse conspexerint. Dantes & tribuentes præfato reuerendissimo domino Marco cardinali Senogallensi, nec non oratoribus nostris præfatis, & cuilibet eorum in solidum, amplam facultatem, auctoritatem & bailiã, omnia & singula sanctæ Romanæ ecclesiæ & Christianæ religionis bonum & salubrem statum tangentia, in præfato sacrosancto Lateranensi Concilio tractanda & peragenda, approbandi, & iureiurando, si opus fuerit, firmandi nostro nomine. Promittentes in verbo veri & catholici principis, omnia & singula ab eodem domino Marco cardinale Senogallensi, nec non oratoribus nostris præfatis, seu eorum aliquo, nostro quo supra nomine, tam verbo quam scriptis, in præmissis & circa præmissa peragenda approbaturos, eaque rata & grata in perpetuum habituros. In quorum fidem & testimonium præsentes nostras literas fieri, nostrique sigilli robore communiri iussimus.

*Aquen.

*Tridenti Datum * Tridini die vndecimo Decembris, millesimo quingentesimo decimotertio.

Antonius.

Quo finito, dominus Marius procurator Concilii de-

dit quamdam ſupplicationem ſanctiſſimo domino noſtro tenoris infra ſcripti, proponens & ſupplicans, prout in ea. Tenor vero ſupplicationis talis eſt. Anno Christi 1512.

Beatiſſime pater, licet prouincia Prouinciæ, illiuſque clerici in quacumque dignitate conſtituti, ac perſonæ ſæculares ſemper ſedi apoſtolicæ non minus debitam quam deuotam obedientiam præſtiterint, illique paruerint, reſque & perſonas eccleſiaſticas debita libertate & immunitate frui permiſerint, & in eadem defendere & manutenere conati fuerint: nihilo minus iniquitatis filii, domini Geruaſius de Bellomonte præſidens, Petrus de Braudis, Bertrandus Duranti, Petrus Matthæi, Simon de Trabutiis, Guillelmus de Perrerio, Marcellinus Giuriuand, Elzianus Roſtagin, Ioannes * Toruatoris, Antonius de Albis, Stephanus Pariſii, nec non reuerendi patres domini Auguſtinus de Grimaldo epiſcopus Graſſenſis, ac etiam epiſcopus Senecenſis, Franciſcus de Senatro, Toſſantius Corriolis, conſiliarii curiæ regiæ parlamenti dictæ prouinciæ Prouinciæ, nec non adminiſtrantes iuſtitiã inter laicos per Chriſtianiſſimum Franciæ regem deputati, parlamentum dictæ prouinciæ Prouinciæ nuncupatum, Dei timore poſtpoſito, relaxatis debitæ obedientiæ habenis, vt tyrannidem plenarie ſibi in dicta prouincia vſurparent, omnia mala tentare, auctoritatem ſedis apoſtolicæ nedum paruifacere, ſed illam ſibi vendicare non erubeſcunt. Nam etſi literas a ſanctitate veſtra, ſedeque apoſtolica illius auctoritate, tam ex gratia quam iuſtitiæ debito decretas, promptam & paratam executionem habere deceat, prout in eadem prouincia perantea ſemper habuerunt, illi tamen, ne illas quiſquam ſine eorum licentia in ſcriptis obtenta, quam annexam appellant, in eadem prouincia exequatur, ſub grauiſſimis pœnis inhibuerunt. Quin etiam requiſiti pluries illam denegant, ſicque impetrationem literarum apoſtolicarum eodem modo fruſtrantes, quod profecto nil aliud eſt, niſi in hanc ſanctiſſimam ſedem, ſuperbiam ſatanæ imitando, ceruicem erigere. Et licet ipſis in clericos, reſque eccleſiaſticas nulla penitus competebat iuriſdictio, eccleſias tamen per ſe vel alios, ordinariis inſciis & irrequiſitis, viſitant, numerum deſeruientium in illis pro libito minuunt, augent, fructus pro confícta re-

* Tolos.

para-

ANNO CHRISTI 1513. paratione eccleſiarum ad ſimplicem requiſitionem ſub ſequeſtro detineri iubent, eoſque fructus in manibus eorumdem laicorum deponunt, quoſque ſub hoc confícto colore vſurpant: cauſas ſpirituales & beneficiales non tantum ſuper poſſeſſorio, ſed etiam ſub poſſeſſorii confícto colore ſuper titulo audiunt: parteſque quaſcumque, etiam ſi epiſcopali ac cardinalatus præfulgeant dignitate, coram eis, contra omne ius, per fas & nefas litigare cogunt, & ne ad ſedem apoſtolicam recurſum habeant, prohibent; & contrafacientes grauiſſimis pœnis per ſubtractionem bonorum temporalium afficiunt. Beneficia vacantia, etiam ſi aliis canonice collata fuerint, per ſe vel eorum nepotes, propinquos & amicos, occupant & occupata detinent, ad manus regias capiunt, annotant, & quos volunt, in eis intrudunt: nec illis, quibus ius in eis vel ad ea competit, propter eorum auctoritatem & tyrannidem, ius ſuum proſequi licet. Quin etiam contra quaſcumque perſonas, quauis, etiam epiſcopali fulgentes dignitate, inquirunt, citant, coram ſe perſonaliter comparere compellunt, procedunt, mulctant & puniunt: computa & rationes quarumcumque perſonarum eccleſiaſticarum, etiam regularium, pro eorum dignitate per ſe, ſeu commiſſarios laicos, reddere, & reliqua præſtare coram eiſdem laicis cogunt, ordinationeſque faciunt & indicunt ſuper modo & forma pſallendi ſeu cantandi in choro, ſuper habitu & modo incedendi: quantitates & ſummas pecuniarum pro dictis commiſſionibus a dictis eccleſiaſticis exigunt, & ſub colore reparationis eccleſiarum, commiſſarios laicos mandant ad capiendos fructus beneficiorum, quos multipliciter diſtrahunt, dilaniant, & in proprios vſus conuertunt. Et quod nefariiſſimum eſt, in maius eccleſiaſtici ordinis dignitatiſque epiſcopalis dedecus & vilipendium, adſtante populi multitudine, per eorum procuratorem fiſcalem, etiam epiſcopos coram eis pro tribunali ſedentibus, nudato capite ſtantes, de variis criminibus accuſari, obnigrari, & opprobria prædicare non dubitant, ita quod omnem ordinariis locorum iuriſdictionem, auctoritatem & obedientiam ſubtraxerunt, & dictæ prouinciæ clerum in teterrimam ſeruitutem ſubegerunt, cum etiam laicis obedientiam eccle-

siasticis personis debitam, quauis dignitate ac honore Anno Christi 1513.
præditis, subtrahentibus assistant: quin potius eos in eorum nefando proposito confouent & protegunt, ipsisque ordinariis, ne in clericos vel laicos sua iurisdictione vtantur, sub amissione temporalitatis & aliis pœnis inhibent, ac damnatam pragmaticam sanctionem in eadem prouincia impudenter introducere & obseruari facere, aliaque nefandissima & detestanda, ab omni iure & ratione aliena facinora in dies peragere & perpetrare, ac eorum damnatas constitutiones, ordinationes, seu statuta & abusiones desuper edere & promulgare satagunt, in sedis apostolicæ notorium contemptum, in grauissimum totius cleri dictæ prouinciæ detrimentum, populorumque scandalum, & aliorum pernicioſissimum exemplum, sententias, censuras & pœnas, tam a iure communi, quam etiam a sacris constitutionibus per Eugenium quartum & alios Romanos pontifices sanctitatis vestræ prædecessores, etiam in die cœnæ Domini, quotannis publicatis, editis & promulgatis, damnabiliter incurrendo. Et quoniam, pater beatissime, præmissa sunt pernicioſissimi exempli, & adeo publica & notoria, vt nulla possint tergiuersatione celari, nec vllo quouis modo, præsertim hoc sacro Lateranensi imminenti Concilio, conniuentibus oculis sub silentio vlterius impunita dimitti & tolerari conueniant: igitur ego Marius de Perusciis vestræ sanctitatis & fisci sedis apostolicæ procurator, ad cuius officium etiam in præmissis animaduertere spectat in hoc sacro Lateranensi Concilio, ad pedes vestræ sanctitatis humilis & supplex flexis genibus hodie constitutus, cum debita reuerentia supplico sanctitati vestræ, vt illa hoc sacro Lateranensi approbante Concilio, in præmissis tam publicis & notoriis, & quæ vlteriori probatione non indigent, debitas & conuenientes prouisiones adhibere dignetur, ac contra prænominatos præsidentes & consiliarios, nec non dominos Honoratum Laugerii aduocatum, & N. procuratores fiscales dictæ curiæ parlamenti Prouinciæ, clericos & laicos, præsidentes, officiales & alios forsan in eorum locum in dicto parlamento deputatos & deputandos, eorumque complices, fautores & adhærentes, etiam maiores, expressos & in executione nominandos, vt om-

ANNO CHRISTI 1513. nes & quaſcumque prohibitiones, ordinationes, mandata, decreta, per eos hactenus quomodolibet contra libertatem eccleſiaſticam & canonicas ſanctiones & ipſorum pontificum conſtitutiones, reſque & perſonas eccleſiaſticas quouis modo concernentes & concernentia, factas & editas, penitus caſſent, irritent & annullent, irritaque & inania declarent, ordinarioſque, collegia eccleſiaſtica & monaſteria, ac eccleſiaſticas quaſcumque perſonas, ſua iuriſdictione, immunitate, libertate ac priuilegiis quibuſcumque vti & frui permittant, ac res quomodolibet directe vel indirecte non impediant; eccleſiaſque, monaſteria & perſonas eccleſiaſticas ad priſtinam poſſeſſionem priuilegiorum, iurium, iuriſdictionum & bonorum per eos, vel de eorum mandato ad alterius inſtantiam occupatorum & ablatorum, cum damnis expenſarum & intereſſe propriis expenſis ipſorum realiter reintegrent & reſtituant, & ab eiuſdem damnatæ pragmaticæ ſanctionis introductione & abuſu, præmiſſiſque omnibus & ſingulis, & aliis quibuſcumque etiam hic non expreſſis, criminibus, tranſgreſſionibus & exceſſibus, contra libertatem eccleſiaſticam, & in vilipendium ac contemptum ſedis apoſtolicæ tendentibus in futurum, in actis cauſæ, ſi opus fuerit, latius exprimendis, de cetero penitus ſe retrahere & abſtinere, ac de caſſatione, reuocatione & declaratione huiuſmodi per publica documenta ibidem voce præconia bannita & publicata coram veſtra ſanctitate in hoc ſacro Concilio legitime doceant. Et nihilo minus perſonaliter, & non per procuratorem, coram veſtra ſanctitate in hoc ſacro Lateranenſi Concilio, vel alio iudice per eumdem deputando, ad ſe de præmiſſis excuſandum, & iuri ſtando, ſub maioris excommunicationis, omnibuſque aliis & ſingulis cenſuris & pœnis a iure communi, & ſacris conſtitutionibus prædictis, editis & promulgatis, ac decem millium ducatorum auri pro quolibet, ac omni beneficiorum eccleſiaſticorum, dignitatum eccleſiaſticarum, etiam cathedralium, ac inhabilitate ad præmiſſa & alia obtinenda, & quoad laicos, ſub cenſuris & pœnis eccleſiaſticis & pecuniariis prædictis, ac perpetuæ infamiæ, priuationis feudorum, incapacitatis actuum legitimorum ac teſtamenti

factione, actiuæ & passiuæ inhabilitatis eorum, & cuiuslibet eorum filiorum vsque ad tertiam generationem, pœnis, monitorium contra eosdem & alios etiam in executione nominandos, sub certo termino per sanctitatem vestram statuendum, ac etiam per edictum publicum exequendum & publicandum, attento quod etiam notorie constat de non tuto accessu, decernere & concedere dignemini, & in euentum non paritionis, omnes & singulas sentẽtias & censuras & pœnas prædictas, eosdem & quemlibet eorum incidisse & incurrisse declarare, aggrauare, reaggrauare, ac interdictum ecclesiasticum, etiam in omnibus & singulis ciuitatibus, castris, oppidis & locis, in quibus & ad quæ ipsos vel eorum alterum declinare, stare vel morari contigerit, decernere & apponere, ac apponi mandare, vsque ad inuocationem brachii sæcularis inclusiue, procedere seu declarari, apponi ac procedi, mandare dignemini. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, prænarratorum, & aliorum latius in monitorio decernendo specificandorum qualitates & circumstantias omnino pro expressis habendo, die Lunæ decimanona Decembris, millesimo quingentesimo decimotertio. Et tunc sanctissimus dominus noster, eodem sacro Lateranensi Concilio approbante, monitorium pœnale, etiam ad personaliter comparendum, contra personas in eadem schedula annotatas & designatas, sub pœnis & censuris omnibus & singulis in eadem schedula expressis, ac sub termino trium mensium, & per edictum in Auenionensi, Nicensi & Vintimilensi ciuitatibus exequendum decreuit atque concessit, & tradi mandauit. Attento quod idem sanctissimus dominus noster papa, eodem sacro approbante Concilio, affirmauit sibi notorium constare de contentis & expositis in schedula prædicta. ANNO CHRISTI 1514

Postmodum vero exclusis de more de loco Concilii omnibus non habentibus voces definitiuas, remanentibus in suis subselliis prælatis post cardinales mitratis & sacris vestibus indutis, in præsentia sanctissimi domini nostri reuerendus pater dominus Ioannes archiepiscopus Gneznensis orator regis Poloniæ ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam super fide tenoris infra scripti.

ANNO CHRISTI 1513. *Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.*

Apostolici regiminis solicitudo nos assidue pulsat, vt medendis animarum languoribus, quarum nos ex alto omnipotens auctor curam habere voluit, iis potissimum qui instantius fideles nunc vrgere cernuntur, salutifero olei & vini medicamine ad instar Samaritani in euangelio solicitam operam impendamus, ne nobis illud Ieremiæ obiiciatur: *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi?* Ieremi. 8. Cum itaque diebus nostris (quod dolenter referimus) zizaniæ seminator, antiquus humani generis hostis, nonnullos pernicioſissimos errores a fidelibus semper explosos in agro Domini superseminare & augere sit ausus, de natura præsertim animæ rationalis, quod videlicet mortalis sit, aut vnica in cunctis hominibus; & nonnulli temere philosophantes, secundum saltem philosophiam verum id esse asseuerent: contra huiusmodi pestem opportuna remedia adhibere cupientes, hoc sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectiuam mortalem esse, aut vnicam in cunctis hominibus; & hæc in dubium vertentes: cum illa non solum vere per se & essentialiter humani corporis forma existat, sicut in Canone felicis recordationis Clementis papæ V. prædecessoris nostri in generali Viennensi Concilio edito continetur, verum & immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda sit. Quod manifeste constat ex euangelio, cum Dominus ait: *Animam autem occidere non possunt.* Matth. 10. Et alibi: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Ioan. 12. Et cum æterna præmia, & æterna supplicia pro merito vitæ iudicandis repromittit: alias incarnatio, & alia Christi mysteria nobis minime profuissent, nec resurrectio expectanda foret, ac sancti & iusti miserabiliores essent, iuxta Apostolum, cunctis hominibus. Cumque ve- 1. Cor. 15. rum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, & vt aliter dogmatizare non liceat, districtius inhibemus: omnesque huiusmodi erroris assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses seminantes, per omnia, vt

detestabiles & abominabiles hæreticos & infideles, catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus. Insuper omnibus & singulis philosophis in vniuersitatibus studiorum generalium, & alibi publice legentibus, districte præcipiendo mandamus, vt cum philosophorum principia aut conclusiones, in quibus a recta fide deuiare noscuntur, auditoribus suis legerint, seu explanauerint, quale hoc est de animæ mortalitate aut vnitate, & mundi æternitate, ac alia huiusmodi, teneantur eisdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, & persuadendo pro posse docere, ac omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existāt, pro viribus excludere atque resoluere. Et cum non sufficiat aliquando tribulorum radices præscindere, nisi &, ne iterum pullulent, funditus euellere, ac eorum semina originalesque causas, vnde facile oriuntur, remouere, cum præcipue humanæ philosophiæ studia diuturniora, quam
1. Cor. 1. Deus secundum verbum Apostoli euacuauit & stultam fecit, absque diuinæ sapientiæ condimento, & quæ sine reuelatæ veritatis lumine in errorem quandoque magis inducunt, quam in veritatis elucidationem: ad tollendam omnem in præmissis errandi occasionem, hac salutari constitutione ordinamus & statuimus, ne quisquam de cetero in sacris ordinibus constitutus, sæcularis vel regularis, aut alias ad illos a iure arctatus, in studiis generalibus, vel alibi publice audiendo, philosophiæ aut poesis studiis vltra quinquennium post grammaticam ac dialecticam, sine aliquo studio theologiæ aut iuris pontificii, incumbat. Verum dicto exacto quinquennio, si illis studiis insudare voluerit, liberum sit ei, dum tamen simul aut seorsum, aut theologiæ, aut sacris Canonibus operam nauauerit, vt in his sanctis & vtilibus professionibus sacerdotes Domini inueniant, vnde infectas philosophiæ & poesis radices purgare & sanare valeant. Et hos Canones per ordinarios locorū, vbi generalia studia vigent, & rectores vniuersitatis eorumdem studiorum singulis annis in principio studii, in virtute sanctæ obedientiæ publicari mandamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, reprobationis, definitionis, inhibitionis, decreti, ordinationis, statuti & mandati infringere, vel ei ausu temera-

Anno Christi 1513. rio contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata anno incarnationis dominicæ 1513. XIV. Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

Qua perlecta, petiit, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnes responderunt simpliciter placere, excepto reuerendo patre domino Nicolao episcopo Bergomensi, qui dixit, quod non placebat sibi, quod theologi imponerent philosophis disputantibus de veritate intellectus, tamquam de materia posita de mente Aristotelis, quam sibi imponit Auerrois, licet secundum veritatem talis opinio est falsa. Et reuerendus pater dominus Thomas generalis ordinis Prædicatorum dixit, quod non placet secunda pars bullæ, præcipiens philosophis, vt publice persuadendo doceant veritatem fidei.

Deinde reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius archiepiscopus Senensis ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam super pace tenoris infra scripti.

Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Ad omnipotentis & indiuiduæ Trinitatis laudem & gloriam illius, cuius vicem in terris gerimus, & qui pacem & concordiam nutrit in sublimibus, pacemque ipsam e mundo discedens iure quodam hereditario suis reliquit discipulis, sacrum Lateranense Concilium prosequentes, cum alias inter cetera in septima proxima præcedenti sessione, vt imminenti & notorio infidelium periculo, Christianique sanguinis effusioni, qui exigentibus nostris culpis etiam tunc effundebatur, occurreretur, dissensionesque inter Christianos reges & principes & gentes tollerentur, & inter ipsos totis viribus pacem quærere cogeremur, cuius componendæ vna ex principalioribus congregationibus Concilii præfati causa extiterat, vt pax ipsa sequeretur, inuiolataque perduraret, & debitæ executioni demandaretur, his præsertim temporibus, quibus potentiam in-

fidelium mirum in modum creuisse cognoscebatur, eodem sacro Concilio approbante, ad reges, principes potentatusque præfatos legatos & nuntios pacis, vigiles, doctrina, experientia ac probitate insignes, pro tractanda & componenda vniuersali pace mittere dispositimus & decreuimus, vtque arma deponant, Domino auxiliante, quantum in nobis esset, pro viribus laborare & operari, regumque, principum & potentatuum prædictorum oratores in ipso Concilio tunc præsentes, pro apostolicæ sedis reuerentia, fideliumque vnione requisiuimus, vt regibus, principibus & potentatibus suis ea significarent, eosque nostro nomine hortarentur ad ipsos legatos apostolicos benigne & honorifice tractandum & audiendum, votisque nostris tam iustis & piis per eos illis exponendis satisfaciendum. Quod eos facturos nobis persuadebamus, vt quanto citius fieri posset, per nos mittendi legationis munus eis impositum alacriter susciperent, susceptumque viriliter implere possent, ac patre luminum, a quo omne datum optimum est, fauente, pax ipsa tractari atque componi, eaque composita, sancta & necessaria contra infidelium rabiem Christiano sanguine satiari anhelantem expeditio fieri valeret, & pro totius Christianitatis securitate & quiete feliciter terminari. Nosque postmodum pro debito pastoralis officii pacem & vnitatem ipsam cum vniuerso populo Christiano, tum maxime eisdem regibus, principibus & potentatibus, ex intimo cordis affectu optantes, ex quorum dissensione diuturniora & grauiora in dies Christianæ reipublicæ damna prouenire posse formidabatur, ex eorum auctoritate, pace & vnitate eidem reipublicæ vtiliter & salubriter consultum iri sperabatur, nuntios nostros & literas ad præfatos reges, principes & potentatus inter se dissidentes, hortandos, requirendos, monendosque misimus, nihilque, quantum in nobis fuit, omisimus tractare ac operari omni nostro conatu, vt semotis quibusuis dissidiis atque discordiis, vnanimi tandem consensu, gratia & amore ad vniuersalem pacem, concordiam & vnionem redire vellent, ne vlterius per immanissimum Turcarum tyrannum ac infideles alios damna Christianis inferrentur, sed ad reprimendum gentium illarum immanem furorem elatosque conatus accingerentur. Quæ cum ita sint, nos cuncta ad opta-

Anno Christi 1513.

Anno Christi 1513. optatum finem perduci omni cogitatione, cura, ſtudio ac ſedulitate affectantes, & dante Domino confidentes, legatos de latere noſtro ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales in conſiſtorio noſtro ſecreto de fratrum noſtrorum conſilio per nos poſtmodum nominandos, cum auctoritate & facultatibus neceſſariis & opportunis, tamquã angelos pacis pro huiuſmodi Chriſtianorum pace vniuerſali tractanda, componenda & conducenda, expeditioneque contra infideles ineunda, eodem ſacro Concilio approbante, ad eoſdem reges, pro eorum regia magnanimitate, & erga catholicam fidem deuotione, prompto & alacri animo, ad vtrumque ſanctiſſimum opus pacis expeditioniſque inducendos, pro vniuerſæ reipublicæ Chriſtianæ integra atque perfecta tutela, defenſione & ſalute mittendos & deſtinandos eſſe decernimus. Præterea cum ex diuturna & multiplici hæreſi Bohemorum plurimum Deus offendatur, & Chriſtianus populus ſcandalizetur, quorum etiam ad veræ fidei lumen atque concordiam reducendorum prouincia dilecto filio noſtro Thomæ tituli ſancti Martini in montibus presbytero cardinali Strigonienſi ad Hungariam & Bohemiam noſtro & apoſtolicæ ſedis legato eſt a nobis his proximis diebus plene demandata, eoſdem tamen hortamur in Domino, vt vel ad nos & hoc ſacrum Lateranenſe Concilium, vel ad eumdem Thomam cardinalem legatum, qui propinquior illis erit, aliquot ex ſuis oratores cum ſufficienti mandato deſtinare non negligant, ad tractandum de opportuno remedio, quo errores, quibus diu detinentur, agnoſcant, & ad verum religionis cultum & ſanctæ matris eccleſiæ gremium Deo duce reducantur. Quibus, hoc ſacro approbante Concilio, veniendi, eundi, ſtandi, quouſque præmiſſa tractanda durauerint, & poſtmodum diſcedendi, & ad propria redeundi, in fide pontificia liberum ſaluumconductum & fidem publicam tenore præſentium concedimus & elargimur, eorumque votis, quantum cum Deo poterimus, annuemus. Vt autem hoc ſacrum Lateranenſe Concilium ad finem vberrimæ ſperatæque vtilitatis perducatur, (alia namque plura & grauia in eo tractanda diſcutiendaque remanent) ad omnipotentis Dei laudem & eccleſiæ ſuæ exaltationẽ, nonam ſeſſionem continuationis celebrationis ipſius ſacri Lateranenſis Concilii nono

Aprilis 1514. pontificatus noſtri anno primo, quæ erit quarta feria poſt Dominicam paſſionis, ſacro Concilio approbante, indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, conceſſionis, elargitionis & indictionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Anno Christi 1513.

Datum Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1513. quartodecimo Kalendas Ianuarii, pontificatus noſtri anno primo.

Qua perlecta, petiit a patribus, an placerent paternitatibus contenta in ſchedula. Et omnes vnanimiter reſponderunt, placere. Demum reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus epiſcopus Taurinenſis aſcendit ambonem, & legit quamdam ſchedulam ſuper reformatione tenoris infra ſcripti.

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio.

In apoſtolici culminis ſpecula diuinæ gratiæ munere collocati, nil magis eſſe noſtri officii duximus, quam ſedulo ac diligenter omnia circumſpicere, quæ ad catholici nobis commiſſi gregis cuſtodiam, incolumitatem, augmentum pertinere poſſent; & in hoc ipſum omnes induſtriæ neruos, omnes animi ingeniique vires contulimus. Cum igitur felicis recordationis Iulius papa II. prædeceſſor noſter, vt erat fidelium commodi ſolicitus, & tutelæ ſtudioſus, tum aliis multis de cauſis, tum quia frequens circa Romanæ curiæ officiales querimonia vrgebat, œcumenicum Lateranenſe Concilium indixiſſet, & deputatis variis venerabilium fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinaliũ, de quorum numero tunc eramus, & prælatorum inſuper congregationibus, qui de querelis ipſis accurate inquirerent, & ne curiales interim & alii ad curiam pro gratiis accedentes nimio expenſarum onere fatigarentur, ſimul vt infamia, qua dicti officiales flagrabant, mitigaretur celeri remedio, bullam reformationis edidiſſet, qua illi officiorum ſtatutis cuſtodiendis ſub graui pœna denuo aſtringeban-

ANNO CHRISTI 1515. tur, nec circa exceſſus ſpecialiter decernere, aut Concilium abſoluere, morte præuentus quiuiſſet: nos eius non minus curæ, quam officii ſucceſſores, initio ſtatim noſtri pontificatus & continuare Synodum, & pacem inter Chriſtianos principes procurare, nec minus, cum vniuerſalem reformationem perficere noſtræ mentis ſit, primum a prædeceſſore ipſo ſuper officiis prouiſa, nouis fulcire ſubſidiis, & auctis deputationibus exequi non deſtitimus. Enimuero nulla vehementior cura nos angit, quam vt tribuli & ſentes ex dominico agro eruantur, & ſi quid eſt, quod eius culturæ officiat, radicitus euellatur atque extirpetur. Sedula ergo a deputatis relatione habita, & quid a quibus exorbitaretur animaduerſo, vt quæque vel a decenti & laudabili more, vel a primæua inſtitutione deſciuerant, ad normam retraximus, & ea in vnam reformationis bullam, ſacro approbante Concilio, ſuper hoc editam, ex ordine congeſſimus, in eaque executores, qui ordinata ſeruari cogerent, deputauimus: quam ab officialibus ipſis & ceteris, vt quemque tanget, ſine fraude & inuiolabiliter obſeruari, hoc ſacro approbante Concilio, mandamus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, a qua, niſi per Romanum pontificem, excepto mortis articulo, abſolui non poſſint, ita vt vltra hanc & alias pœnas in bulla ipſa particulariter expreſſas, contrauenientes officio, in quo deliquerint, ad ſemeſtre tempus ſint eo ipſo ſuſpenſi. Et ſi ſecundo errauerint in eodem officio, quod quantum in ſe fuit coinquinarunt, perpetuo careant. Qui poſtquam conſtitutione noſtra ad frugem reducti erunt, inhibito atque ſublato communi damno, ad ceteras reformationis partes procedemus. Et ſi nobis omnipotens pro ſua miſericordia conceſſerit, vt pacem inter Chriſtianos principes componamus, non noxiis ſolum ſeminibus extirpandis, ſed & propagandis Chriſti finibus inſiſtemus, ac ſanctiſſimam contra infideles expeditionem, cuius deſiderium aſſidue noſtro cordi inhæret, Deo ipſo rei ſuæ fauente, eorumdem fulti præſidiis aggrediemur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ in publica seſſione in Lateranensi sacro- Anno Christi 1513.
sancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1513. quartodecimo Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

P. Bembus.
D. de Comitibus.

Qua perlecta, petiit, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et responderunt omnes, placere, exceptis reuerendo patre domino Ieremia archiepiscopo Tranensi, qui dixit, quod non placebat sibi modus schedulæ; & reuerendo patre domino Iacobo episcopo Potentino, qui dixit, quod placet bulla, sed vult quod videantur reformationes: & reuerendo patre domino Bernardo archiepiscopo Spalatensi, qui dixit, quod placet bulla mandati, non tamen reformationes, donec audiantur & publicentur: & reuerendis patribus dominis Alexio Melfitano & Paride Pisaurienſi episcopis, qui dixerunt placere eis, dummodo fiat reformatio generalis. Postremo vero dominus Marius de Peruschis procurator Concilii accusauit contumaciam non comparentium, & petiit super omnibus fieri instrumentum & instrumenta. Et fuit indicta nona seſſio pridie Idus Aprilis, quæ erit quarta feria post Dominicam in passione. & hæc fuerunt pro octaua seſſione.

Qua finita, & cantato hymno exultationis per capellam sanctissimi, incipiente, Te Deum, &c. quo finito, sanctissimus dominus noster cum vniuersis patribus & curia reuersus est ad palatium, & locus Concilii remansit vacuus.

Anno a natiuitate Domini nostri Iesu Christi milleſimo quingenteſimo decimoquarto, indictione secunda, die vero decimaquinta mensis Ianuarii, pontificatus sanctissimi domini nostri domini Leonis papæ decimi anno primo, de mandato præfati sanctissimi domini nostri fuerunt affixæ & publicatæ in acie campi Floræ, & basilicæ principis apostolorum de Vrbe, ac audientiæ publicæ, nec non sancti Ioannis Lateranensis & cancellariæ apostolicæ, diuersæ schedulæ tenoris infrascripti.

De mandato sanctissimi domini nostri papæ intimetur omnibus & singulis prælatis, magistris, doctoribus, & aliis religiosis viris volentibus dare notitiam rerum & materiarum proponendarum in sacro Lateranensi Concilio, quæ

ANNO CHRISTI 1513. expedire & conuenire eis videbuntur, vt accedant, recurrantque ad reuerendiſſimos dominos cardinales tres ex qualibet congregatione trium deputationum antiquiores, qui ad præſens in curia ſeu Vrbe ſe continent, & ſunt præſentes, & eis vel eorum alteri, iuxta ſchedularum alias impreſſarum de dictis deputationibus continentiam & tenorem, dictas materias aperiant, & illarum notulas ſeu informationes tradant ad eum finem & effectum, vt illis examinatis & diſcuſſis, illæ commemorationes, quæ laudabiles ac bonæ videbuntur, in congregationibus & ſeſſionibus futuris dicti ſacri Concilii proponi poſſint & approbari, ad Dei omnipotentis laudem & eccleſiæ ſuæ ſanctæ exaltationem.

Die decimaquinta menſis Ianuarii milleſimo quingenteſimo decimoquarto, ſupraſcriptæ literæ affixæ & publicatæ fuerunt in acie campi Floræ, ac baſilicæ principis apoſtolorum de Vrbe, & audientiæ publicæ, nec non ſancti Ioannis Lateranenſis & cancellariæ apoſtolicæ valuis ſiue portis, dimiſſis ibidem earumdem ſupraſcriptarum literarum copiis affixis per me Ioannem Antonium ſanctiſſimi domini noſtri papæ curſorem.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoquarto, indictione ſecunda, die vero quarta menſis Aprilis, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri Leonis papæ decimi anno ſecundo, fuit publicata in locis publicis ſchedula prorogationis nonæ ſeſſionis vſque ad diem quintam menſis Maii proxime futuri, cuius tenor talis eſt.

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis & ſingulis præſentem ſchedulam inſpecturis.

Licet alias in octaua proxime præcedenti ſeſſione, vt ſacrum Lateranenſe Concilium, in quo plura & grauia ad omnipotentis Dei laudem & Romanæ eccleſiæ exaltationem tractanda diſcutiendaque ſupererant, ad finem vberrimæ ſperatæque vtilitatis commodius perducatur, nonam ſeſſionem continuationis celebrationis ipſius ſacri Lateranenſis Concilii, eodem approbante Concilio, ad Nonas præſentis menſis Aprilis indixerimus, tamen cum dies nonæ ſeſſionis huiuſmodi inſtare noſcatur, & ea quæ in eadem ſeſſione expedienda & ſancienda ſunt per

venerabiles fratres noſtros ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, in pluribus congregationibus coram nobis habitis, diligenter & mature, vt par eſt, diſcuſſa fuerint hactenus, vt deſiderabamus, & aliis prælatis qui in dicto Concilio votum dare debent, communicari & examinari, ac perfici & abſolui nequiuerint, volentes nos ea qua decet dignitate ac maturitate in eodem Concilio expediri, nonam ſeſſionem prædictam ad tertium Nonas Maii proxime futuri, quæ erit dies quinta dicti menſis Maii, milleſimo quingenteſimo decimoquarto, pontificatus noſtri anno ſecundo, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio prorogamus, ipſamque nonam ſeſſionem dicta quinta die tenendam ac celebrandam eſſe omnibus intimamus, præſentemque noſtram ſchedulam in valuis baſilicæ principis apoſtolorum de Vrbe, ac ſacroſanctæ Lateranenſis eccleſiæ, affigi & publicari mandamus. Anno Christi 1513.

Placet, & ita mandamus.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoquarto, indictione ſecunda, die vero quarta menſis Aprilis, pontificatus ſanctiſſimi domini noſtri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno ſecundo, ſupraſcriptæ literæ fuerunt affixæ & publicatæ in valuis baſilicæ principis apoſtolorum de Vrbe, ac in valuis ſiue portis baſilicæ ſancti Ioannis Lateranenſis, per me Franciſcum Vaca ſanctiſſimi domini noſtri papæ curſorem.

Ita eſt, Eurardus Duuiuier curſorum magiſter.

Deinde die vigeſimanona ſupraſcripti menſis Aprilis in locis publicis affixæ & publicatæ fuerunt diuerſæ ſchedulæ tenoris infra ſcripti.

De mandato ſpeciali ſanctiſſimi domini noſtri Leonis decimi pontificis maximi, intimatur & mandatur omnibus & ſingulis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus & generalibus, in generali Concilio vocem definitiuam habentibus, in Vrbe præſentibus, quatenus omni exceptione & excuſatione remotis, hodie quæ erit vigeſimanona Aprilis, hora decimanona debeant omnes perſonaliter comparere in palatio apoſtolico, in capella maiori, vbi tenebitur generalis congregatio omnium prælatorum pro rebus ſacrum Lateranenſe Concilium concernentibus,

ANNO CHRISTI 1513. coram sua sanctitate, vna cum reuerendissimis dominis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, sub pœna excommunicationis, quam contrafacientes incurrant, si non paruerint.

A. car. S. Vit.

Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimoquarto, indictione secunda, die vero vigesimanona suprascripti mensis Aprilis, pontificatus præfati sanctissimi domini nostri, domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno secundo, præsentes literæ fuerunt affixæ in basilica principis apostolorum de Vrbe, & cancellariæ apostolicæ, ac officii literarum contradictarum valuis seu portis, & in acie campi Floræ. Et in quolibet loco solito affixæ, dimissæ fuerunt per me Eurardum Duiuier sanctissimi domini nostri papæ ac Romanæ curiæ cursorem.

Ita est, Io. Diouerit cursor.

Deinde eadem die hora Vesperarum fuit congregatio in loco superius nominato. Et fuerunt in dicta congregatione sanctissimus dominus noster & reuerendissimi domini cardinales præsentes in Vrbe, excepto reuerendissimo patre domino Bernardo episcopo Sabinensi, cardinale sanctæ Crucis, qui non potuit interesse propter corporis alterationem: ac etiam fuerunt præsentes patriarchæ, archiepiscopi & episcopi numero septuaginta & nouem, & duo abbates & generales ordinum, habita prius oratione. Et per præfatum reuerendum patrem dominum Thomam Phædram de mandato suæ sanctitatis, alta & intelligibili voce propositum fuit, an placeret paternitatibus suis, quod schedula quæ fuerat eis lecta in alia congregatione particulari, deletis & cancellatis his quæ concernunt prælatos, proponeretur & publicaretur in proxima nona sessione. Super huiusmodi propositione fuerunt vota particularia, quæ sequuntur. Primo reuerendus pater dominus Bernardus episcopus Taruisinus gubernator Vrbis dixit, quod placebant sibi proposita per dominum Thomam Phædram: & idem dixit reuerendus pater dominus Cæsar patriarcha Alexandrinus. Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius archiepiscopus Senensis dixit, quod daretur copia & tempus deliberandi.

Et ad idem fuerunt omnes ſtantes in eodem ſedili. Reuerendus pater dominus Alexius epiſcopus Melfitanus dixit placere, prout Phædra dixit, dummodo de cetero detur copia. Et reuerendus dominus Gisbertus epiſcopus Rapollanus dixit, quod differantur quæ concernunt prælatos, & detur tempus deliberandi. Reuerendus dominus Franciſcus Nannetenſis dixit, quod detur copia & tempus, & interim ſua ſanctitas videat petitiones prælatorū. Reuerendus dominus Ludouicus Tricaricenſis dixit, quod detur copia & tempus ſaltem deputatum. Reuerendus dominus Thomas Comaclenſis dixit, quod differantur ea quæ concernunt prælatos, & detur copia & tempus. Ad idem fuit reuerendus dominus Hieronymus Aſculanus. Reuerendus dominus Pompeius Reatinus dixit, quod deleātur quæ concernunt prælatos; & circa alia contenta in bulla reſeruabat votum ad aliud tempus, quando erit melius informatus. Reuerendus dominus Nicolaus Bergomenſis dixit, quod ea quæ concernunt prælatos, pertractentur per electos, & expediantur ſimul cum aliis contentis in bulla. Ad idem fuit reuerendus dominus Paris Piſaurienſis. Reuerendus dominus Ioannes Aquilanus dixit, quod placebat, prout dixit Phædra. Reuerendus dominus Maximus Iſernienſis dixit quod placebat, prout dixit Phædra. In reliquis detur copia & tempus. Reuerendus dominus Ioannes Antonius Anglonenſis dixit, quod placebat, quod ſuſpenderentur quæ ſpectant ad epiſcopos, donec cum aliis petitiones eorum diſcutiantur & determinentur in ſecunda ſeſſione a proxima. Reuerendo domino Ioanni Antonio Callinenſi placent contenta in ſchedula, dummodo concernentia epiſcopos examinentur, & deinceps detur copia & tempus, vt melius conſulatur & reſpondeatur. Similiter reuerēdo domino Petro Foroliuienſi, demptis omnibus contentis in bulla, quatenus concernunt epiſcopos & eccleſias, cetera placent. Et ſupplicat ſanctiſſimo domino noſtro, vt habeat prælatos recommendatos. Reuerendus dominus Lactantius Suanenſis dixit, ſe non audiuiſſe, nec legiſſe bullam. Ideo non reſpondit ad idem. Reuerēdo domino Ioanni Triburienſi, & reuerendo domino Ioanni Bouinenſi placuit ſimpliciter, prout in bulla. Et ad idem fuerunt duo ſedentes prope eos. Reuerendus dominus Domini-

ANNO CHRISTI 1513. minicus Lucerinus dixit, se obtemperaturum in omnibus sanctissimo domino nostro : tamen libenter vellet legere bullam, & prudenter deliberare. Reuerendo domino Ioanni Sibinicensi placet, quod in omnibus contentis in schedula, & quoad omnes cuiuscumque ordinis seruetur dispositio iuris communis. Reuerendo domino Angelo Britonoriensi placet, quod placuit domino nostro. Supplicat tamen, quod sua sibi tam illicite & atrociter ablata restitui faciat. Ceteri vero dixerunt, quod daretur eis copia & tempus deliberandi. Et tandem dominus noster respondit, quod daretur eis copia & tempus deliberandi.

Et sic die sequenti de mane in eodem loco conuenerunt prælati, & supradictus dominus Thomas Phædra legit eisdem schedulam, & volentibus habere dedit copiam. Et tandem dicti prælati elegerunt infra scriptos prælatos, qui vna cum reuerendissimis dominis cardinalibus deputandi per sanctissimum dominum nostrum deliberarent super schedula proponenda in nona sessione. Prælati electi fuerunt infra scripti, videlicet, reuerendi patres & domini, Senensis, Spalatensis & Rheginus archiepiscopi, & reuerendi patres & domini Melfitanus, Reatinus, Fauentinus, Lucerinus & Foroliuiensis episcopi.

Deinde dicti prælati die sequenti in aula superiori ipsius palatii conuenerunt cum reuerendissimis dominis cardinalibus, & ibidem consultarunt & deliberarunt super proponendis in nona sessione, prout in ea inseruntur : & remanserunt concordes.

Humilis seruulus Ioannes Baptista Gargha Senensis, eques Hierosolymitanus, illustrissimo Rhodiorum principi Fabricio Carreto, sacræ Hierosolymitanæ religionis magno magistro, salutem plurimam dicit.

Religionis nostræ Hierosolymitanæ studio atque obseruantia impulsus, princeps illustrissime, non potui iussis tuis, dum admiratus in Vrbe ageres, promptissimus non obtemperare. Nobilis item vir Philippus Prouanus, vices nunc in Vrbe gerens, adhortatus vehementer est, ad idque ab ipso omne auxilium ac fauor mihi præstitus est, vt onus orandi pro religionis nostræ decore, Lateranensis

Synodi seſſione octaua, adspirante Leone decimo pontifice maximo, subirem. Quod etsi arduum ac meis humeris impar esset, qua tamen potui sedulitate ac cura absolui. In quo orandi munere, vt in omnibus nostræ religionis negotiis, reuerendissimus cardinalis Iulius Medices, nostri ordinis ingens præsidium, mihi opem & fauorem impendit, tamquam is, qui de religione nostra semper esse optime meritus censeretur, existimaui hos nostros qualescumque labores tibi esse destinandos, vt de his te omnibus, quæ pro religione nostra in ipsa Synodo, in qua Christianæ reipublicæ decus ac splendor maxime effulsit, recensuerim, facerem certiorem. At hoc vnum ingenue fateor, si quando illius loci amplitudinem dignitatemque animo voluerem, atque onus iniunctum nobis considerarem, totus equidem algebam, & cor atque animus quodam metu perculsus me ab incepto plurimum deterrebant. Ac perquam libenter hanc orandi arduam atque difficilem prouinciam detrectassem, nisi fuisset mihi & religioni & celsitudini tuæ morem gerendi incredibilis cupido. Id etiam præstiti, ne inter commilitones viderer prorsus inutilis, qui licet corpore aliquando seruire nequiuerim, at ingenii atque animi opibus, ac quantulocumque valui ingenio, religioni nostræ non defui. Gaudeoque mirum in modum, si quid eiusdem causa facio, nihilque animo gratius quam de religione aliquid mereri. Tuæ etiam præstantiæ esse significandum putaui, quemadmodum ab ipso summo pontifice cœptum est agi de vnione ecclesiæ, eiusque reformatione, ac de pace inter Christianos principes facienda, & de expeditione aduersus Turcas suscipienda: & ad hæc omnia ab eodem Leone vehementer incumbitur. Quamobrem sperandum ab his plurimum est, qui duro subsunt Turcarum imperio, atque ab illis pariter qui Turcis finitimi eorum semper arma formidant, Leone pontifice maximo annitente, imminutum iri Turcarum imperium, atque ab eorum immanitate ac barbarie ereptum iri saltem populos, quos septuaginta ab hinc annis suo adiecerunt imperio. Quod si in oratione mea vim, vbertatem atque elegantiam desideres, ingenii mei tenuitati precor adscribas. Non equidem spe quæstus aut gloriæ ad id muneris obeundum

ANNO CHRISTI 1513

Anno Christi 1513. commotus fui, sed vt re, qua aliquid valerem, me nostræ religioni non incommodum ac prorsus inutilem exhiberem, cuius ab ineunte ætate obseruantissimus semper fui. Tuæ quoque præstantiæ ante istam ad principatum euectionem deditissimus fui, semperque magnopere colui ac sum veneratus, quasi animus præsagiret, te quandoque hunc tam altum, tamque tuis meritis dignum honorem esse assecuturum. Quanto fuerim de hac tua electione gaudio affectus, nullis possim consequi verbis. Et quo id præ me declararem aliqua in re, libentissime mihi tuo nomine iiunctam suscepi apud Leonem decimum orandi prouinciam: quamque apud illum habui orationem, alteri in Lateranensi Concilio habitæ subnectendam curaui, ac simul imprimendam, tuæque celsitudini esse transmittendam aut destinandam censui: quamquam nos minime præterit, hanc talem non esse, qualem tuæ singulares diuinæque virtutes merebantur. Priuilegia autem nostra, indulta constitutionesque ab aliis pontificibus concessa, benignissimus Leo decimus pontifex maximus humanissime confirmauit, atque magnopere auxit, perpetuoque robore muniuit. Superest, princeps illustrissime, vt seruuli tui Ioannis Baptistæ sinceræ mentis atque animi obsequium, absolutumque tanto ingenii discrimine susceptum onus solita benignitate suscipias; & qui tuæ exaltationi gloriosissimæ, a qua semper beneficiis sum innumeris affectus, deditissimus semper extiti, quasi nunc aucto seruitutis vinculo, sub tuo vt præsidio sim peto, ac vehementissime precor, tuæque illustrissimæ dominationi me totum trado atque addico. Vale.

Romæ Kalendis Aprilis 1513.

Oratio Ioannis Baptistæ Garghæ Senensis, equitis Hierosolymitani, habita apud Leonem decimum pontificem maximum ac Lateranense Concilium in sessione octaua, decimoquarto Kalendas Ianuarias, millesimo quingentesimo decimotertio.

Veni sancte Spiritus, omnium tuo amore corda fidelium comple, & in me tuæ virtutis ignem accende, vt tam arduum hodie inceptum te aspirante exequi valeam.

Cum, pater beatissime, vosque Christianæ religionis fulgentissima sidera, onus orandi in hoc tam augusto con-

sessu mihi minus experto fuisset iniunctum, diu mente reuolui, quam meis id impar viribus foret. Nam tum ingenii imbecillitas, tenuisque dicendi copia mihi silentium indicere videbantur, tum coram tanto pontifice ac sacrosancta Synodo Lateranensi verba facturus, verebar, ne in dicendo obmutescerem. Et id acrius me vexabat, quia idem grauissimis ac maximis oratoribus & philosophis aliquando euenisse compertum habeo. Quod ego animo complectens, huius ornatissimi & sacerrimi loci amplitudinem maiestatemque merito expauescebam. Sed cum plane, pater sanctissime, tuæ serenitas frontis, atque animi benignitas, singularisque tantorum patrum humanitas me ita recrearet atque reficeret, vt obire munus mihi delegatum non dubitarem, ad quod huius etiam præcipui temporis obseruantia me hortabatur: quare audentiori animo hoc tam eminens suggestum, vnde totus fere terrarum orbis conspicitur, ascendi. Confisus igitur omnipotentis Dei & intemeratæ Virginis, diuique Ioannis Baptistæ nostri fautoris auxilio, tuaque, pater beatissime, me hortante innata clementia, cum de Christi militia, tum de sancta Synodo breuibus perstringam. De Christi militia in primis dicere, nostrum est institutum, cui ille operam dat, qui magnæ & supernæ militiæ cælestis est cupidus & Christo semper hærere desiderat, quique illius diuinæ vocis non otiosus auditor est: *Si quis meus*, inquit, *minister est, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Christus autem in cælis est: illuc igitur nos cursum dirigere decet. Nemo terrenæ consuetudinis, caducæque dilectionis reminiscatur. nam qui huic Christi militiæ accingitur, non sibi domum construere, non possessiones comparare debet. Escas enim regias habet, & imperatoris annona fruitur. Mansio autem in castris est: vbi si mors Christo bellante contingat, glorioſa est. Vincentes enim dona regalia & honores quam maximos adipiscuntur. Et licet vita in præliis laboriosa sit, in pace tamen splendida & honorata transigitur. Christi autem militum arma, non lorica, non clypeus, non gladius, sed pietas, religio, probitas, innocentia & castitas sunt. Non cedat armatæ mentis constantia terroribus inimicorum. nam nisi quis strenue pugnauerit, non coronabitur. Nihil autem est nequius, nihil crudelius nostro

Anno Christi 1515.

Ioan. 12.

2. Tim. 2.

Anno Christi 1513. hoſte, qui in cælo bellum, in terris fraudem & odium inter primos fratres excitauit. Et is in omni noſtro opere ſua tendit retia. Et ne multis vos remorer, omnia mundi mala ſua ſunt prauitate commiſſa. Et cum mens humana variis huius mundi illecebris deuicta ſit, & laborem fugiat, voluptatem vero ſequatur, prauiſque reſiſtere deſideriis ægre ferat, nos ſic Apoſtolus hortatur: *Induite vos armaturam fidei, vt aduerſus diaboli inſidias ſtare poſſitis.* Victorem Chriſtum regem ſequamur, qui nos vult victoriæ ſuæ habere participes. Crux illius noſtra eſt victoria, cuius patibulum noſter eſt triumphus. Terra non nobis patria eſt, ſed cælum nos ciues & incolas expectat. Vbi hæc vtinam verba Domini audiamus: *Euge*, inquit, *ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Euge, inquam, miles ſtrenue, imitator Domini tui & regis æterni comes, dignis & optatis remuneraberis præmiis. O ſalutifera & præ omnibus expetenda Chriſti militia, in qua certa & precioſiſſima ſunt trophæa, quibus tot martyres ac beati patres cæleſti imperio gloriantur, ac perpetua pace quieſcũt. Licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet ſparſo crine & ſciſſis veſtibus vbera mater oſtendat, quibus te nutriuit; licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem; crudelitas iſta pietas eſt; & ſiccis oculis ad crucis vexillum euola. Gladium tenet hoſtis, vt nos perimat. Nec de matris lacrymis eſt cogitandum, nec propter patrem Chriſti militia eſt deſerenda, cui etiam Saluatoris cauſa vitam debemus. Huic Chriſti militiæ, Leo X. pontifex maxime, a ſummo Deo inuictus vexillifer præfectus fuiſti, tibique ille ligandi & ſoluendi poteſtatem dedit. Tu in ſpecula Domini peruigil fortiter adſtans, cuncta in rectum tramitem rediges. Tibi ergo omnium eccleſiarum præſides & totius orbis Chriſtiani principes parere affectant. O quam diuina & ſalutifera fuit hæc tua ad ſummi pontificatus apicem aſſumptio, a quo pro pacando ſtatu Chriſtiani populi, qui tot ſceleribus, rapinis & ſeditionibus permiſcebatur, ad ſalutiferam huius cœptæ ſanctæ Synodi curam deuentum eſt: cui rei quantum nobiliſſimæ tuæ familiæ Medices nomen conſonum ſit, clare conſtat. Tu namque optimus paſtor, tu ſalutifer medicus infirmitati Chriſtianæ religionis cælitus datus es. Tua enim cura, tua tutela, ſo-

Epheſ. 6.

Matth. 25.

Matth. 16.

lertia, probitate atque virtute grex Domini egebat, vt ab imminenti capitali exitio liberaretur, vt priſtinæ ſanitati abs te vero eruditiſſimoque medico reſtitueretur. Ad quam rem ſola Synodus hæc erit veluti quoddam Mithridaticum antidotum. In Synodis quoniam ſolita plerumque eſt mater eccleſia ſalubria remedia prouidere, ſi quando nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, implacabilis animus & feritas rebellandi ſuo in populo oriebatur. Nunc impius lucri furor, ac effrenis cupido, iraque præceps atque immanis libido, quæ ſuccenſas agit mentes, honeſtatis fines effregerant, & omnis denique ſcelerum labes in mundum irrepſerat. Mores vero & inſtituta maiorum, pro lege tenenda, ſpreta iacebant: præuaricatores diuinarum legum, & eccleſiaſticarum conſuetudinum contemptores impune ceruicibus elatis incedebant. Abuſus vero & deprauata voluntas, vbi ſemel cœperant, in dies duriores efficiebantur: & animus ſceleribus adſtrictus non facile ab eis diuelli poterat. Quæ omnia ab hac ſanctiſſima Synodo ſincero examine pendentur. O ſaluberrimam medicinam omnibus conſulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperuacanea reſecantem, omniaque deprauata corrigentem! Hanc reges principeſque meditabantur, hanc populi omnes efflagitabant, hanc ſenes, iuuenes, cunctique Chriſtiani cupere videbantur, quibus tacitum Deus deſiderium huiuſmodi inſpirabat. Et his omnibus tu ſolus, pater beatiſſime, ſatisfacies, qui hunc tantorum patrum in tui tam fauſto pontificatus initio cœtum hanc in ædem Lateranenſem coegiſti, vbi illa duo Petri & Pauli precioſiſſima capita repoſita venerantur, quæ hic totius Chriſtianæ reipublicæ imperium, tribunal & decus poſuerunt. Et cum ab omnibus Synodis Lateranẽſibus ſemper ingens ipſi eccleſiæ adiumentum & vtilitas præſtita ſit, hæc mirum in modum recte proſpiciet, a qua omnis ſua ſalus atque quies pendet: quæ quantum Synodali auxilio egeret, nullus eſt qui neſciat. Qua de re, pater ſanctiſſime, inter ea quæ abs te præclariſſime geſta gerendaque ſunt, hanc ſanctam Synodum, rem adeo arduam & his temporibus opportunam, proſequi perſancte decreuiſti. Ab hac enim religioſi vrbanique mores inſtaurati erunt, & flagitia quæ diuinum examen notauerit,

Anno Christi 1512.

Anno Christi 1513. coercebuntur, in qua sola animorum sinceritas & religionis amor cuncta pensabit. Quibus sic gestis, cælestes iræ futura temporum felicitate expiatæ videbuntur. Aurea nempe te ætas regnante incipiet, & iustitia de cælo lapsa in terras redibit. Tu literarum virtutumque omnium exoptatum præsidium diuinitus datus es, a quo cuique sua præmia tribuentur. Nunc siderum cælestis omnium harmonia tibi Christi vicario applaudit, & cunctorum hominum pectora incredibili de tua summa felicitate gaudio perfunduntur, & sub te pastore optimo omnis exultat populus, a quo pacem, concordiam & tranquillitatem expectat, quas omnis iam homo optat, cupit, amat & vult. Et cum pacis amica ipsa sit iustitia, & se inuicem oscu- *Psalm. 84.*
lentur, ea etiam summa in te conspicitur. Tu igitur pacis donator & iustitiæ defensor diceris, a quibus immortalitate donaberis. Quid est enim quod principem melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, & tota respublica morum honestate insignita? O pacis dulce nomen, a qua tranquilla libertas, mentis serenitas, simplicitas cordis, vinculum amoris, & consortium caritatis gignitur. Hæc simultates tollit, bella compescit, iras comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos pacat, cunctisque est placida. Quamobrem antistes maxime, vosque Christianæ religionis firmissimæ columnæ, & militiæ Christi summi duces, qui in tanta horum temporum expectatione in sacerrimũ hoc templum conueniſtis, & fluctuanti summis Petri nauiculæ procellis opem tulistis, maxima & perenni laude estis digni, & cæleste stipendium vobis dabit Deus, si hoc tam salutiferum sanctumque Concilium sanctæ matri ecclesiæ profuturum, cui libertatis decorem restituet, & suo populo mores viuendi religiosius præcipiet, toto pectore amplectemini, & faciles cœpto operi fauebitis, in quo vestra erga ipsam ecclesiam bonorum pietas filiorum, & Christianæ reipublicæ ciuium verus amor conspicietur. Ecce enim nunc tempus, quo corporis otium, mentis ignauia expellenda est. Ecce tempus, quo in armorum cælestium terrestriumque meditatione, cordis sinceritas, animi magnitudo, vires que corporis pro republica Christiana exercendæ sunt. Verum cum hæc militia nostra diui Ioannis Baptistæ assiduis Tur-

carum incursibus semper fuerit obuia,& de ipsis quamplu- Anno Christi 1514
rimas iam victorias meritosque triumphos obtinuerit,tum
a summis pontificibus, tum a sanctis Conciliis, maxime a
cunctis Lateranensibus, miris fauoribus & priuilegiis affi-
ci, & variis stipendiis commilitonibus nostris concessis,
multisque beneficiis donari meruit,quæ recensendo,nimis
prolixa foret oratio. Itaque, pater beatissime, & tu tanto-
rum patrum splendidissime cœtus, qui in hoc templum
conuocatus fuisti,cui diuus ille Ioannes Baptista nostri Sal-
uatoris præcursor præsidet, qui summus patriæ tuæ Floren-
tiæ, vrbisque Rhodi, & Hierosolymitani ordinis patronus
existit, cuiusque olim nomine vocari non parum lætabaris,
quemque ante alios omnes colere consueuisti,toto tibi pe-
ctore & imis sensibus hanc suam Rhodiensem religionem,
& præstantissimum Rhodiorum principem, qui Christia-
næ fidei defensor est acerrimus, cum toto populo, & hos
sedulo tibi astantes nostros commilitones commendamus,
vt non solum noster ordo in suis priuilegiis & constitutio-
nibus ab hac sancta Synodo confirmetur, sed etiam augea-
tur. Scis enim, pater beatissime,& tu Lateranensis Synode,
Rhodon insulam ab omnibus laudatam, atq; opportunissi-
mam semper ad res gerendas esse iudicatam. Nam Rhodos
nostra adiacet Asiæ, qua maxime Asia in mare nostrum ex-
currit: hinc in Syriam & in Ægyptum commodissima est
nauigatio, hinc in mare Asiaticum, Hellespontum, Pro-
pontida ac Pontum commodissime soluitur,& rebus naua-
libus atque classicis ea ciuitas semper polluit. Quamobrem
Rhodiorum amicitiam semper Romani magnifecerunt,
eorumque ad multa bella vsi sunt opera. Quare arcis ac rei
Christianæ propugnaculi curã tibi, pontifex maxime, non
in postremis esse habendam arbitror, ac danda est opera,
vt quemadmodum eam soli fuisse vrbem consecratam tra-
dunt, ac nullo die, quamuis nubilo ac pluuio, solem in ea
non illuxisse:danda est,inquam,opera, vt ea insula vero so-
li, hoc est,Christo semper sit sacra, ac semper verum solem
colat, in eaque semper illucescat. Tu nos igitur fauore &
clementia protegas,quo alacrius ea pro republica Christia-
na contra infideles egredi valeat,qui rabido & truci animo
semper contra Rhodiense præsidium inhiant, & vsque sub
diui Ioannis Baptistæ auxilio copiæ Hierosolymitanæ mili-
tiæ,

ANNO CHRISTI 1513. tiæ, eorumque crudelibus ausis fortiter resistunt, & feroces animos innumeris præliis compescunt. Nam nec principes nostri, nec commilitones certa vitæ discrimina subire vnquam recusant, nec recusarunt, ne illa Christianæ reipublicæ firma Rhodiorum propugnacula in Turcarum ditionem redigerentur. Arx enim illa est expultrix sæuissimorum hostium, qui semper vestras vrbes & imperia inuadere, & religionem nostram funditus euertere studeant. Et vt iam per literas præteritis mensibus, pater sanctissime, tibi illinc a nostris significatum fuit, Sultan Selim sectæ Mahumetanæ immitem tyrannum classem ingentem parauisse, & innumeras copias contra Christi fideles & Rhodi insulæ milites & incolas contraxisse, & tantam tormentorum vim, quantam nullus vnquam, ad id bellum instituisse exploratum habuimus, qui illinc postmodum semotis castris alio contra orthodoxæ fidei cultores impetum fecerunt, vbi multas clades & vrbium euersiones inferre conati sunt. Et nuperrime cum quieturum esse illum speraremus, per alteras a nostris sanctitati tuæ significatum est, in eosdem belli apparatus ingenti studio, summaque celeritate incumbere. Et cum nihil maiori odio prosequantur quam Rhodum, ei multo magis in posterum timendum est, cui nunquam minari desistunt. Necesse igitur est, vt principibus Christianis accersitis, & tuis in sancta dispersis ouibus septa collectis, quo vnum sit ouile, sicut vnus est pastor, cui pacifice & quiete præcipias, vt abs te magnanimo duce & vexillifero, tua animi sinceritate, mirabili sapientia, cælestique virtute aduersus hanc infidelium potentiam bellum suscipiatur. Expergiscimini ergo, expergiscimini tandem Christiani principes, & labanti ecclesiæ auxilium afferte, & sub Leone felicissimo pastore, inuictoque duce, de bello Turcis inferendo in medium consulite, nec vlterius patiamini nostri redemptoris sepulcrum, & Constantinopolim nouam Romam sub Turcarum imperio detineri, & tantam pestem atque perniciem aduersus Christianos populos diutius sæuire. Sed religionem vestram propius respiciatis, quam colere & augere vestri imperii & regni interest. Cuius rei fidissimum vobis Romanorum exemplum propono, quorum reipublicæ splendor semper emicuit; dum religionem præ *Ioan.* 10.

cunctis rebus obseruarunt. His enim non solum seruandæ, sed etiam amplificandæ religionis studium fuit: quam si quis contempsisset, non immeritas diuinæ vltioni pœnas dabat. Ne miremini igitur, si tot infortunia Christianis rebus acciderunt. Rara enim inter principes Christianos concordia hactenus fuit. Qui cum debuissent vnanimes salutiferæ contra infideles expeditioni consulere & opem ferre, bella eis gerere magis placuit, quæ nullos honestos meritosque triumphos habitura essent; & religionem conseruare atque defendere contempserunt. Deponite nunc, deponite Christiani principes hanc tarditatem atque segnitiem, & ad vindicandam Christianam rempublicam ab atrocissimorũ hostium seruitute accurratis, & insulæ Rhodo opem afferte, quæ (quod Deus auertat) si expugnaretur, væ, væ Christianis vrbibus & imperiis. Præstate igitur auxilium. Nam quid magis vos decet, quam non solum pecunias atque vires omnes pro Christi nomine & gloria exponere, sed etiam vosmet deuouere, vt vita fui æterna valeatis? Hac enim conditione gignimur, vt generati nos Deo iusta & debita obsequia præbeamus. Viriliter ergo agite, probati principes, currite fortiter cursum hunc felicissimum, & certate bonum certamen, vt æterna præmia consequamini. At P. C. cui Christianæ religionis habenæ traditæ sunt, hæc te cura, hoc te desiderium tangat: hæc te victoria, hic te triumphus expectat maximus, qui nullo sæculo aboleri poterit. Magni enim & ingenii diuini est, magna aggredi, atque ea moliri, quæ non minus meriti quam gloriæ sint paritura. Iacet desolata Asia, iacet Africa, iacet Ægyptus, ac bona Europæ pars deserta, abiecta, sine lege, sine moribus, sine vllo Christianæ religionis consortio. Vbi tot ciuitates, tot populi, tot imperatores, reges, principes cultu veræ fidei & armorum vsu præstantissimi, vbi tot celeberrima Christi & sanctorum templa in crudelissimam iam Turcarum & barbarorum ditionem deuenerunt, a quibus acceptas clades, euersiones contumeliasque non est huius temporis recensere, cum iam omnibus notæ sint atque testatæ, & cum tot iam annos nihil aliud audiamus quam excidia alia super alia Christianorũ. Quid quod Tyrrhenum mare toties infestarunt, & (quod pudet referre) ad litora vsque Romani agri prædatum venerunt? Sed hæc loca tam

ANNO CHRISTI 1513. efferata, barbara, sine fide, sine Deo, tam diu in potestate infidelium esse, ac non tam regi, quam deuastari passi sunt principes Christiani, dum quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi: dum quisque luxui, simultatibus, otio indulget; dum Romanum pontificem toties acclamantem, rabidos lupos gregem Domini inuasisse, non audiunt. Atqui non tanta esset rerum iactura fragilium, nisi cum his innumeræ quoque animæ fidelium deperirent, quæ partim metu, partim labefactata religione, quasi plantæ incultæ sensim in dies a fide deficiunt. Huc, pontifex maxime Leo, animum te decet aduertere, aduersus horum rabiem, composita inter Christianos pace, consurgere, exercitum in ea loca traiicere, illatas ab hostibus iniurias vlcisci, ad tantum decus, tantam gloriam ante alios euolare. Crux Christi in aciem pro vexillo prodibit, dux agminis sui præcedet omnipotens: insultabitur vndique eorum capitibus, tamquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ. Persequeris & comprehendes illos, & non conuerteris, donec deficiant. Sed sine te, Deus, miseri quid sumus? aut quo recidunt conatus nostri? Cogitat iam bonus pastor vicarius tuus, cogitat, inquam, in veram sanctamque sponsæ tuæ vnionem, eiusque reformationem incumbere, & populi tui in angulum redactas seruare reliquias, amissa recuperare, fines ecclesiæ propagare. At scriptum est, quod reprobes cogitationes populorum, & reprobes consilia principum. Parentes ergo ad vnum putemus fideles principes, ituros in hostes tuos Christianos omnes: paratam putemus esse classem, instructam aciem: nisi tu Deus exercituum adiuues, nostris his cogitationibus, his consiliis præsens assistas, adspires, faueas: nisi denique custodieris ciuitatem, frustra vigilant qui custodiunt eam. Tibi ergo regi regum & Domino dominantium preces soli fundendæ sunt. Ne memineris iniquitatum nostrarum. Exurge, & dissipentur inimici tui: vindica sanguinem iustorum tuorum, qui effusus est. Erue de manu canum vnicam sponsam tuam, labanti tuæ religioni porrigito dexteram. Leoni pontifici maximo, quem ad pascendas oues tuas vnum præ omnibus elegisti, mitte auxilium de sancto tuo, vt pacatis Christianorum animis, in hoc tam sanctum, tam necessariũ, tamque ecclesiæ tuæ vtile & expediens opus toto, vt aiunt, pectore incumbere, illud

feliciter absoluere te duce valeat, qui viuis & regnas in sæcula. Dixi. ANNO CHRISTI 1514.

SESSIO IX.

ANNO a natiuitate Domini 1514. indictione secunda, die vero Veneris quinta mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ X. anno secundo, fuit celebrata nona sessio generalis Concilii in ecclesia Lateranensi in loco solito mane hora Tertiarum. In qua fuit præsens præfatus sanctissimus dominus noster dominus Leo papa X. indutus vestibus pontificalibus, sedens in thalamo consueto. Fuerunt præsentes infra scripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates & magistri generales ordinum, & oratores principum, & quamplures illustrissimi, domini, & alii doctores & nobiles in copiosa multitudine.

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.
Reuerendissimus dominus Bernardinus Sabinensis.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.
Reuerendissimus dominus Iacobus Albanensis.
Reuerendissimus dominus Franciscus Tiburtinensis.
Reuerendissimus dominus Marcus Prænestinus.

Presbyteri cardinales.

Reuerendissimus dominus Franciscus tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Surrentinus.
Reuerendissimus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ, de Fliſco.
Reuerendissimus dominus Hadrianus tituli sancti Chrysogoni.
Reuerendissimus dominus Leonardus tituli sanctæ Susannæ, Agennensis.
Reuerendissimus dominus Christophorus sanctæ Praxedis.
Reuerendissimus dominus Antonius tituli S. Vitalis, Sipontinus.
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii, Anconitanus.
Reuerendissimus dominus Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.
Reuerendissimus dominus Laurentius tituli sanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi cardinales.

Reuerendissimus dominus Fridericus de sancto Seuerino, sancti Angeli.
Reuerendissimus dominus Hippolytus sanctæ Luciæ in Silice.
Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii, Farnesius.
Reuerendissimus dominus Ludouicus sanctæ Mariæ in Cosmedin, de Aragonia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Anno Christi 1514. Reuerendiſſimus dominus Marcus ſanctæ Mariæ in Via lata, de Corneliis.
Reuerendiſſimus dominus Alphonſus ſancti Theodori.
Reuerendiſſimus dominus Matthæus ſancti Angeli Gurcenſis.
*al. in Domnica Reuerendiſſimus dominus Iulius ſanctæ Mariæ * de nauicula.
Reuerendiſſimus dominus Bernardus ſanctæ Mariæ in porticu.
Reuerendiſſimus dominus Innocentius ſanctorum Coſmæ & Damiani.

Patriarchæ & aſsiſtentes papæ, & oratores.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Alphonſus Antiochenus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Robertus Rhegienſis.
Reuerendus pater dominus Angelus Turritanus.
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Pompeius Reatinus.
Reuerendus pater dominus Iulianus Vulterranus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Caullicenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Miletenſis.
Reuerendus pater dominus Alexander Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Bernardus epiſcopus Taruiſinus & gubernator Vrbis.
Reuerendus pater dominus Petrus Tergeſtinus, ſereniſſimi Maximiliani electi imperatoris orator.
Reuerendus pater dominus Claudius Maſſilienſis epiſcopus, Chriſtianiſſimi Francorum regis orator.
Reuerendus pater dominus Silueſter Vuigornienſis epiſcopus, orator illuſtriſſimi Henrici regis Angliæ.
Reuerendus pater dominus Ioannes Gneznenſis archiepiſcopus, orator illuſtriſſimi Sigiſmundi Poloniæ regis.
Reuerendus pater dominus Bertrandus Adrienſis epiſcopus, illuſtriſſimi domini ducis Ferrariæ orator.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Stephanus Patracenſis.
Reuerendus pater dominus Iulius Corinthienſis.
Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Antibarenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Iadrenſis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Orlandus Auinionenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Monembaſienſis.

ANNO CHRISTI 1514.

Reuerendus pater dominus Gisbertus Surrentinus.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Gabriel Barensis.
Reuerendus pater dominus Fabricius Hydruntinus.

Episcopi.

Reuerendus pater dominus Iannotius Troianus.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Paphensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Franciscus Vicentinus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbiensis.
Reuerendus pater dominus Thomas Comaclensis.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Sibinicensis.
Reuerendus pater dominus Paris Pisaurienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Bouinensis.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Iosue Esculanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonensis.
Reuerendus pater dominus Vasinius Placensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Bisignianensis.
Reuerendus pater dominus Ferdinandus Balneoregiensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Marianensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.
Reuerendus pater dominus Alexander Vrbeuetanus.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Bergomensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Elnensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Foroliuiensis.
Reuerendus pater dominus Lambertus Venusinus.
Reuerendus pater dominus Paulus Forosempronienſis.
Reuerendus pater dominus Christophorus Polinianensis.
Reuerendus pater dominus Aloysius Arbensis.
Reuerendus pater dominus Cæsar Insulensis.
Reuerendus pater dominus Gisbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Anglonensis.
Reuerendus pater dominus Augustinus Perusinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Phanensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aceranensis.
Reuerendus pater dominus Sixtus Salutiarum.
Reuerendus pater dominus Andreas Ansarensis.
Reuerendus pater dominus Augustinus Triburienſis.
Reuerendus pater dominus Tryphon Catarensis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Signinus.
Reuerendus pater dominus Lactantius Suanensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1514. Reuerendus pater dominus Marcus Senogallienſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Caiacenſis.
Reuerendus pater dominus Marcus Vrgentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Arianenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Ilcinenſis.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Licienſis.
Reuerendus pater dominus Hugo Rhegienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Antonius Calenenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Aquinatenſis.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.
Reuerendus pater dominus Petrus Narnienſis.
Reuerendus pater dominus Dionyſius Tolonenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinenſis.
Reuerendus pater dominus Baptiſta Pennenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Tricaricenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Vrbinatenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Nicienſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aſculanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Nannetenſis.
Reuerendus pater dominus Angelus Britonorienſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Literenſis.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Sagonenſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Trabatenſis.
Reuerendus pater dominus Richardus Venafranus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinus.
Reuerendus pater dominus Nicolaus Curciolenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Paulus Æſinus.
Reuerendus pater dominus Maximus Iſernienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Marſicanus.
Reuerendus pater dominus Theſeus Recanatenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Milopotamienſis.
Reuerendus pater dominus Latinus Veſtanus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Spigacenſis.
Reuerendus pater dominus Chriſtophorus Cæſenatenſis.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriaticenſis.
Reuerendus pater dominus Matthias Famaguſtenſis.

Abbates.

Reuerendus pater dominus Ioannes ſancti Sebaſtiani extra muros Vrbis.
Reuerendus pater dominus Nicolaus ſancti Gregorii de Vrbe.

Generales ordinum.

Reuerendus pater dominus Petrus Camaldulenſis.
Reuerendus pater dominus Thomas Prædicatorum.

Reuerendus pater dominus Bernardinus, Minorum. ANNO CHRISTI 1514.
Reuerendus pater dominus Ægidius, eremitarum ſancti Auguſtini.

Oratores, ſenator, illuſtres domini temporales.

Illuſtris dominus Sfortia dux Barenſis, & ſereniſſimi Maximiliani electi imperatoris in Italia locumtenens generalis.
Illuſtris dominus Albertus Pius de Carpi, orator imperatoris.
Magnificus dominus Iacobus ſenator Vrbis.
Magnificus dominus Ludouicus Solier orator Chriſtianiſſimi regis Franciæ.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis Hiſpaniæ.
Magnificus dominus Triſtandus de Acugna, &
Magnificus dominus Didacus Pacheco, &
Magnificus dominus Ioannes de Farra, illuſtriſſimi regis Portugalliæ oratores.
Magnificus dominus Ioannes Baduer orator illuſtriſſimi dominii Venetorum.
Magnificus dominus Totus Lupus de Lapide eques, & Benſo de Aluenſchn, & Ioannes Benceluil, oratores illuſtriſſimi domini Ioachim marchionis Brandeburgenſis electoris imperii.
Magnificus Petrus Landus illuſtriſſimi dominii Venetorum.
Orator Florentinorum.
Reuerendus pater dominus Alexander archidiaconus Mantuanus, illuſtriſſimi domini marchionis Mantuani orator.
Magnificus dominus Franciſcus de Guidono, orator magiſtri Rhodi.
Orator patriarchæ Hieroſolymitani.
Illuſtris dominus Ludouicus comes de Petiliano.
Dominus Antonius de Stunega prior Caſtellæ, ordinis ſancti Ioannis Hieroſolymitani.

Conſeruatores Vrbis.

Magnificus dominus Euangeliſta Magdalenæ.
Magnificus dominus Marius de Creſcentiis.
Et alii quamplures domini eccleſiaſtici & ſæculares, auditores rotæ, & clerici cameræ, ac in diuerſis facultatibus doctores.

Fuit celebrata Miſſa de Spiritu ſancto ſubmiſſa voce per reuerendum patrem dominum Gabrielem archiepiſcopum Dyrrachienſem. Et habita oratione per reuerendum patrem dominum Antonium Puccium clericum cameræ apoſtolicæ, quæ ponetur in fine ſeſſionis iuxta ſtylum aliarum: cantatiſque litaniis ac orationibus conſuetis, & benedicta Synodo per ſanctiſſimum dominum noſtrum,

ANNO CHRISTI 1514. ſtrum, & cantato euangelio ſecundũ Ioannem per reuerendiſſimum in Chriſto patrem dominum Ludouicum ſanctæ Mariæ in Coſmedin cardinalem Aragoniæ, quod incipit, *Si diligitis me*, &c. ſanctiſſimus dominus noſter incepit hymnum, Veni creator Spiritus, &c. Quo finito, & oratione cantata per præfatum ſanctiſſimum dominum noſtrum, ſupradicti oratores illuſtriſſimi regis Portugalliæ acceſſerunt ad pedes ſanctitatis ſuæ, & præſentauerunt mandatum præfati illuſtriſſimi regis ad intereſſendum ſacro Concilio. Et idem ſanctiſſimus dominus noſter tradidit illud reuerendo domino Thomæ Phædræ ſecretario Concilii. Qui aſcendit ambonem, & legit illud alta & intelligibili voce: cuius tenor talis eſt.

MANDATVM REGIS PORTVGALLIÆ.

Emmanuel Dei gratia rex Portugalliæ & Algarbiorum citra, vltraque mare in Africa, dominus Guncæ ac Conquiſtæ, nauigationis ac commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Perſiæ atque Indiæ, vniuerſis & ſingulis harum ſeriem inſpecturis.

Notum facimus, quod confidentes nos plurimum de fide & induſtria nobilis & inſignis viri Triſtanni de Cugna conſiliarii noſtri fideliſſimi, & dilectorum atque egregiorum iuris doctorum Didaci Pacheci, & Ioannis de Farra, noſtræ curiæ auditorum, quos ad ſanctam ſedem apoſtolicam, ac ſanctiſſimum dominum noſtrum, dominum Leonem decimum diuina prouidentia ſanctæ Romanæ & vniuerſalis eccleſiæ pontificem maximum cum obedientia oratores deſtinauimus: ipſoſque etiam oratores ac procuratores ad hoc ſacrum Lateranenſe Concilium, quod ſua ſanctitas continuare & proſequi deliberat, deſignamus, deputamus, conſtituimus, dantes illis plenum mandatum & omnimodam poteſtatem pro nobis & regnis dominiiſque noſtris in ipſo ſacro Lateranenſi Concilio dicendi, proponendi, agendi, tractandi omnia & ſingula, quæ ad celebrandum & concludendum ipſum Concilium, tam quoad ſanctiſſimam & omnibus Chriſtianis optabilem contra Chriſti hoſtes expeditionem, quam quoad cetera ad ſanctæ Romanæ eccleſiæ eiuſque membrorum vnionem, & Chriſtianæ religionis fideique catholicæ augmentum & commodum ſpectantia, neceſ-

saria, seu opportuna fuerint, etiam si talia forent, quæ mandatum exigerent specialius: ac denique omnia circa hoc faciendi, quæ vobis viderint expedire, & nosipsi præsentes faceremus: promittentes nos gratum, ratum, firmum & validum habituros, quidquid in prædictis & quolibet eorum per dictos nostros oratores actum, factum & gestum fuerit. In quorum fidem & testimonium præsentes scribi, & sigillo nostro communiri fecimus, manuque nostra subscripsimus. ANNO CHRISTI 1514.

Datum in vrbe nostra Vlixbonæ duodecimo Kalendas Nouembris, anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo.

Deinde dominus Marius de Peruschis, fisci & sacri Concilii procurator, exposuit præfato sanctissimo domino nostro, quod licet alias fuerit decretum monitorium contra prælatos Gallicæ nationis, & alios vtentes quadam pragmatica sanctione, & fuerit citatio decreta contra eosdem, vt venirent ad allegandum causam, quare dicta pragmatica reuocari non debet; & fuerit huiusmodi monitorium seu citatio legitime executa & reproducta, & sua sanctitas prorogauerit eisdem terminum vsque ad præsentem sessionem: tamen ipsi minime comparere curarunt nec curant, tam ad defendendum dictam pragmaticam, quam ad interessendum sacro Concilio. Quare contumaciam eorum accusauit & accusat, petens procedi contra eos ad declarationem, & decerni processus per affixionem citationum ad valuas ecclesiæ Lateranensis. Ex aduerso vero reuerendus pater dominus Claudius episcopus Massilienſis, orator Christianissimi Francorum regis, allegauit, excusando dictos prælatos, dicens eos venisse vsque ad montes, seu Delphinatum; & quia non potuerunt obtinere saluumconductum a detentoribus ducatus Mediolanensis & dominii Ianuensis, ideo non venerunt. Et pro verificatione dictorum produxit vnum instrumentum & certas literas missiuas tenoris infra scripti, videlicet instrumentum.

Anno Christi 1514

EXCVSATIO PRÆLATORVM Gallicorum.

Vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis, Guillelmus Costæ presbyter in decretis baccalaureus, prior, seu commendatarius prioratus sancti Stephani de Valleloysia Ebredunensis diœcesis, & canonicus ecclesiæ collegiatæ sancti Saluatoris Montispessulani diœcesis Magalonensis, vicarius in spiritualibus & temporalibus generalis, reuerendi patres domini Ludouicus de Mazis sanctæ sedis apostolicæ protonotarius, ac præpositi, commendatarii præpositatus, seu cœnobii Vlciensis ordinis sancti Augustini Taurinensis diœcesis, salutem in Domino sempiternam.

Notum facimus, quod in nostra, notariorumque ac spectabilium & scientificorum doctorum & testium infra scriptorum præsentia existentes & personaliter constituti coram nobis sedentibus pro tribunali in cœnobio dicti præpositatus, reuerendi in Christo patres ac domini, domini episcopi, Ioannes Lexouiensis, Antonius Engolismensis, Franciscus Ambianensis, Ioannes Cabilonensis, Symphorianus Laudunensis: magistri in theologia, Ioannes Lelamiensis, Antonius Lescurre: archidiaconi, Ioannes de Fraxino Tolosanensis, Guillelmus de Nossai Lexouiensis, iurium doctores, legati, oratores & procuratores ad sanctissimum in Christo patrem & dominum nostrum dominum Leonem papam decimum & modernum, per nonnullos reuerendos patres, qui in congregatione Pisana interfuerunt, suo & aliorum nomine procuratores decreti & destinati exposuerunt, quod sunt supra sexaginta dies effluxi, quibus huic loco applicuerunt, & plusquam quatuor menses huic legationi vacarunt. Verumtamen cum primum huic loco applicuerunt, fuere a mazerio præfati sanctissimi domini nostri papæ certiores effecti, quod Maximilianus Sfortia ducatus Mediolanensis detentor, eidem mazerio breue apostolicum sibi offerenti, commeatum & saluumconductum præfatis oratoribus recusare non erubuit. Quod intelligentes præfati oratores, visi sunt viam Genuensium tentare: quibus significatum est, illam propter diuisiones, factiones & bella ipsorum Genuensium, ac incursiones vicinorum

& confœderatorum præfati Maximiliani, minime tutam esse, nec posse illac proficiſci sine suarum discrimine & periculo personarum, tam ex causis præmissis, quam ex insidiis ab hostibus Christianissimi regis eisdem paratis. Quare præfati oratores de præmissis omnibus eiusdem sanctissimi domini nostri papæ nuntio super hoc specialiter destinato certificauerunt, & responsum a sua sanctitate acceperunt per suum Breue, datum Romæ die decimaseptima Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo decimoquarto: quo continebatur, quod sanctitas sua de saluoconductu Maximiliani & Octauiani nobilium Mediolani & Genuæ detentorum, eis prouideri faceret, prout ex literis reuerendi patris domini Claudii episcopi Massilienſis, Christianissimi Ludouici Francorum regis oratoris, latius certiores redderentur. Insequendo igitur prædictum mandatum apostolicum, supra viginti dies hic expectauerunt, nullo saluoconductu a dicto Maximiliano recepto, nullaque dictum saluumconductum recipiendi spe data. Quapropter præfati oratores, ne mora possit eis quomodolibet imputari, sed vt de eorum obedientia, deque ipsius Maximiliani contumacia, inobedientia & reluctatione, ipsi sanctissimo domino appareat, curarunt suam præfatam sanctitatem de omnibus præmissis iterum certiorare, & vt apertius liqueat non tantum de eorum debita diligentia, sed etiam de bona, quam erga præfatum sanctissimum dominum nostrum & sedem apostolicam gerunt, voluntate, & talem hactenus fuisse, vt ab illius vnitate nunquam voluerint, minusque in futurum velint vllo pacto discedere, sed illius mandatis perpetuo obtemperare, neque schismaticos vnquam fuisse, sed vnam ecclesiam catholicam sub vno pontifice maximo coluisse, & obseruasse quidquid ab inimicis veritatis & Christianissimi regis & regni ex aduerso dictum fuerit. Ipsi, inquam, oratores non valentes habere optatam præsentiam prædicti sanctissimi domini nostri (quod dolentes ægre tulerunt) & hoc propter viarum discrimina, & inimicorum Christianissimi regis & regni ex aduerso insidias eis paratas, prout ipsis apertius constitit, tam nomine suo, quam procuratorio reuerendorum patrum dominorum Gaspardi de Turone Valentinensis & Diensis, Claudii de Longo vico Matis-

Anno Christi 1514.

Anno Christi 1514. conensis,& Guiscardi Hieropolitanensis titularii,& Lugdunensis suffraganei, episcoporum,ac domini Ioannis Arzeleri iurium doctoris,Lugduni existentium. Qui quidem prædicti patres interfuerunt prædictæ congregationi Pisanæ, prout dixerunt & exposuerunt tam nomine suo,quam aliorum reuerendorum patrum archiepiscoporum, episcoporum, & omnium & singulorum cuiuscumque status, gradus & dignitatis existentium, ecclesiastici vel temporalis, qui in congregatione Pisana interfuerunt,eis adhærentium & adhærere volentium sub illa meliori forma qua potuerunt & debuerunt, obtemperando mandatis apostolicis & exhortationibus regiis, suos fecerunt & constituerunt procuratores legitimos & oratores prædictos reuerendos patres dominos ad sanctissimum dominum nostrum papam specialiter & expresse, ad renuntiandum congregationi Pisanæ iam dissolutæ, & adhærendum Concilio Lateranensi, nec non ad petendum absolutionem, quatenus opus esset, a præfato sanctissimo domino nostro, prout latius continetur in dicto procuratorio instrumento, cuius tenor ob sui prolixitatem, & breuitatis causa, hic non fuit insertus: quod tamen vidimus & tenuimus. Et publice coram nobis & prædictis notariis & testibus infra scriptis renuntiauerunt & renuntiant dictæ congregationi, 1514. vndecima mensis Ianuarii, indictione secunda, & domini nostri Leonis papæ decimi anno primo, receptum per magistros Ioannem de Aluerina Lemouicensis, & Petrum Quesuel Lexouiensis diœcesis, notarios apostolicos. Præfati igitur reuerendi patres & spectabiles doctores, legati & oratores coram nobis pro tribunali sedentibus, & notariis testibusque infra scriptis renuntiarunt & renuntiant dictæ congregationi Pisanæ iam dudum dissolutæ, & adhærent adhærereque volunt in futurum Concilio Lateranensi, vt optata reformatio ecclesiæ & pax vniuersæ Christianæ religionis, nec non prouisio necessaria contra immanissimum Turcam & hostes fidei subsequantur. Et si forsan occasione dictæ congregationis Pisanæ & gestorum in ea, aliquas censuras iuris aut hominis,aut alias quascumque pœnas de iure aut de facto incurrerint, præstito prius debito iuramento de parendo mandatis ecclesiæ & præfati sanctissimi domini nostri Leonis papæ decimi cum illa

humilitate qua possunt & debent, vsque ad prostratio- Anno Christi 1514.
nem & pedum oscula, absolutionem qua indigent sibi dari, & quamcumque aliam iuris pœnam seu maculam aboleri petierunt & postulauerunt, prout per tenorem præsentium petunt & postulant, ac si coram sanctitate sua præsentes & personaliter interessent, supplicando sanctitati suæ cum illa deuotione qua valent, vt ipsis præfatis oratoribus & aliis, quorum legatione funguntur, & qui in dicta congregatione interfuerunt, consilium, auxilium, opem, fauorem, aut obedientiam præstiterunt, absolutionem pro sua solita clementia concedere dignetur: offerentes se supplices preces Deo effundere, vt regimini sanctissimæ matris ecclesiæ sua sanctitas feliciter & longæue præesse valeat. De quibus omnibus & singulis cum quanta maxima instantia potuerunt & valuerunt, rogarunt, vt pro iustificatione eorum præfatæ voluntatis & excusationis, quæuis acta prædicta, inquantum de iure possumus, vellemus recipere, pro & nomine eiusdem sanctissimi domini nostri & sanctæ sedis apostolicæ; & de receptis eis actum publicum concedere: quod quidem actum, prout de iure potuimus & debuimus, recepimus, & per notarios publicos in formam publicam redigi fecimus, & eis tradi concessimus & præcepimus.

Datum in dicto cœnobio Vlcienſi, sub sigillo nostri vicariatus, die decimaseptima mensis Martii, anno a natiuitate Domini 1514. indictione secunda, pontificatus prælibati sanctissimi domini nostri Leonis papæ decimi anno primo, præsentibus ad hæc spectabilibus viris dominis ac magistris, Aluano de Vareniis, Stephano Viuet, iurium doctoribus, Albanensis ac Tutelensis diœcesis, ac Deo deuotis religiosis Orencio de Bardonethia infirmario, & Marcellino Casserii Cocreario, canonicis dicti cœnobii, testibus vocatis & rogatis.

Et ego Petrus Quesuel presbyter in artibus magister, Lexouiensis diœcesis, publicus apostolica auctoritate notarius, quia prædictæ expositioni, renuntiationi, adhæsioni, iuramenti præstationi, & absolutionis petitioni, ceterisque præmissis omnibus & singulis, dum sic, vt supra, scriberentur, agerentur, dicerentur & fierent, vna cum Ioanne Iusteri notario publico collega meo, ac prænominatis

Anno Christi 1514 testibus præsens interfui, eaque sic fieri & dici audiui: ideo hoc præsens publicum instrumentum manu mea scriptum, vna cum sigilli vicariatus dicti domini vicarii appensione subsignaui, in fidem & testimonium præmissorum requisitus & rogatus. Et approbo in rasura ipsa, si qua indigeat sibi dari, & quamcumque iuris pœnam seu maculam aboleri.

P. Quesuel.

Et ego Ioannes Iusteri in Delphinatu Taurinensis diœcesis publicus auctoritatibus apostolica, imperiali & Delphinali notarius, quia prædictis expositioni, renuntiationi, adhæsioni, iuramenti præstationi, & absolutionis petitioni, ceterisque omnibus & singulis, dum sic, vt supra, scriberentur, agerentur, dicerentur & fierent, vna cum dicto magistro Petro Quesuel notario publico collega meo, ac prænominatis testibus; eaque sic fieri vidi & audiui: ideo hoc præsens publicum instrumentum manu dicti domini Petri Quesuel scriptum, fideliter facta debita collatione cum proprio originali, vna cum sigilli vicariatus dicti domini vicarii appensione subsignaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum veritatis requisitus & vocatus, approbo in rasura qua indigeat sibi dari, & quamcumque aliam iuris pœnam seu maculam aboleri instare.

Tenor vero literarum consilii Sabaudiæ, directarum ad prælatos Gallicanos, est talis; & primo suprascriptio talis est: Reuerendis patribus & dominis præstantissimis, dominis oratoribus regiæ maiestatis ad Vrbem, dominis honorandis. & intus tenor est talis:

Reuerendi patres & domini honorandi, ex literis quas scribit nobis magnificus dominus Astensis gubernator, videbunt dominationes vestræ quantum exhortetur aliqualem retardationem vlterioris transitus vestri, donec responsum, quod pro voto facere speratur, breuiter consequatur, prout latius in eisdem literis, quas, ne prolixiores simus, eisdem dominationibus vestris mandamus his introclusas, quæ pro earum solitis prudentiis non nisi recte prouidebunt & agent, prout melius consulto eis videbitur. Nos autem si quid pro eis valeamus, ad id paratissimos offerimus animo quam libenti. Ex Taurino die 26. Februarii.

Consilium ducis Sabaudiæ citra montes Taurini re- ANNO CHRISTI 1514.
sidens.

Tenor vero literarum prælatorum Gallicæ nationis, directarum sanctissimo domino nostro, talis est. & primo in suprascriptione: *Sanctissimo domino nostro Leoni papæ decimo pontifici maximo.* Intus vero.

Sanctissime pater, cum omni humilitate, reuerentia & honore, vsque ad pedum oscula procidentes, beatitudinis vestræ perpetuum incrementum a Deo suppliciter petimus.

Sanctissime pater, ex breui apostolico, quod ad nos mittere sanctitati vestræ placuit, intelleximus datam esse operam ab eadem sanctitate vestra cum Maximiliano & Octauiano Mediolanensis & Genuensis ducatus detentoribus, vt nobis saluumconductum darent. Vnde gratias agimus qua valemus humilitate eidem sanctitati vestræ, quæ pro innata clementia nos non nisi tuto & secure ad se proficiscí iubet. At vero ex quo breue apostolicum accepimus, interea dum saluumconductum præstolamur, dies viginti effluxere: cumque iam ante quadraginta lapsi essent, dum hic agimus, factum est vt sexaginta dierum numerum egerimus, quatuor mensium interuallo per agros ac diuersoria deducti. Beatissime pater, cum Maximilianus sanctitatis vestræ masserio saluum abnuere conductum non veritus sit, cumque etiam diuturna nos tenuerit expectatione suspensos, quo in nos animo sit, quam suspecta nobis esse debeat profectio nostra, facile cognoscimus. Oramus itaque, & totis animis obsecramus, vt Maximiliani contumacia, qui spretis semel & iterum mandatis vestris durum sese ac renitentem præbuit, moram nostram excuset, & promptam quæ in nobis est voluntatem parendi nequaquam obscuret: quam vt vestræ sanctitati certius testatam relinquamus, actum iudiciale mittimus, coram ordinario iudice speciali huius loci legitime vt voluimus confectum, quale potuissemus agere, iuxta procuratoris nostri facultatem in vestræ sanctitatis præsentia Pisanæ congregationi iam dissolutæ nomine & nostro, & quorum causa procedimus, renuntiando, & adhærendo sacro Lateranensi Concilio, apostolicam denique vtcumque indigemus humiliter ac deuote petendo absolutionem.

San-

Anno Christi 1514. Sanctissime pater, solitam illam animi vestri mansuetudinem obnixe imploramus, misereatur tantorum laborum atque impensarum, dignetur expletos sexaginta dies & amplius in deserto hoc & vasta solitudine pœnitentiæ nostræ loco suscipere, velitque sacri huius temporis & imminentis festi Paschæ rationem habere, quo diuinis, vt officii nostri est, vacare commode valeamus, ne commissis nobis gregibus diutina absentia nostra salutis dispendium ferat. Beatissime pater, paratos omni tempore ad obsequia vestræ sanctitatis animos offerimus, diuinam maiestatem oraturi, vt felicem donet vestræ sanctitati cursum hic agere, & in cælis vna cum omnibus quos dedit vobis Pater, perennem gloriam adipisci. Ex Vlciis prope Secusiam, die decimanona Maii. Eiusdem sanctitatis vestræ humillimæ creaturæ & deuoti oratores episcopi.

I. Cabilonensis.
E. Lexouiensis.
F. Ambianensis.
A. Engolismensis.
S. Laudunensis.

Ex aduerso contra dicta & allegata per præfatum reuerendum patrem dominum Claudium episcopum, magnificus dominus Hieronymus Moron orator illustrissimi Maximiliani Sfortiæ ducis Mediolani dixit, quod præfatus illustrissimus dominus dux non negauerat prælatis Gallicæ nationis saluumconductum, sed distulerat eis dare, causa deliberandi & consulendi. Et auditis hinc inde propositis, tandem sanctissimus dominus noster absoluit cum reincidentia prælatos præfatos a censuris, si quas incurrerant; & prorogauit eisdem terminum vsque ad proximam sessionem, & interim suspendit censuras, & voluit eos interim non incurrere, sed elapso termino, in pristinas censuras reincidere, & non ante. Postmodum vero exclusis aliis non habentibus vocem definitiuam in Concilio, a loco Concilii, exceptis oratoribus & baronibus supra descriptis, prælatisque omnibus existentibus in vestibus & paramentis sacris in suis subselliis mitratis ex ordine post reuerendissimos dominos cardinales in præsentia sanctissimi domini nostri papæ; præfatus reuerendus pater dominus Claudius episcopus Massilienſis

ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam tenoris Anno Christi infra scripti. 1514

Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Posteaquam ad vniuersalis ecclesiæ curam & regimen, licet tanto oneri impares, diuina dispensatione vocati fuimus, ex summo statim apostolatus apice, tamquam ex vertice montis Sion, ea prospicere ac animo voluere cœpimus, quæ ad salutem, tranquillitatem ac propagationem ipsius ecclesiæ pertinere in primis videbantur. Cumque in hanc rem omnem nostram curam, cogitationem ac studium more solertis vigilisque pastoris conuerteremus, nihil grauius aut Christianæ reipublicæ perniciosius, & pio nostro desiderio magis aduersum bellorum effera rabie comperimus, quæ vsque adeo armis grassata est, vt vastata pene mutuis cladibus Italia, deformatisque ac partim euersis, æquatis partim solo ciuitatibus & terris, concussis prouinciis & regnis, in Christianum sanguinem furere ac debacchari non desinant. Nihil itaque prius, nihil studiosius, aut magis ex animo curandum duximus, quam ea bella sedare, ecclesiasticamque disciplinam pro viribus ac temporum ratione componere, vt placato per vitæ emendationem Deo, dominicum gregem nostræ fidei commissum, compositis dissidiis, in vnum cogere & aggregare, vnanimemque ac pacis & concordiæ vinculo tamquam firmissimo glutino vnitum, aduersus communes hostes fidei Christianis ceruicibus imminentes facilius adhortari ac concitare possimus. Cuius quidem expeditionis in impios & crucis Christi implacabiles inimicos, hoc vehemens nostrum desiderium ita cordi nostro infixum est, vt sacrum Lateranense Concilium a felicis recordationis Iulio II. prædecessore nostro indictum ac inchoatum, eiusque obitu intermissum, ea præcipue causa continuare & prosequi decreuerimus, vt in diuersis sessionibus in eodem sacro Concilio per nos habitis omnibus patet, vt Christianis principibus, seu eorum oratoribus in eo Concilio congregatis, prælatisque ex diuersis mundi partibus eo venientibus, pace inter ipsos Christianos principes composita, extirpatisque, vt par est, primo ex Domini agro pestiferis hæresum

ANNO CHRISTI 1514. sentibus, ea quæ ad ipsam expeditionem contra eosdem hostes necessaria, ac ad gloriam & exaltationem orthodoxæ fidei, aliarumve rerum consultationem pertinent, maturo consilio omniumque assensu decerni feliciter possent. Ad quod quidem Concilium solenniter indictum, riteque denuntiatum, etsi multi ex diuersis Europæ partibus præclari & in omni scientia præstantes viri conuenerint, multi etiam legitime impediti mandata in publica forma miserint: non tamen bellorum ac temporum difficultatibus, quibus loca plurima iam diu hostilibus armis obsessa fuerunt, ea quam desiderabamus, copia & multitudo conuenire potuit. Nihil est præterea quod nobis adscribi possit, si hactenus (quod forsitan multis necessarium videtur, & nos opportunum præ ceteris putamus) legatos de latere ad reges & principes pro concordia eorumdem principum & pace non misimus. Hac sane causa id facere destitimus. Principes enim fere omnes suis ad nos literis ac nuntiis, legatos mitti, minime expedire aut necessarium esse significarunt. Circumspectos nihilo minus ac probatæ fidei viros nuntios nostros, etiam episcopali dignitate præditos, ad eos ipsos principes grauiora inter se armis, ac, quantum coniici poterat, asperiora bella molientes vltro misimus. Quorum præcipue opera effectum est, vt pactis iam inter quosdam principes induciis, ceteri eas breui approbaturi esse credantur. Quare legatos, vti proxima sessione decreuimus, vbi opus & expediens fuerit, pro stabili ac perpetua pace inter eos componenda, ac vti antea proposuimus, mittere non postponemus. Neque interim cum eorumdem principum oratoribus apud nos agentibus, quæ ad rem huiusmodi pertinent, agere & meditari, neque ipsos etiam principes per nostros nuntios & literas ad id vrgere & admonere cessabimus. Quin etiam vt nostra pacis consilia & iuges cogitatus omnipotẽs & misericors Deus promoueat ex alto, ac fidelem plebem æquis ac propitiis magis oculis aspiciat, & pro communi salute ac pace, compescendaque nefariorum Christiani nominis hostium superba rabie, eius piis annuat precibus: vniuersis & singulis primatibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, nec non ecclesiarum, tam cathedralium quam collegiatarum, tamque sæcularium quam quorumuis ordinum regularium capitulis,

collegiis, conuentibus, plebanis, decanis, ecclesiarum rectoribus, ceterisque animarum curam habentibus, prædicatoribus, quæstoribus, ac verbum Dei ad populum pronuntiantibus, auctoritate apostolica iniungimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus intra Missarum solennia, & dum inter aut extra illa verbum Dei ad populum proponetur, ac in eorum orationibus, quas capitulariter & conuentualiter, aut alias in quibuscumque congregationibus facient respectiue pro pace Christianorum & infidelium confusione, has collectas habeant speciales; videlicet, Deus a quo sancta desideria: Et, Deus in cuius manu sunt omnes potestates & omnia iura regnorum, respice in auxilium Christianorum. Et nihilo minus suis diœcesanis, & aliis quibuscumque personis vtriusque sexus, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, quibus ratione prælaturæ & alterius cuiuscumque superioritatis ecclesiasticæ præsidebunt, iniungant, ac in Domino eos hortentur, quibus Dei verbum sua aut alterius auctoritate proponetur, vt priuatim pro pace, vt præmittitur, Christianorum, & infidelium exterminatione, ad Deum ipsum ac glorioſissimam eius matrem in oratione dominica & in angelica salutatione pias preces effundant. Et insuper quicumque ex supradictis apud principes sæculares cuiuscumque gradus, præeminentiæ vel dignitatis existant, aut etiam consiliarios, familiares, domesticos & officiarios eorum, nec non apud ciuitatum, oppidorum, vel vniuersitatum, quorumcumque sæcularium magistratus, rectores, locumtenentes, aut alias vtriusque sexus personas, ecclesiasticas vel sæculares, quas ad pacem vniuersalem aut particularem inter principes, potentatus & Christianos populos, nec non ad expeditionem contra infideles persuadendam, auctoritate & gratia valere putauerint, illos ad huiusmodi pacem & expeditionem hortentur & inducant. Quos omnes per viscera misericordiæ Dei nostri, & per meritum passionis vnigeniti eius filii Iesu Christi, quam maximo possumus cordis affectu in Domino hortamur, ac pro pastoralis officii qua fungimur auctoritate monemus, vt depositis priuatis simultatibus, apertisque inimicitiis, ad pacis studia amplectenda, & ad expeditionem prædictam decernendam se conuertant. Proptereaque omnibus &

Anno Christi 1514.

Anno Christi 1514. singulis prælatis, principibus & personis, tam sæcularibus quam ecclesiasticis, cuiuscumque status, gradus, dignitatis & præeminentiæ aut conditionis existant, sub interminatione diuini iudicii districtius inhibemus, ne dictæ paci per nos aut nostros, seu sedis apostolicæ legatos vel nuntios, & episcopali dignitate præditos, vt præfertur, pro Christianæ reipublicæ defensione & fidelium salute tractandæ aliquod impedimentum directe vel indirecte, palam aut occulte interponere quoquo modo præsumant. Sed qui in pace conficienda priuatum aut publicum suorum principum suarumve ciuitatum aut rerumpublicarum, quorum quarumve ad eos ratione officii vel publici alicuius muneris cura spectabit, interesse prætendant, illud quoad modestius tranquilliusve poterunt, prosequentes, pacis nihilo minus partes & studia, quantum in Domino poterunt, amplectantur. Quin etiam ad dictam pacem & expeditionem contra dictos Christianæ fidei hostes procurandam, & ab ipso Deo impetrandam, volentes spiritualibus donis Christi fideles animare, omnibus vere confessis & contritis, qui pro ipsa obtinenda pace ac decernenda expeditione in Missis, prædicationibus, & aliis diuinis officiis, aut in collegialibus, conuentualibus, aliisve publicis aut communibus orationibus deuote ad Deum preces effundant, aut apud principes, consiliarios, officiarios, rectores, vel alias personas supradictas, quæ ad pacem faciendam vel tractandam, & expeditionem in hostes inuictæ crucis, vt præmittitur, decernendam, aliquam auctoritatem habere videbuntur, diligentem ac solertem operam adhibebunt, quoties id fecerint: qui vero priuatim ac particulariter pro præmissis a Deo consequendis deuotas effuderint preces, septies in die, si toties id fecerint; aut si minus, quoties id fecerint, donec pax vniuersalis, quæ per nos assidue tractatur, inter principes & populos impræsentiarum armis dissidentes, confecta sit, & expeditio contra infideles nostris auspiciis decreta, de omnipotentis Dei misericordia, ac de beatorum eius apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, centum dies de iniunctis eis pœnitentiis relaxamus. Mandantes propterea venerabilibus fratribus primatibus, patriarchis, archiepiscopis & epi-

scopis, ad quos præsentes seu earum exemplaſub sigillis authenticis, vel in Vrbe, aut alibi fideliter impressa peruenerint, quatenus illas per suas prouincias & diœceses, quanto citius poterunt, faciant publicari, ac debitæ executioni demandari. Ceterum, quod proposuimus & toto corde concupiuimus, reformationem interim ecclesiasticam tam curiæ nostræ, quam etiam venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, & aliorum in Vrbe commorantium, & alia complura necessaria, sacro approbante Concilio decreuimus, quæ aliis nostris literis in hac eadem sessione publicandis continebuntur. Et licet idem Iulius prædecessor noster ad huiusmodi Concilium omnes qui adesse consueuere, conuocauerit, & vt tute ac secure venire & accedere possent, eis amplum saluumconductum dederit: quia tamen hactenus ob prædicta forsitan impedimenta complures prælati, qui venire deberent, adhuc non venerunt, cupientes nos ad grauiora in futura proxima sessione procedere, denuo ipsos ac reges, duces, marchiones, comites & alios ad Concilia generalia venire aut mittere assuetos, qui hactenus oratores vel mandata legitima non dederint, in Domino hortamur, ac per eiusdem misericordiæ viscera rogamus & monemus, vt quamprimum poterunt, vel ipsi personaliter accedere, vel speciales & idoneos nuntios cum legitimis mandatis ad hoc sacrum & Christianæ reipublicæ perutile futurum Lateranense Concilium mittere velint. Venerabilibus autem fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prælatis, præsertim sub vinculo iurisiurandi, ad visitandum certis statutisque temporibus limina apostolorum Petri & Pauli, & ad generalia Concilia indicta personaliter accedendum, etiam tempore suæ promotionis adstrictis, quorum non comparentium contumacia in diuersis sessionibus per promotorem dicti Concilii sæpius accusata extitit, & contra eosdem petitum procedi, & de incursu censurarum & pœnarum protestatum solenniter reperitur, non obstantibus quibuscumque priuilegiis, concessionibus & indultis eis, eorumque ecclesiis, monasteriis & beneficiis per dictos prædecessores nostros aut nos concessis, confirmatis & innouatis: quæ habentes pro expressis, ex certa scien- Anno Christi 1514.

Anno Christi 1514. tia & plenitudine potestatis cassamus, irritamus & annullamus, in virtute sanctæ obedientiæ iniungimus, ac sub excommunicationis & periurii, aliisque de iure vel consuetudine, & præsertim in literis indictionis & publicationis dicti Concilii Lateranensis per ipsum Iulium prædecessorem nostrum specialiter indictis, aut aliis non accedentibus ad Concilium rite indictum pœnis, districtius mandamus, vt ad dictum Concilium Lateranense accedere personaliter, & vsquequo concluſum & auctoritate nostra absolutum fuerit, in Vrbe morari debeant, nisi aliqua legitima causa impediti fuerint. Et si, vt præfertur, modo fuerint impediti, procuratores suos speciales cum pleno mandato ad ea quæ tractanda, agenda & deliberanda erunt, idoneos mittant. Et vt omnis prorsus excusatio tollatur, neve cuiquam venire debenti prætextus aliquis cuiuscumque impedimenti relinquatur, præter publicam fidem, quam in indictione huius sacri Concilii omnibus ad id venientibus liquet esse concessam, hoc eodem approbante Concilio, omnibus & singulis in congregationibus Conciliorum generalium adesse solitis, & ad ipsum Lateranense Concilium venientibus, eorumque domesticis familiaribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis & conditionis vel nobilitatis existant, ecclesiasticis & sæcularibus, pro se & bonis suis quibuscumque per ciuitates, terras & loca, tam maritima quam terrestria, dictæ Romanæ ecclesiæ subiecta, ad Concilium Lateranense ad Vrbem veniendi, & in ea libere commorandi, & pro animi sententia consulendi, & ab ea quoties videbitur recedendi, & post quatuor menses a dicti Concilii conclusione & dissolutione liberum, tutum & securum saluumconductum, ac plenam & omnimodam securitatem auctoritate apostolica tenore præsentium, de consilio & potestate prædictis, damus & concedimus & impartimur, aliosque saluosconductus & securitates habere cupientibus dare libere pollicemur: quos omnes & singulos benigne & caritatiue tractabimus & suscipiemus. Mandantes omnibus & singulis principibus sæcularibus, quantumcumque grandi dignitate, etiam imperiali, regali, reginali, ducali, aut alia quacumque fulgentibus, & ciuitatum rectoribus, ac ciuibus eorum rempublicam gu-

bernantibus & regentibus, vt prælatis & aliis ad dictum Concilium Lateranense venientibus, sub diuinæ maiestatis & indignationis nostræ incursu, & pœnis contra impedientes Conciliorum celebrationem, & præsertim dicti Lateranensis Concilii, in iure, siue literis præfatæ indictionis per prædecessorem nostrum contentis & appositis, liberam licentiam & facultatem, saluumque conductum veniendi & redeundi, & per eorum dominia, terras & loca, per quæ ipsos transitum facere oporteat, cum eorum rebus & bonis ac equis, liberum transitum & innoxium concedant, omnibus prorsus exceptionibus siue excusationibus semotis ac cessantibus. Mandamus insuper & iniungimus sub indignationis nostræ & aliis arbitrio nostro infligendis pœnis, omnibus & singulis gentibus nostris armigeris, tam pedestribus quam equestribus, eorumque ducibus & ductoribus, ac etiam arcium nostrarum castellanis, ciuitatumque & locorum dictæ Romanæ ecclesiæ subiectorum legatis, gubernatoribus, rectoribus, locumtenentibus, potestatibus, officialibus & vassallis, vt quibusuis constitutionibus, ordinationibus apostolicis, legibus imperialibus, statutisque & consuetudinibus municipalibus, etiam iuramento & confirmatione apostolica, aut quauis alia firmitate roboratis non obstantibus, quæ saluoconducti & securitati præmissis in aliquo derogare, seu illa quoquo modo impedire possent, etiam si talia forent, de quibus specialis & specifica, expressa & indiuidua, non autem per generales clausulas id importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, illorum omnium tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habentes, & aliis quibuscumque, cuiuscumque gradus, status, conditionis & præeminentiæ fuerint, vt ipsos venientes ad Concilium Lateranense libere, tute & secure transire, morari & recedere permittant & permitti faciant, ne tam sanctum, laudabile ac perneceſſarium Concilium quauis causa vel prætextu distrahatur, & vt ad illud venientes tute ac in pacis tranquillitate libertateque viuere, dicere & expedire valeant, quæ honorē Dei omnipotentis, statumque totius ecclesiæ concernant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ iunctionis, inhibitionis, relaxa- Anno Christi 1514.

Anno Christi 1514. laxationis, exhortationis, rogationis, monitionis, cassationis, irritationis, annullationis, donationis, concessionis, obligationis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimoquarto, tertio Nonas Maii, pontificatus nostri anno secundo. Qua perlecta, petiit a Concilio, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnes, nemine penitus discrepante, ac quilibet eorum respondit, placere contenta in schedula. Deinde reuerendus pater dominus Vincentius archiepiscopus Neapolitanus ascendit ambonem, & legit aliam quamdam schedulam tenoris infra scripti.

BVLLA REFORMATIONIS CVRIÆ.

Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacrosancto approbante Concilio.

Supernæ dispositionis arbitrio, quo cælestia pariter & terrena ineffabili prouidentia disponũtur, in sublimi beati Petri solio Christi vnigeniti Dei filii gerentem vices in terris Romanum pontificem decet in primis, pro cura & salute dominici gregis sibi diuinitus commissi, prouidi exercere pastoris officium. Quare pro dicti pastoralis officii solicitudine, cum ecclesiasticam disciplinam, ac per omnes fere Christi fidelium gradus bene recteque viuendi regulam temporum difficultate ac hominum malitia, licentiaque & impunitate in deterius ita labi, diffluere, aberrareque longius a recta via animaduertimus, vt nisi prouida corrigatur emendatione, in varios errores securitate peccandi quotidie magis incidere, moxque obortis publice scandalis, prorumpere sit verendum. Cupientes igitur, quatenus nobis ex alto permittitur, ea iam nimium inualescentia mala corrigere, ac pleraque in pristinam sacrorum Canonum obseruantiam reducere, ac in melius iuxta sanctorum patrum instituta dante Domino reformare, eaque omnia, sacro approbante Lateranensi Concilio, a felicis recordationis Iulio papa secundo prædecessore no-

ſtro inter alia propterea incepto, & per nos continuato, ſalubriter moderari: vt ab his ſumamus exordium, quæ pro nunc magis expedire videntur, & quæ ſæpe per ſingulas ætates neglecta, magnam Chriſtianæ religioni attulere perniciem, & in eccleſia Dei maxima ſcandala peperere runt, a promotionibus ſcilicet ad eccleſiaſticas dignitates conſtituimus exordiri. Cum piæ memoriæ Alexander papa tertius prædeceſſor noſter etiam in Lateranenſi Concilio decreuerit, vt ætas, morum grauitas, ac literarum ſcientia in perſonis promouendis in epiſcopos & abbates diligenter inquirantur, nihilque magis Dei eccleſiæ officiat, quam cum immeriti aſſumuntur prælati ad regimen eccleſiarum, propterea in promotionibus prælatorum, quarum a Romanis pontificibus magna ratio haberi debet, eo præſertim, quod de promotis per eos ad eccleſias ſeu monaſteria in extremo iudicio rationem Deo reddituri ſunt, ſtatuimus & ordinamus, vt deinceps perpetuis futuris temporibus, patriarchalibus, metropolitanis ac cathedralibus eccleſiis & monaſteriis pro tempore vacantibus, de perſonis, iuxta præfati Alexandri conſtitutionem, ætate matura, grauitate morum, literarumque ſcientia præditis, non ad alicuius inſtantiam, per commendam & adminiſtrationem ſeu conſeruationem, aut alio quouis modo prouideatur, niſi ratione vtilitatis eccleſiarum, prudentiæ, nobilitatis, probitatis, experientiæ atque curialitatis antiquæ cum competenti literatura, & in ſede apoſtolica meritorum, aliter viſum fuerit faciendum. Idemque in electis & poſtulatis, quorum electiones & poſtulationes per ſedem apoſtolicam admitti conſueuerunt, volumus obſeruari. Et ſi de minoribus ætate triginta annorum eccleſiis aut monaſteriis huiuſmodi contigerit prouideri, non diſpenſetur cum eiſdem, vt eccleſiis citra vigeſimumſeptimum ætatis annum, monaſteriis vero citra vigeſimumſecundum præeſſe valeant. Quinimo vt accuratius diligentiuſque idoneæ perſonæ promoueantur, ſtatuimus, vt cardinalis, cui electionis, poſtulationis aut prouiſionis eccleſiæ ſeu monaſterii relatio committetur, antequam in ſacro conſiſtorio, vt moris eſt, referat commiſſionem examinis ac relationis huiuſmodi ſibi datam, vni cuiuſlibet ordinis antiquiori cardinali in

Anno Christi 1514.

Anno Christi 1514. ipso consistorio per seipsum, vel si ea die, qua sibi commissionis onus iniunctum fuerit, consistorium non fuerit, per secretarium suum aut alium quemlibet ex suis domesticis familiaribus notam illam facere debeat: qui tres priores aliis quamprimum sui ordinis cardinalibus eam significare teneantur, negotiumque electionis, administrationis, postulationisve aut promotionis summarie & de plano per seipsum dictus relator examinet, & si qui contradixerint, his vocatis, idoneos, graues & fide dignos testes, & si expediens opusve fuerit, alios ex officio assumere, processusque & iura eiusmodi relationis, vna cum dictis testium die faciendæ relationis secum ad consistorium deferre debeat: neque vllo modo referat, si præsens in curia promouendus maiorem cardinalium partem antea non adiuerit, vt quæ a referente collega sint cardinales aduituri, oculata fide, quantum ad personam promouendi attinet, cognoscere possint. Promotus vero eosdem cardinales qui præsentes in curia fuerint, ex antiquo more consuetudineque laudabili quamprimum visitare teneatur. Quem quidem morem laudabilemque consuetudinem innouamus, ac inuiolabiliter obseruari mandamus. Et quoniam episcopalem dignitatem tueri illæsam, & ne improborum impugnationibus, aut accusantium calumniis passim pateat, muniri par est: statuimus, vt nullus episcopus aut abbas, quouis instante ac requirente, nisi sibi copia & facultas legitimæ defensionis permittatur, etiam si crimina fuerint notoria, diligenterque partibus auditis, causa plenarie probata fuerit, dignitate priuari valeat: neue aliquis prælatus inuitus, nisi aliis iustis efficacibusque rationibus & causis, transferatur iuxta formam ac decretum Concilii Constantiensis. Et quoniam ex commendis monasteriorum (vt magistra rerum experientia sæpius docuit) monasteria ipsa tam in spiritualibus quam in temporalibus grauiter læduntur, quippe quorum ædificia partim commendatariorum negligentia, partim auaritia vel incuria collabuntur, & in dies diuinus cultus in his magis diminuitur, passimque obloquendi materia personis præsertim sæcularibus præbetur, non absque dignitatis apostolicæ sedis diminutione, a qua commendæ huiusmodi proficiscuntur: vt eorum indemnitati salubrius con-

sulatur, volumus ac sancimus, vt cum illa per obitum abbatum qui illis præerant vacauerint, nullo pacto cuiquam possint commendari, nisi pro conseruatione auctoritatis apostolicæ sedis, & ad occurrendum malitiis illam impugnantium, pro temporum qualitate aliter nobis de fratrum nostrorum consilio visum fuerit expedire. Sed de persona idonea iuxta præscriptam constitutionem eis ita prouideatur, vt illis idonei abbates, prout decet, præfuturi sint. Ea vero monasteria, quæ commendata fuerint, cum per eorum cessum vel decessum, quibus erant commendata, commendæ huiusmodi cessauerint, cardinalibus dumtaxat ac personis qualificatis & bene meritis commendari possint: ita tamen, quod eorum monasteriorum commendatarii, quibus antea de cetero commendata fuerint, cuiusuis dignitatis, honoris & præeminentiæ existant, etiamsi cardinalatus honore & dignitate fungantur, si mensam habuerint separatam, ac seorsum a mensa conuentuali, quartam suæ mensæ partem pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis, vestibus ac paramentis emendis sarciendisque, aut pauperum alimonia, aut sustentatione, vt maior exiget ac suadebit necessitas; si vero mensa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti monasterii sibi commendati partem pro supradictis oneribus supportandis, & sustentatione monachorum, omnibus aliis deductis oneribus, impartiri teneantur. Ac literæ, quæ super monasteriorum huiusmodi commendis expedientur, cum clausula hoc ipsum specifice exprimente debeant expediri. Alioquin, si aliter expediantur, nullius sint roboris vel momenti. Et quoniam ecclesiis huiusmodi absque aliqua fructuum diminutione prouideri decet, vt tam dignitati præsidentium, quam ecclesiarum & ædificiorum necessitati consulatur, decernimus pariter ac statuimus, vt super earumdem ecclesiarum fructibus pensiones minime reseruentur, nisi ex resignationis causa, aut etiam alia, quæ in secreto nostro consistorio iusta, probabilis & honesta habita fuerit. Anno Christi 1514.

Statuimus quoque, vt de cetero parochiales ecclesiæ ac dignitates maiores & principales, aliaque beneficia ecclesiastica, quorum fructus, reditus & prouentus ducentorum ducatorum auri de camera, secundum commu-

Anno Christi 1514. nem æstimationem, valorem annuum non constituunt vel attingunt, nec non hospitalia, leprosariæ, xenodochia, cuiuscumque valoris, quæ ad pauperum vsum & alimoniam instituta sunt, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus non commendentur, aut alio quouis titulo conferantur, nisi per obitum familiarium suorum vacauerint, quæ illis commendari possint, vt illa ad illarum personarum sibi gratarum & idonearum commodum infra sex menses dimittere teneantur: quibus etiam, quoad beneficia, ad quæ haberent regressum, præiudicare non intendimus. Ordinamus etiam, ne ecclesiarum ac quorumcumque monasteriorum & militiarum membra a suo capite, quod est absurdum, absque legitima & rationabili causa disiungantur aut separentur. Vniones perpetuæ, præterquam in casibus a iure permissis, vel sine rationabili causa, nequaquam fiant. Dispensationes autem ad plura incompatibilia vltra duo, nisi qualificatis iuxta formã iuris communis, non concedantur, nisi ex magna & vrgenti causa. Et personis cuiuscumque dignitatis parochiales ecclesias & earum perpetuas vicarias, ac dignitates maiores & principales, etiam per viam vnionis vel commendæ ad vitam, vltra quatuor obtinentibus, exnunc terminum duorum annorum præfigimus, vt interim quatuor tantum ex eis retentis, reliquas dimittere teneantur, & beneficia dimittenda huiusmodi resignari valeant in manibus ordinariorum, ad effectum, vt de illis prouideatur personis per eos nominandis, quacumque reseruatione etiam generali, etiam ex qualitatibus resignantium personarum resultante, non obstante: quo elapso termino, nisi dimiserint, omnia vacare censeantur, ac possint libere vt vacantia impetrari: talesque præterea retinentes pœnas extrauagantis execrabilis recolendæ memoriæ Ioannis papæ vigesimisecundi etiam prædecessoris nostri incurrant. Item statuimus, vt speciales reseruationes quorumcumque beneficiorum ad cuiusuis instantiam minime concedantur.

De cardinalibus.

Et cum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales ceteros omnes in ipsa ecclesia post summum pontificem honore ac dignitate præcedãt, conueniens ac debitum est, vt vitæ

munditia ac virtutum ſplendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modo hortamur eos ac monemus, verum etiam ſtatuimus & ordinamus, vt de cetero quilibet cardinalium pro tempore exiſtens, iuxta doctrinam Apoſtoli, ita ſobrie, caſte ac pie viuat, vt non ſolum a malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali abſtinens, coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet. Sint omnes vigiles, ac diuinis officiis, Miſſarumque celebrationibus intenti, habeantque capellas ſuas in loco honeſto, prout facere conſueuerunt. Sitque eorum domus, familia, menſa, ſupellexque, non faſtu aut pompa, neque ſuperfluis rebus, neque aliquo modo reprehenſibilis, ne peccandi excedendique modum licentia inde naſcatur, ſed vt æquum eſt, modeſtiæ & frugalitatis ſpeculum dici mereantur. Illis itaque ſint contenti, quæ ſacerdotalem præ ſe ferant modeſtiam, ac prælatos & quoſcumque alios inſignes viros ad Romanam curiam venientes benigne honorificeque, tam publice quam priuatim, tractent, & apud nos & ſucceſſores noſtros gratioſe liberaliterque eorum negotia commendata ſuſcipiant. ANNO CHRISTI 1514.

Præterea miniſterium indecorum epiſcoporum prælatorumque in domibus non habeant, ne ceteris præeſſe inſtituti, & ſacro charactere inſigniti, in vilia deſcendant miniſteria, paſſimque paſtoralis officii contemptum inducant. Eos itaque quos vel nunc habent, vel in poſterum ſunt habituri, honorifice, vt fratres, ac iuxta eorum ſtatus condecentiam tractent.

Cumque Romani pontifices communi omnium Chriſti fidelium Patri aſſiſtant, perſonarum acceptatores vel aduocatos eos fieri valde inconueniens eſt. Propterea ſtatuimus, ne partialitatem ſuſcipiant aliquam, neque principum aut communitatum, vel quorumcumque aliorum contra quemquam, niſi quantum iuſtitia & æquitas poſtulat, eorumque dignitas & conditio requirit, promotores aut defenſores fiant, ſed a priuata omni paſſione ſeiuncti, ſedandis & componendis inter quoſcumque litibus omni diligentia vacent incumbantque: principum & quorumcumque aliorum, ac præſertim pauperum & religioſorum iuſta negotia pio promoueant affectu, oppreſſos & iniuſte grauatos iuxta vires ſuas & officii debitum adiuuent.

Anno Christi 1514. Tituli sui loca, si præsentes in curia fuerint, personaliter: si vero absentes, per vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent: clericos & populos ecclesiarum titulo suo subiectarum cum diligentia inquirant, vigilentque circa cultum diuinum & bona dictarum ecclesiarum, moresque in primis & vitam clericorum & parochianorum solerter explorent, eosque omnes & singulos ad recte honesteque viuendum paterno moneant affectu.

Pro augmento autem diuini cultus & salute animæ suæ, quilibet cardinalis vel in vita donet, vel in mortis articulo relinquat suo titulo, quantum sit satis ad presbyterum vnum commode ibi sustentandum: vel si ecclesia indigeat reparatione, vel alia subuentione, tantum illi relinquat vel donet, quantum conscientiæ suæ videbitur.

Et cum minime deceat, affines & consanguineos, præsertim benemeritos & ope indigentes, negligere, sed illis prouidere iustum & laudabile sit: non propterea tamen vel beneficiorum multitudine, vel ecclesiasticis redditibus ita eos impleri conuenire arbitramur, vt ceteri damnum ex huiusmodi largitionis intemperantia patiantur, & inde scandalum nascatur. Statuimus itaque, vt ecclesiarum bona temere non effundant, sed ea in piis & sanctis operibus exponant, quorum causa magni & opimi redditus per sanctos patres statuti & ordinati fuerunt.

Volumus etiam vt ecclesiis eisdem cardinalibus commendatis, etiam si cathedrales, abbatialesve, aut prioratus, vel quæcumque alia beneficia ecclesiastica fuerint, absque omni prorsus excusatione procurent, ac omni conatu suo prouideant debite inseruiri cathedralibus, dignos & idoneos vicarios, seu suffraganeos, prout consuetudo fuerit, cum digna & competenti mercede apponentes; reliquis autem sibi commendatis ecclesiis aut monasteriis de iusto clericorum vel capellanorum, seu religiosorum aut monachorum, Deo sufficienter & laudabiliter seruientium numero prouidentes: ædificia quoque, possessiones & iura quæcumque in statu conuenienti conseruent, & diruta instaurent, sicut ad bonorum prælatorum & commendatariorum officium spectat.

Statuimus etiam, vt dicti cardinales circa numerum familiarium, equorumque suis impensis alendorum, magna

vtantur circumspectione ac diligenti prouidentia, ne maiorem numerum, quam sua facultas, conditiove ac dignitas patiatur, habentes, luxus ac prodigalitatis vitio notari possint: neve rursus auari sordidique habeantur, si in magnis & amplis redditibus, paucissimis victum præbeant, cum domus cardinalium patens hospitium, portusque ac refugium proborum & doctorum maxime virorum & pauperum nobilium, honestarumque personarum esse debeat. Sint igitur circa modum & numerum tenendi prudentes, ac de familiarium qualitate in primis curiosi, ne ex alienis vitiis turpem sibi contrahant infamiæ notam, vulgoque obloquendi calumniandique iustas præbeant occasiones. Anno Christi 1514

Et cum maxime prouidendum sit, vt non solum coram Deo, cui primum placere debemus, sed etiam coram hominibus opera nostra probentur, vt ceteris exemplo ad imitandum possimus esse, ordinamus vt quilibet cardinalis se domus ac familiæ suæ optimum rectorem præfectumque ostendat esse, tam circa ea quæ extrinseca omnibus apparent, quam quæ intus latent abscondita. Habeat itaque eorum quisque sacerdotes & leuitas honestis vestimentis indutos, attenteque prouideat, ne quis in familia sua quoquo modo beneficiatus, & in sacris ordinibus constitutus, vestes portet versicolores, nec eo habitu vtatur, qui ordini ecclesiastico parum conueniat. Quare in presbyteratus ordine constituti vestes colorum, quæ clericis a iure non prohibeantur, deferre debeant vsque ad talos saltem demissas. Et habentes dignitates in cathedralibus,& canonici etiam dictarum cathedralium, ac primam dignitatem in collegiatis habentes, & cardinalium capellani Missas celebrantes, caputium deferre in publico teneantur: scutiferis vero paulo supra talos concedantur.

Parafrenarii, quia in assiduo sunt motu, ministerioque funguntur laboriosiore, breuioribus ac magis expeditis vestibus vti possint, etiam si fuerint clerici, dummodo in presbyteratus ordine non sint constituti: ita tamen vt ab honestate non discedant, sed ita viuant, vt mores ecclesiasticis suis ordinibus non discrepent.

Reliqui vero clerici temperate ac modeste omnia faciant, & tam ipsi clerici beneficiati, quam in sacris ordinibus

ANNO CHRISTI 1514. bus constituti, comam neque barbam non nutriant, neque mulas, aut equos cum phaleris, ornamentisque ex velluto aut serico factis habeant, sed eiusmodi rebus ex panno tantum aut corio simpliciter vtantur.

Si quis autem familiarium prædictorum contra fecerit, aut post tres menses legitima monitione præcedente a præsentium publicatione, huiusmodi vestes prohibitas gestauerit, in excommunicationem incurrat. Si vero infra tres alios menses non se correxerit, a perceptione fructuum ex beneficiis, quæ obtinet, suspensus intelligatur. Quod si per alios sex menses in huiusmodi pertinacia obstinatus permanserit, legitima similiter monitione præcedente, beneficiis omnibus, quæcumque habet, priuatus sit & esse censeatur: eaque sic vacantia a sede apostolica libere impetrari valeant. Quæ omnia & singula in nostris & cuiuscumque Romani pontificis pro tempore existentis familiaribus, & similiter in omnibus aliis clericis beneficiatis, vel in sacris ordinibus constitutis, ac etiam curialibus, locum habere volumus; hoc vno tantum excepto, quod dicti nostri & Romani pontificis familiares, rubri coloris vestimenta gestare possint, pro decentia & consuetudine dignitatis pontificalis. Et quoniam ad cardinales maxime spectat operum optimorũ cura, pro viribus laborabunt scire, quæ regiones hæresibus, erroribusq; ac superstitionibus contra veram & orthodoxã fidem infectæ sint, & vbi diuinorum mandatorum ecclesiastica deficiat disciplina: quique reges ac principes, seu populi bellis infestentur, vel infestari timeant. Hæc & huiusmodi scire, ac nobis & Romano pontifici pro tempore existenti referre operam dabunt, vt opportuna & salutaria talibus malis ac pestibus remedia vigilanti studio excogitari valeant. Et cum frequenti ac prope quotidiana experientia notum sit, prouinciis ac ciuitatibus propter suorum legatorum de latere absentium multa sæpius contingere mala, variaque non sine apostolicæ sedis præiudicio scandala oriri, statuimus & ordinamus vt nullis cardinalibus prouincias ac ciuitates legationis titulo obtinentibus, eas per locumtenẽtes aut officiales quoscumque administrare liceat, sed personaliter ipsi pro maiori parte temporis adesse, atque eas omni vigilantia regere & gubernare teneantur. Et qui nunc titulum legationis obtinent,

aut pro tempore obtinebunt, si in Italia, intra tres menses: si extra Italiam, quinque a die præsentis publicationis ad suas prouincias ire, ac maiorem temporis partem ibi residere teneantur, nisi de nostro & successorum nostrorum mandato, pro aliquibus grauioribus negotiis in Romana curia retineantur, vel ad alia loca, prout necessitas postulat, mittantur: & tunc in dictis prouinciis ac ciuitatibus vicelegatos, auditores & locumtenentes, ceterosque consuetos officiales, cum debitis prouisionibus ac salariis habeant. Qui præmissa omnia & singula non seruauerit, emolumentis quibuscumque legationis careat. Quæ quidem propter hoc antiquitus ordinata & instituta fuerunt, vt opportuna legatorum præsentia populis esset salutaris, non vt ipsi laborum & curarum penitus expertes, lucro tantum sub legationis titulo inhiarent. Et cum cardinalis officium in primis versetur in frequenti Romani pontificis assistentia & sedis apostolicæ negotiis, propterea statuimus, vt omnes cardinales in Romana curia resideant; & qui sunt absentes, si in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum a die publicationis præsentis constitutionis reuertantur. Alioquin fructus beneficiorum & omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque priuilegiis generaliter & specialiter cardinalibus concessis, quamdiu abfuerint, omnino careant, exceptis tamen illis, quos ratione officii ab apostolica sede iuncti, vel de Romani pontificis mandato aut licentia, vel iusto metu, aut quauis alia legitima causa impediente, vel ægrotationis abesse contingat: priuilegiis, indultis & immunitatibus, eisdem cardinalibus concessis, & in bulla nostra sub data coronationis nostræ contentis & expressis, in suo robore nihilo minus permanentibus. Anno Christi 1514.

Statuimus insuper, vt expensæ funebres cardinalium, computatis omnibus mille quingentorum florenorũ summam excedere non debeant, nisi executorum prouidentia, iustis allegatis causis ac rationibus, plures expendendum esse duxerit. Exequiæ & castrum doloris prima & nona die fiant: infra octauã vero Missæ de more celebrentur.

Pro reuerentia autem sedis apostolicæ, vtilitateque & honore communi pontificis & ipsorum cardinalium, vt scandalorum, quæ nasci possent, occasio tollatur, maior-

Anno Christi 1514. que, in sacro senatu libertas votorum fiat, liceatque, vt par est, cardinali cuique secundum Deum & conscientiam suam libere & impune quodcumque sentiat dicere : statuimus, ne quis cardinalium vota in consistorio data, & quæcumque ibi gesta aut dicta, quæ in odium, aut præiudicium, aut scandalum alicuius redundare possint, scripto aut verbo, vel quouis alio modo reuelet sub pœna periurii & inobedientiæ : & quotiescumque a nobis & Romano pontifice pro tempore existente specialiter & expresse vltra præmissa indictum fuerit super aliqua re silentium, si quis contra fecerit, vltra pœnas excommunicationem latæ sententiæ incurrat : a qua non possit absolui, nisi a vobis vel præfato pontifice Romano & cum expressione causæ, præterquam in mortis articulo.

Reformationes curiæ, & aliorum.

Et cum omnis ætas ab adolescentia prona sit ad malum, & a teneris assuefieri ad bonum magni sit operis & effectus, statuimus & ordinamus, vt magistri scholarium, & præceptores, pueros suos siue adolescentes nedum in grammatica & rhetorica, ac ceteris huiusmodi audire & instruere debeant, verum etiam docere teneantur ea, quæ ad religionem pertinent, vt sunt præcepta diuina, articuli fidei, sacri hymni & psalmi, ac sanctorum vitæ : diebusque festiuis nihil aliud eos docere possint, quam in rebus ad religionem & bonos mores pertinentibus, eosque in illis instruere, hortari & cogere, in quantum possint, teneantur ; vt nedum ad Missas, sed etiam ad vesperas, diuinaque officia audienda, ad ecclesias accedant, & similiter ad prædicationes & sermones audiendos impellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad impietatem inducat, eis legere possint.

Ad abolendam vero execrabilem blasphemiam, quæ in maximum diuini nominis, & sanctorum contemptū supra modum inualuit, statuimus & ordinamus, vt quicumque Deo palam seu publice maledixerit, contumelioſisque atque obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum Christum vel glorioſam virginem Mariam eius genitricem expresse blasphemauerit, si munus publicum iurisdictionemve gesserit, perdat emolumenta trium mensium pro prima & secunda vice dicti officii : si tertio deliquerit, illo eo ipso

priuatus exiſtat. Si clericus vel ſacerdos fuerit, eo ipſo quod de delicto huiuſmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcumque habuerit, fructibus applicandis, vt infra vnius anni mulctetur: & hoc ſit pro prima vice, qua blaſphemus ita deliquerit: pro ſecunda vero ſi ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, ſi vnicum habuerit beneficium, eo priuetur: ſi autem plura, quod ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod ſi tertio eius ſceleris arguatur & conuincatur, dignitatibus ac beneficiis omnibus quæcumque habuerit, eo ipſo priuatus exiſtat, ad eaque vlterius retinenda inhabilis reddatur, eaque libere impetrari & conferri poſſint. Laicus vero blaſphemans, ſi nobilis fuerit, pœna vigintiquinque ducatorum mulctetur: & pro ſecunda vice, quinquaginta fabricæ baſilicæ principis apoſtolorum de Vrbe applicandis: & aliis, vt infra deducitur: pro tertia vero nobilitatem perdat. Si vero ignobilis ac plebeius fuerit, in carcerem detrudatur. Quod ſi vltra duas vices publice blaſphemans deprehenſus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores eccleſiæ principalis mitratus ſtare cogatur. Si vero pluries in hoc ipſum peccatū lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conſcientiæ nemo blaſphemiæ reus, abſque grauiſſima pœnitentia, ſeueri confeſſoris arbitrio iniuncta, poſſit abſolui. Qui vero reliquos ſanctos blaſphemauerit, arbitrio iudicis rationem perſonarum habituri, mitius aliquanto puniri volumus. Statuimus etiam, vt ſæculares iudices, qui contra tales blaſphemiæ conuictos non animaduerterint, eoſque iuſtis pœnis minime affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxii, eiſdem quoque pœnis ſubiiciantur. Qui vero in illis inquirendis puniendiſque diligentes & ſeueri fuerint, pro qualibet vice decem annorum indulgentiam conſequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. Quicumque vero blaſphemantem audierint, eum verbis acriter obiurgare teneantur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe continget, eumdemque deferre, vel notificare apud iudicem eccleſiaſticum ſeu ſæcularem intra triduum debeant. Quod ſi plures dictum blaſphemantē ſimul audiuerint, ſinguli eum accuſare teneantur, niſi forte omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali

Anno Christi 1514

Anno Christi 1514. fungatur officio. Quos omnes in virtute sanctæ obedientiæ hortamur & monemus in Domino, vt pro diuini nominis reuerentia & honore, in suis dominiis ac terris præmissa omnia seruari & exactissime exequi mandent ac faciant, vberrimam ab ipso Deo tam boni ac pii operis mercedem habituri, similemque annorum decem indulgentiam ab apostolica sede consecuturi cum tertia parte mulctæ, qua dictus blasphemus plectetur, quoties tale scelus puniendum curauerint. Quam quidem indulgentiam & reliquam tertiam mulctæ partem accusatori, blasphemi nomen deferenti, similiter concedi & assignari volumus, aliis pœnis contra huiusmodi blasphemos per sacros Canones expressis, nihilo minus in suo robore manentibus.

Vt clerici præsertim caste continenterque iuxta Canonum præcepta viuant, statuimus vt contra facientes acriter secundum Canones puniantur. Si quis vero tam laicus, quam clericus, de crimine, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, conuictus fuerit, pœnis per sacros Canones aut ius ciuile respectiue impositis puniatur. Concubinarii autem, siue laici siue clerici fuerint, eorumdem Canonum pœnis mulctentur: neque superiorum tolerantia, seu praua consuetudo, quæ potius corruptela dicenda est, a multitudine peccantium, aliaue quælibet excusatio eis aliquo modo suffragetur, sed iuxta iuris censuram seuere puniantur.

Ad bonum vero & quietum regimen ciuitatum, ac locorum omnium Romanæ ecclesiæ subiectorum, constitutiones bonæ memoriæ Ægidii episcopi Sabinensis olim editas innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus & mandamus.

Et vt nefariæ simoniæ labes ac pestis non solum a Romana curia, sed ex omni etiam Christiana ditione in perpetuum eiiciatur, constitutiones per antecessores nostros etiam in sacris Conciliis contra huiusmodi simoniacos editas innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus, ac pœnas in eis contentas pro expressis & insertis haberi, & delinquentes etiam auctoritate nostra affici volumus.

Statuimus quoque & ordinamus, vt quilibet habens

beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii & temporis, sed eos tamquam iniuste perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero vltra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc, vt beneficio priuari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit, Deo tamen vltra præmissa de dicta omissione redditurus rationem. Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties sit, quoties contra facere conuincentur. ANNO CHRISTI 1514.

Et cum fructuum ecclesiarum cathedralium & metropolitanarum, monasteriorumque & aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio & administratio ad nos & Romanum pontificem pro tempore existentem, & illos etiam, qui eiusmodi ecclesias, monasteria & beneficia iure & canonice obtinent, solum pertineant, sæcularesque principes, omni etiam diuino iure id prohibente, dictis ecclesiis, monasteriis ac beneficiis intromittere se nullatenus debeant: statuimus & ordinamus, vt fructus, reditus & prouentus ecclesiarum, monasteriorum ac beneficiorum, per sæculares vllos principes, etiamsi imperator, reges, reginæve, seu respublicæ vel potentatus fuerint, aut per eorum officiales, seu iudices, etiam ecclesiasticos, vel quascumque alias personas, publicas vel priuatas, de eorumdem imperatoris, regum, reginarumve ac principum, rerumque publicarum vel potentatuum mandato, sequestrari, occuparive, aut modo aliquo detineri, ipsique huiusmodi ecclesias, monasteria ac beneficia obtinentes, sub prætextu fabricæ instaurationisque, sine Romani pontificis tempore existentis expressa licentia, aut eleemosynarum, seu quouis alio colore aut fuco, impediri non debeant, quo minus de illis, vt antea libere ac sine impedimento disponere valeant. Et si sequestrati fuerint, occupative aut detenti, integre libereque ac sine exceptione vel mora,

Anno Christi 1514. prælatis ad quos de iure legitimeque spectant, restituantur: de quibus si dissipati nusquam reperiri possint, eorum iusta æstimatione facta, dictis prælatis satisfieri volumus per eos, qui dictas sequestrationes, applicationes, dissipationesque fecerint, aut fieri mandauerint, sub pœna excommunicationis aut interdicti ecclesiastici, talium principum terris & dominio eo ipso incurrendis. Et vt eorum, ac eisdem subiectorum bona vbicumque reperta, si moniti parere noluerint, capi & retineri possint. Ipsi vero contra facientes, tam supradictis pœnis, quam priuationis feudorum & priuilegiorum, quæ a nobis & Romana vel aliis ecclesiis nunc & pro tempore obtinuerint, & aliis contra violatores & oppressores libertatis ecclesiasticæ, etiam per extrauagantes & alias constitutiones, etiam incognitas, & forsan in vsu non existentes, impositis, quarum omnium tenores pro expressis & insertis habentes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus & declaramus, ac secundum eas per quoscumque iudices, etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, sublata & adempta eis aliter iudicandi declarandique potestate, sententiari, iudicari & interpretari debere volumus atque mandamus.

Et cum a iure, tam diuino quam humano, laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit, innouamus omnes & singulas constitutiones felicis recordationis Bonifacii papæ octaui, etiam prædecessoris nostri, quæ incipit: Felicis; & Clementis quinti, quæ incipit: Si quis suadente; nec non quascumque alias apostolicas sanctiones in fauorem libertatis ecclesiasticæ, & contra eius violatores quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præsumentes, in bulla, quæ legitur in cœna Domini, contentis, in suo robore permansuris. Et cum in Lateranensi pariter ac Conciliis generalibus sub excommunicationis pœna prohibitum fuerit, ne reges, principes, duces, comites, barones, respublicæ, & alii potentatus quicumque regnis, prouinciis, ciuitatibus ac terris quoquo modo præsidentes, collectas, decimas, & alia huiusmodi onera, clericis, prælatis & aliis quibuscumque personis ecclesiasticis imponant, exigantque, neve a sponte etiam dantibus & consentientibus etiam recipiant: atque in præ-

missis auxilium, fauorem, consiliumve palam vel occulte præstantes in excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incidant, & ipsæ quoque respublicæ ac communitates & vniuersitates circa hoc quomodolibet delinquentes ecclesiastico eo ipso subiiciantur interdicto: prælati etiam, præmissis absque Romani pontificis expressa licentia vltro consentientes, excommunicationis & depositionis pœnam ipso facto incurrant, statuimus & ordinamus, vt de cetero talia præsumentes, etiamsi, vt præfertur, qualificati fuerint, vltra supradictas pœnas, quas contraueniendo eo ipso incurrere volumus, innouamus, quod ad omnes actus legitimos, inhabiles & intestabiles habeantur. Et cum secundum leges ciuiles, & sacrorum Canonum censuras, sortilegia per inuocationem dæmonum, incantationes ac diuinationes superstitionesque prohibitæ sint, statuimus, decernimus & ordinamus, vt clerici, qui in præmissis culpabiles inuenti fuerint, arbitrio superiorum infamia notentur: si vero non destiterint, deponantur, atque in monasterium ad tempus arbitrio superioris perfiniendum, detrudantur, beneficiisque, & officiis ecclesiasticis priuentur. Laici vero vtriusque sexus, excommunicationis & aliis pœnis iuris, tam ciuilis, quam canonici subiaceant. Anno Christi 1514

Et vt omnes ficti Christiani, ac de fide male sentientes, cuiuscumque generis aut nationis fuerint, nec non hæretici, seu aliqua hæresis labe polluti, vel Iudaizantes, a Christi fidelium cœtu penitus eliminentur, & a quocumque loco, & præsertim a Romana curia expellantur, ac debita animaduersione puniantur, statuimus, vt contra eos diligenti inquisitione vbique & in dicta curia maxime, procedatur per iudices per nos deputandos, & eius criminis reos & legitime conuictos, debitis pœnis puniri, relapsos vero, absque vlla spe veniæ aut remissionis affici volumus. Et cum constitutiones & ordinationes nostræ huiusmodi, quas pro nunc ordinamus, vitam, mores, ecclesiasticamque disciplinam concernant, tam officiales nostros, quam alios, tam in Romana curia, quam extra vbique locorum commorantes imitari conuenit, illis ligari, eosque ad earum obseruationem inuiolabiliter teneri volumus atque decernimus. Et ne constitutiones ipsæ aliis censuris

ac

Anno Christi 1514. ac pœnis in contra facientes per antiqua iura & constitutiones impositis derogare in aliquo videantur, cum ad augmentum editæ atque excogitatæ fuerint, etiam declaramus, per earum dispositiones ordinationesque nihil prorsus iuri communi, vel decretis aliorum Romanorum pontificum vllatenus derogatum esse. Quinimo si qua in eis propter peruersam temporum, aut locorum vel hominum corruptelam, vel abusum, aut quamcumque aliam causam minime probandam, vigorem suum amiserint, ea exnunc innouamus, confirmamus & inuiolabiliter obseruari mandamus. Quas nostras consultissimas constitutiones, post duos menses ab earum publicatione, ligare debere etiam decernimus & declaramus, districtius inhibentes, ne quis eas glossare, vel super eis commentaria, interpretationesve facere absque speciali nostra vel sedis apostolicæ licentia præsumat. Si quis autem ausu temerario contrauenerit, excommunicationis latæ sententiæ pœnam eo ipso incurrat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, sanctionis, reformationis, intentionis, ordinationis, exhortationis, monitionis, præcepti, voluntatis, innouationis, confirmationis, mandati, decreti, declarationis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimoquarto, tertio Nonas Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Bulla seu schedula indictionis decimæ sessionis sacrosancti Lateranensis Concilii, lecta per eumdem reuerendum patrem dominum archiepiscopum Neapolitanum in nona sessione.

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Vt hoc sacrum Lateranense Concilium ad finem vberrimæ speratæque vtilitatis perducatur, possintque dicti prælati & alii vocati commode venire, & personaliter

adesse, vt speramus: cumque alia plura & grauiora in eo tractanda discutiendaque remaneant, ad omnipotentis Dei laudem & ecclesiæ suæ exaltationem, decimam sessionem continuationis celebrationis ipsius sacri Lateranensis Concilii, Kalendis Decembris, quæ erit sexta feria post festum sancti Andreæ apostoli, millesimo quingentesimo decimoquarto, pontificatus nostri anno secundo, sacro Concilio approbante, indicimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ indictionis, designationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. ANNO CHRISTI 1514.

Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ, millesimo quingentesimo decimoquarto, tertio Nonas Maii, pontificatus nostri anno secundo.

Qua perlecta, idem archiepiscopus petiit a sanctissimo domino nostro, & a reuerendis patribus Concilii, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula, seu bullis per eum recitatis. Et omnes, præter infra scriptos, qui votarunt prout infra, responderunt placere.

Particulares, qui votauerunt, primo reuerendus pater dominus Ieremias archiepiscopus Tranensis, qui dixit, non placere ea, quæ deuiant a iure, & etiam, quia prouidetur, quoad multa non necessaria, & generalia omittuntur.

Reuerendus pater dominus Ioannes Staphyleus episcopus Sibinicensis dixit placere sibi, quod in omnibus in schedula contentis, quoad omnes cuiuscumque ordinis seruetur dispositio iuris communis.

Reuerendus pater dominus Scaramuza episcopus Cumanus dixit, placere verba, cessante metu cardinalium.

Reuerendo patri domino Gabrieli archiepiscopo Dyrrachiensi placent omnia, præter constitutiones Ægidii cardinalis, quas ignorat.

Reuerendo patri domino Christophoro Polignianensi non placet, quoad resignationem beneficiorum, sed quoad cetera, sic.

Reuerendo patri domino Michaeli Montalcinensi pla-

Anno Christi 1514. cent, præter quoad duo incompatibilia, quia vult quod sint qualificati.

Reuerendo patri domino Benedicto episcopo Chiensi placent, præterquam de incompatibilibus resignandum quoad præterita, & de accusandis & reprehendendis blasphemiis in criminalibus.

Deinde sanctissimus dominus noster auditis votis respondit quod mutabuntur aliqua verba, sed non mutabitur sententia: & quod contenta in eis suæ sanctitati alias placent. Super quibus omnibus & singulis dominus Marius de Peruschis procurator Concilii petiit instrumentum & instrumenta.

Quibus absolutis, & incepto hymno per sanctissimum dominum nostrum Leonem, Te Deum laudamus, *&c.* ad referendum Deo gratias de bonis operibus expletis, prout est de more sacrorum Conciliorum, & capella cantorum respondente vsque ad finem hymni, fuit dissoluta sessio. Et sanctissimus dominus noster cum reuerendissimis dominis cardinalibus & prælatis equitando accesserunt ad palatium sancti Petri in Vaticano, associantes sanctissimum dominum nostrum, vt tenentur. Quo ibi dimisso, omnes reuersi sunt ad proprias domos & habitationes ad Dei laudem.

Leoni decimo pontifici maximo Antonius Puccius, humillime pedes osculatus, sese commendat.

Paulo post tuam ad summi apostolatus apicem gratissimam omnibus assumptionem, beatissime pater, ad Vrbem profectus, quo septemuiratus munus, a reuerendissimo patre meo gratia & munificentia tua in me translatum exercerem, nihil sane magis optaui, quam aliquam dari occasionem, qua singularem meæ erga sanctitatem tuam seruitutis affectum, si non implere, aliquo saltem indicio declarare possem. Qua de re superioribus mensibus beatitudine tua velut æstuantis desiderii mei præsaga, perdifficile mihi orandi in Lateranensi Concilio munus demandante, licet impar meis illud humeris viderem, more tamen amantium, non quid vires possent ingenii, sed quantum vis auderet amoris, inspiciens, quidquid benigne per te fuit iniunctum, prompta mentis hilaritate

ſuſcepi, ſuſceptumque hodie in auguſtiſſimo Lateranenſi templo coram inclyto ſanctitatis tuæ conſpectu, benigna grataque eius attentione pro viribus præſtiti. Et cum non ab re fore duxerim, vt quam aſtantibus voce protuleram, eam literis tibi vni, a quo omnium ſalus vnice pendet, perpetuo dedicarem: accipe, quæſo, meæ in te obſeruantiæ ac ſeruitutis qualecumque teſtimonium, eo præcipue animo, vt ſi quid forte aures, mentemque tuam minus grauiter vel ornate dictū offenderit, non temeritati, quam cum tanto periculo minime attentaſſem, ſed flagranti potius amori aſcribas, qui Hieronymo teſte, modum non habet, ordinem neſcit, menſuram ignorat. Si qua vero, non tam ex intima rhetorices officina, quam præcipuis hauſta theologis, legentem te oblectauerint, ea obedientiæ merito tribuas, cum diuinæ miſericordiæ munere factum ſit, vt quod optaui & volui, aliqua etiam ex parte poſſem. Reliquum ergo mihi eſt, dies noctesque clementiſſimum Deum orare, vt ſi dicendo expreſſerim quæ tu pro pietate in Deum, pro morum diſciplina, paciſque cultu in hac ipſa nona ſeſſione, ſacroſancto approbante Concilio, decreuiſti, vbique ab omnibus Chriſti fidelibus ſincere ac integerrime obſeruentur. Vale. Anno Christi 1514.

Oratio habita per reuerendum patrem dominum Antonium Puccium, cameræ apoſtolicæ clericum, in nona ſacroſancti Lateranenſis Concilii ſeſſione, tertio Nonas Maii, 1514.

Nullum tempus vnquam fuiſſe memini, pontifex maxime, patres ampliſſimi, & clariſſimi præſules, quo magis animum meum commotum, affectum, inflammatumque ſenſerim, quam hodie totum me apud ſanctitatem tuam de vniuerſo eccleſiæ Dei ſtatu verba facturum, commoueri, affici, inflammarique ſentio. Licet enim diuinæ maieſtatis tuæ conſpectus, rutilanti cuius fulgore imbecilles oculi mei caligant, tot ampliſſimorum patrum conſeſſus, quorum nemini ingenio vel ſapientia plurimarumque rerum peritia mereor comparari, ipſius denique pertractandæ rei magnitudo, quæ omnem ingenii vbertatem, omnem dicendi copiam, omne orationis genus excedit, non mediocriter me dicere incipientem terreat: recreat tamen, recreat, ac ſummopere animum meum reficit ratio

Anno Christi 1514. communis boni, quod ex sacrosancti istius Consessus consilio atque decreto vniuersæ Christianæ fidei, catholicæque ecclesiæ prouenturum spero, mihique omnino polliceor. Noster namque Deus Iesus a morte resurgens & in altum ascendens, vt cælestia inde dona mortalibus largiretur, si ecclesiæ sponsæ suæ, a qua corpore discesserat, pro ministerio exercendo, pro gente illuminanda, pro fide consummanda, quosdam concessit apostolos, prophetas aliquos, nonnullos euangelistas, doctores non paucos, pastores vero quamplurimos, nimirum ego velut Simeon alter animo & corpore debeo exultare, qui hodie non virtute propria excitatus, sed obedientiæ ratione compulsus, eo meruerim oraturus accedere, quo pro vniuersa tandem ecclesia Dei reformanda singulorum, quos dixi, sacros piosque successores ac imitatores, & iam frequentes video conuenisse, & frequentiores propediem conuenturos non dubito. Gaudeo igitur iure optimo, vtque conceptum a me gaudium vberiori plenitudine compleatur, duo dicturo mihi a beatitudine tua pontifex maxime bona horum amplissimorum patrum venia, concedi flagranter opto, humillimeque deposco. Primum, vt sacratissimæ Dei sponsæ, præsenti cuius corpori in melius reformando toto animi inhæres affectu, excellentiam, præcipuas deinde reformandi causas, pro mea, quantula sit, dicendi facultate, in medium afferam, quo conceptam animo tuo reformationem, & a nobis optatam diu, vehementissimeque speratam, omni studio, labore atque conatu prosequi non desistas. Sed antequam hæc aggrediar, per angelicam salutationem a beatissima Virgine opem suppliciter implorabo. Aue Maria gratia plena, &c.

Cupientibus nobis, beatissime pater, supernæ illius Ierusalem (quam recte liberam, communemque omnium matrem sacra testatur pagina) excellentiam admirabilemque gloriam & dignitatem accuratius indagare, tria potissimum consideratione attentioneque digna in mentem veniunt. Primum, quod gratuita dote a sponso prælecta, deinde spiritali & indiuidua copula illi coniuncta, beatissima postremo sobole fecunda mater effecta est. Vniuerso siquidem humano genere protoparentum nostrorum transgressione vanitati subiecto, eiusque rationabili intel-

lectu peccatorum caligine obscurato, ac diuinorum semi- Anno Christi 1514.
tam mandatorum prorsus oblito : impiaque cordis sui desperatione in omnem impudicitiam, turpitudinem, immunditiam prolapso, demerso atque defixo, sapientis Dei filius coomnipotenti & coæterno cum Patre sapientiæ suæ lumine in beneplacita paternæ voluntatis dispensatione perspiciens, mortales omnes non per alium quam per seipsum Filium ab æterno Deum, sed in extremo tempore hominem factum, inter Deum Patrem & homines mediatorem futurum, ipsi paternæ maiestati reconciliari oportere, cælestique gratia recreari, ac perenni demum cælorum hereditate donari, tam insigne misericordiæ ac pietatis, & dilectionis erga nos sacrificium vel in ipso crucis patibulo offerre non recusauit. Licet enim vnicam illam sponsam, cui per spiritale & castissimum matrimonium adueniente temporis plenitudine in odorem suauitatis insolubiliter iungendus erat, ita sordidam atque inopem conspicaretur, vt neque sordes eius humano more copia rerum delere, neque forma inopiam excusare posset, nimio tamen humanæ salutis ardore flagrans, antequam e paterno sinu prodiens, mundum ingrederetur, ad Patrem ipsum
Psal. 39. in throno conuersus clamauit : *Hostiam & oblationem noluisti, holocausta & pro peccato non postulasti, corpus autem ad-*
Hebr. 10. *aptasti mihi : tunc dixi, Ecce venio : in capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam.* Quam, obsecro, voluntatem ad nos veniens Iesus Dei filius facturus erat? Illam nempe, illam, qua prædestinatos adoptionis filios sanctificauit, cum sanctissimo illo corpore diuinæ suæ naturæ inuisibili Spiritus sancti artificio, de purissima Virginis carne aptato, in araque crucis vltro pro nobis oblato, de sacratissima ipsius corporis aqua sanguineque preciosissimo, gratuitam dotem, heu nimis caram, nimisque preciosam, ecclesiæ sponsæ suæ constituit atque confecit. Quo quidem lauacro, profluuioque dotali eamdem sponsam ab omni labe ita mundauit, omnique scientiæ ac sapientiæ thesauro locupletauit, vt omnium merito pulcerrima atque ditissima prædicari deberet, sacro illo testante eloquio : *Sicut li-*
Cant. 2. *lium inter spinas, ita amica mea inter filias.* ac rursus : *Multæ*
Prou. 31. *filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu vero supergressa es vniuersas.*
At per quam reputamus spiritalem copulam, tam sanctum

ANNO CHRISTI 1514. Christi & ecclesiæ matrimonium consummatum? per eam profecto, theologorum iudicio, qua non solum duo per mutuam coniunctionem caro vna, sed vnum potius in carne vna effecti sunt, canente sponsa: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. Id quod sacrum diuinumque mysterium præclarus ille vniuersarum gentium institutor vas electionis diuinitus contemplatus, magnum matrimonii sacramentum in Christo & ecclesia consummatum esse testatus est. Quippe qui tanta vnitatis vi, tamque indissolubili amoris nexu mutuo coniuncti sunt, ligati, atque constricti, vt non minus difficile iudicetur, a latere sponsi consortem eius ecclesiam segregari, quam sit etiam impossibile, Christum Iesum Saluatorem nostrum, aut hominem sine Deo interpretari, aut Deum sine homine intelligere, cum vtramque in se naturam pleniſſime contineat: nec aliquo modo Christus exprimi possit, quin Deus pariter atque homo, idemque mediator Dei & hominum exprimatur. Non est igitur mirum, tale tantumque matrimonium non modo secundum legem diuortium nullum pati, sed quod omnem naturæ ordinem, modum, consilium, institutum, atque decretum excedit, nec ipsa quidem temporali sponsi morte dirimi vllo modo potuisse. Siquidem mortales matrimonio coniungit Deus, quos licet homo separare non possit, mors tamen ipsa dirimit atque dissoluit. Matth. 19. Marc. 10. In Christi vero ecclesiæque matrimonio coniungitur ipse Deus, qui vt per se incorruptibilis & immortalis existens, ita incorruptibile & immortale matrimonium cum sponsa contrahens & consummans, insolubili eius amplexu atque consortio post mortem magis quam in præsenti vita potitus est. Quam sane mutuam, insolubilemque coniunctionem ascendente Iesu ad Patrem, vehementissime admirantes angeli conclamarunt: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Cant. 8. Sed quid mirum, cælestem sponsum, speciosum forma præ filiis hominum, perpetua indissolubilique copula cum sponsa sua in terra & in cælo coniunctum fuisse? cum mortales omnes vxoribus senio confectis, non alia fere quam prolis susceptæ gratia, diuturno earum consortio delectentur: ipse vero ex virgineo ac fecundissimo consortis suæ ventre, non quidem arescente vnquam vel senescente, sed viridi semper

atque integro permanente, eam suscepérit prolem, quæ numero, decore, gloria ceteras soboles antecellit. Abrahæ namque in aliena regione versanti, cui domestice primo de incarnatione Verbi, Spiritus sancti ministerio, factæ sunt promissiones, cælitus dictum est: *Multiplicabo semen tuum super numerum arenæ maris & stellæ cæli, & in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quidnam, obsecro, patres, tam ampla de futuro Abrahæ semine promissio innuebat? quid præmõstrabat? quid pollicebatur, nisi quod non in pluribus, sed in vno tantum semine, in ipso videlicet Dei hominumque mediatore Christo, & Dei & hominis filio, Deo pariter atque homine, mortales omnes diuinæ immortalitatis benedictione replendi erant, cum per fecundissimum ecclesiæ partum, vniuersum terrarum orbem Deo & Patri regenerandum, prolapsaque omnia siue cælestia, siue terrena in integrum restituendum, ac ipsas præcipue gentes a recta Dei semita alienatas, sanctorũ consuetudine destitutas, sine spe ambulantes, absque timore viuentes, & prorsus sine Deo in mundo hoc temere vagantes, illuminandum, erigendum, saluandumque properauit, vt merito dilectus ille discipulus, attonita visione in admirandum superni regni lumen absorptus, in diuina illa sua Apocalypsi cantarit: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, tribubus & linguis, stantes ante thronum.* Qua autem pulcritudine, quo decore, qua venustate redempti filii, & a superna illa Ierusalem adhuc peregrini, refulserint: quis tantæ ingenii perspicaciæ, tamque perspicuæ vbertatis eloquii vel posset mente concipere, vel oratione auderet attingere? Ii enim per hostiam corporis Christi semel oblatam in æternum sanctificati, non vltra carni & sanguini indulgere, prætereuntemque caduci sæculi figuram diligere, ac secundum principem & potestatem caliginosi huius aeris ambulare curantes, sed omni prorsus abnegata impietate, ad verum, vberem, ac salutarem sobrietatis, pietatis & iustitiæ cultum conuersi, audire de se meruerunt: *Fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei*; quippe qui diuinis illustrati fulgoribus, æternæque caritatis ardore succensi, de virtute in virtutem ambulando, in virum perfectum secundum mensuram plenitudinis ætatis Christi, vnanimi zelo euadere cupientes, magnificati inde & consum-

Gen. 22.

Apoc. 7.

Matth. 13.

Psalm. 83.

Ephes. 4.

ANNO CHRISTI 1514. consummati in opere ministerii, post miserrimum carnis suæ habitaculum dissolutum beatissima demum digni effecti gloria, illud quoque in cælesti regno de se dictum audierunt: *Beatus populus qui scit iubilationem:* quo sane iubilo ante regium thalamum psallentes & exultantes, alterno cantu clamare non cessant: *Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor & virtus & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum.* Hæc illa est sponsa, beatissime pater, de cuius excellentia ac dignitate in ipso orationis principio apud sanctitatem tuam pollicitus sum me verba facturum. Hæc, inquam, sponsa est, quæ omnium mater ecclesia dicitur, quam ab æterno cælestis eius sponsus vltronea sanguinis effusione sibi prouidit: prouisam lateri suo indissolubiliter copulauit: copulatam innumera, pulcerrima ac felicissima prole in perpetuum propagauit. Quid igitur oneris, quid officii, quid solicitudinis sanctitati tuæ incumbat, vt hanc sponsam pro dignitate regere, extollere, decorareque possis, etsi non parum ex his, quæ hactenus oratione perstrinxi, menti tuæ innotuisse arbitror, singulis tamen perspectis causis, quibus ad eiusdem diuinæ sponsæ regimen, decus atque salutem toto debeas animi studio inhærere, quod secundo me præstiturum obtuleram, tanto quidem id clarius innotescet, vt quantum ceteri ad comparandos honores fortunasque cumulandas, quantum ad otiosos dies in deliciis conterendos, quantum plerique ad humana studia exercenda, voluptatesque captandas, quantum ad ipsam animi corporisque requiem concedunt temporis, tantum tute ipse tibi ad recolendam, persuadendam, ac perficiendã totius ecclesiæ, Christianæque reipublicæ reformationem, sumendum impendendumque fore existimabis. Duæ mihi præcipuæ, beatissime pater, in mentem occurrunt causæ, quarum vna, vt inceptam ecclesiæ reformationem alacri animo prosequaris, inuitat: altera, ni hoc feceris, horrendum in Christianos omnes diuinæ vltionis iudicium comminatur. Cum hoc igitur vniuerso generi hominum fuerit a natura tributum, si qua in familia laus præcipua vel animi vel corporis præclare floruerit, hanc fere omnes illius stirpis cupidissime æmulãri, ea in primis tibi vni maximo pontifici offertur causa, qua vberrimũ ecclesiæ Dei fructum sis allaturus, præsens scilicet

Psalm. 88.

Apoc. 7.

sacrosanctum œcumenicum, augustumque Lateranense Concilium, maximi illius principis Iulii secundi prædecessoris tui prouidentia, opera, solicitudine inchoatum. Vt enim tu Leo pontifex, diuino numine annuente, in regale Romanorum pontificum genus consentientibus omnium suffragiis adscitus, totum in rebus agendis eorumdem maiorum tuorum consilium, grauitatem, sapientiam, prouidentiam, ac iudicium debeas imitari, illius tamen summi pontificis, cui egregiis tuis virtutum meritis successisti, clarissimum huius indicti Concilii munus tanto cordis affectu ardorisque studio amplecti ac prosequi debes, vt velut alter Hadrianus Nicolai successor, præclari huius muneris auctor potius, quam imitator, a Christianis omnibus iudiceris: cum præsertim ex ea hora, qua Saluatore Iesu in carne glorioſa & immortali super omnes cælos, obstupentibus angelis, ad Patris dexteram sublimato, sacratissimi eius discipuli pro vinea sabaoth excolenda in Spiritu sancto congregari cœperunt, nihil tam salutare, tamque magnificum & glorioſum in hanc ipsam omnium matrem militantem ecclesiam profectum esse nouerimus, quam quod ex sacrosancta œcumenicorum Conciliorum celebratione, tamquam ex peculiari Spiritus sancti aula, omniũ aromatum refertissima, diuinitus emanauit. Inde enim dispersæ dominicæ oues colliguntur, varii languores ac morbi dignoscuntur, opportuna languentibus remedia adhibentur, veritas totius Christianæ legis rationali cuique menti clarius innotescit, suauius insinuatur, verius persuadetur, tenacius imprimitur. Id quod in Iosue, si quis diligenter attenderit, figuratum percipiet, dum ait: *Congregati sunt omnes filii Israel in Silo, & fuit illis terra subiecta.* Propter quod pontifex maxime, si a perenni testataque maiorum tuorum Romanorum pontificum multiplici virtute non te degenerem, imo vero laudabilis totius eorum vitæ, consuetudinis, virtutis atque actionis verum singularemque imitatorem, ac expressorem præstare magnopere cupis, iam tui consilii est, tuæ sapientiæ, hoc vnum te decet, hoc, inquam, a tua potestate debetur, vt præclara tot Romanorum pontificum gesta tu vnus imitaturus, indictum iam biennio Concilium ad optatum vsque finem salubriter, honorificeque perducas. Id autem vt omnino

ANNO CHRISTI 1514.

Iosue 18.

Anno Christi 1514. perficias, suauis quoque illa ac periucunda proximæ sessionis memoria suadet, monet, hortatur, impellit, qua inconsutilis Christi tunica in varias forsan, ni Deus occurrisset, particulas discindenda, in pristinum suum inconsutilem statum per te vnum Leo X. est restituta. Tunc enim diuinæ misericordiæ beneficio, inauditæque mansuetudinis tuæ merito factum est, vt quorum ferox antea imperium timebatur, promptam obedientiam tui adspexerint oculi: quorum asperæ comminationes audiebantur, humiles preces tuæ perceperint aures: quorum truculenta vulnera formidabuntur, libentia oscula tui exceperint pedes: qui si in te vno vero atque legitimo Christi & Dei vicario, propheticum illud debuerit rursus impleri: *Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruient ei.* Quid est, obsecro, reliquum, nisi quod inuiolabili ecclesiæ vnitate procurata atque composita, tu Leo fortissime tamquam Dei zelotes, pro domus eius decore atque salute, liberius cuncta, feruentius singula, audentius vniuersa prosequaris? Iam nemo reclamat, nullus obsistit, omnes ad petram paruulos allisere, vtque illis tandem salutarem præbeas escam, omnes a te expectant. Quid enim flagrantius nobiscum simul optare debent, qui modo erant in ecclesia Dei hospites atque aduenæ, quam vt nunc fiant cum aliis per morum instaurationem sanctorum ciues & domestici Dei, superædificati supra fundamentum apostolorum & prophetarum in ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio crescit in templum sanctum, vtque omnes pariter in vno spiritu ad ipsum Deum & patrem tendentes, incomprehensibilem eius maiestatem & gloriam vno ore celebrare possimus? Excitare igitur, beatissime pater, excitare in hoc vnum præclarissimum ac saluberrimum Christianæ censuræ opus, ipsum amplectere; ipsum ad optatum vsque finem prosequere. Væ enim nobis. Quid autem nobis? id enim parum dixisse est. Væ, inquam, vniuersis Christi fidelibus, si tam raram futuri boni occasionem, si quod ne cogitandum quidem est, frustra labi permiseris. At dicet fortasse quispiam: Iam ecclesia Dei in integrum fidei, spei, caritatisque vinculum est restituta. Fateor. Iam vniuersum illius corpus vni capiti, hoc est, tibi subditum esse conspicitur. Et hoc summa cum alacritate affirmo. Iam omnes

Psalm. 73.

Ephes. 2.

vnum Deum, vnam fidem, vnum baptiſma, ipſam denique eccleſiæ vnitatem, extra cuius gremium quis conſtitutus veniam conſequi peccatorum nullo modo poteſt, & corde iuſte credunt, & ore ſalubriter confitentur: nihil horum inficior. Sed quid hæc, obſecro, emolumenti ſunt allatura, ſi reges, ſi principes Chriſtiani nobiliſſima eccleſiæ membra, temporali adhuc truculentoque gladio, (heu, heu miſeram noſtram nimiſque lacrymabilem tempeſtatem!) mutuo vexari, dilaniari, confici, ac miſerrime trucidari non deſiſtunt? Si vniuerſum orbem qua poſſum mente colluſtro, præcipue autem Italiam, Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Angliamque potiſſimas eius partes auro, argento, diuitiis, populis, armis, robore, ingenioque refertas animaduerto; quid vbique gentium, proh dolor! comperio, quod non vehementi me dolore affligat atque proſternat? imminentes inuicem hoſtium terrores, inuaſiones, incurſiones, impetus, prælia, direptiones, incendia, clades, ſtrageſque Chriſtianorum innumeras. Heu eſurientia principum corda, nondum innoxiis Chriſtianorum viſceribus ſatiata! heu ſitibundam terram, nondum de feruenti Chriſtiani cruoris gurgite tumefactam! heu cæcam dæmonum rabiem, nondum innumeris fidelium cladibus expletam! Vſquequo in humanam perniciem anhelatis, æſtuatis, ardetis? Quingentis Chriſtianorum millibus vigeſimo ab hinc anno, cruento gladio confoſſis atque proſtratis, adhuc eſuritis? adhuc ſititis? adhuc inhiatis? En, pater beatiſſime, qui nihil libentius facere ab ipſo matris vtero didiciſti, quam parcere inimicis: & qui tuam victor amari manſuetudinem quam virtutem vincendo formidari maluiſti: parce obſecro, filiis tuis, non corruptibili emptis auro vel argento, ſed precioſo ac viuifico Chriſti ſanguine e diabolica poteſtate redemptis. Euigila, quæſo, intende, enitere in ſaluberrimum componendæ pacis opus, quo perficiendo dum per legatos ac nuntios ſedulam impertiris operam, vt arma interim conquieſcant, a Chriſtiano ſanguine temperetur, expetendæ a cunctis induciæ ſtatuantur, omnem tuam auctoritatem decretumque interpone. Cum enim tantis in rebus tam arduiſque negotiis, principum animos non minus opinio famæ, quam ratio certa ad alterius vel contemptum, vel metum, vel odium, vel amorem ſoleat com-

Anno Christi 1514.

Anno Christi 1514. mouere, optatam hanc ipſam inter Chriſtianos pacem celerrime confectum iri ſperandum eſt. Sperandū dixi, imo, vt verius loquar, te huiuſmodi peragendæ pacis auctore tam caſto, tam pio, tam religioſo, conſtantiſſime affirmandum. Quippe cuius celeberrimum nomen apud Chriſtianos principes tantæ hucuſque fuit auctoritatis & gratiæ, vt quod tu pro communi omnium quiete, dignitate, ſalute decreueris, ratum gratumque omnes procul dubio ſint habituri; non ignari, omnem tibi vni in cælo & in terra traditam a Domino poteſtatem, vt non ſpiritualibus tantum viris, ſed terrenis quoque huius ſæculi poteſtatibus in cauſa communis boni ius dicere non pertimeſcas. Quod tum demum, vt ad alteram doloris cauſam iam deueniam, feliciſſime contigerit, ſi hoc potiſſimum tempore, cum omnis caro vitam ſuam corrupit, ſimulque omnes declinauerunt a recto, nec eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, ad vniuerſam Chriſtianæ religionis cenſuram, quo cœpiſti ardore procedas. O nos ignaros, o cæcos, o noſtrimet prorſus oblitos! qui iucundo temporalis pacis ſolatio perfrui volumus, horrendis æterni belli ſuppliciis cruciandi; qui humanam rabiem ſedari confidimus, iram omnipotentis Dei, ſuum in nos vibrantis gladium, ſubituri. Optas tu, ſumme pontifex, imo nihil te magis hoc optare affirmas, pacem inter Chriſtianos tuos a Domino impetrare? Internas noſtras vitiorum ſimultates attende, vt his ſedatis, quæ ſunt externa, pace ſuauiſſima perfruantur. Nam ſi te ad ſæcularem in primis hominum ſtatum diligentiſſime diſcutiendum conuerteris, quid in eis exiſtimas offenſum iri, niſi impietatem circa diuina fidei noſtræ myſteria, quæ aut curioſe perquirunt, aut leuiter derident, aut ſuperbe contemnunt, blaſphemiam ac deteſtationem aduerſus Deum horribilem, in ſanctoſque abominabilem, detractionem in paſtores ſacros impiam atque nefandam, ſacrarum cenſurarum contemptum, ſacrilegia, rerumque diuinarum occupationem ac ſubreptionem, auaritiam in comparandis fenore opibus damnatis vix Hebræis permiſſo, turpitudinem in quouis obſcœnitatis genere inauditam, odium inextinguibile, ſumendæque pro acceptis iniuriis vindictæ flagrantiſſimam cupiditatem; vnde

Gen. 6. *Pſalm. 13.*

frequentes rixæ, quotidiana vulnera, homicidiaque crebra proueniunt, extremam denique in quouis flagitio ac facinore perpetrando licentiam? Quæ quidem omnia tanto acerbiori animum tuum dolore conficient, quanto ea in hominibus diuturniora, grauiora, impudentioraque esse conspexeris. Quid * si in obligationem obseruandæ virtuti & honestati religiosorum gradum mentem intenderis, nonne ibi quamplurima deprehendes, quæ in maximum animarum fidelium exemplum, & ex eo scandalum vergere dignoscuntur? Vt enim præcipuam illam doloris causam silentio præteream, inter eosdem ipsos non minus præcepto quam nomine fratres, quos partim conuentuales, partim obseruantes trito vocabulo nuncupamus, tam magnum chaos interuenisse, vt qui obseruantum ordine non censentur, religiosorum numero excludantur, cum tamen nomen ipsum conuentuale, modo reliquum vitæ respondeat, purgatis auribus nil nisi pudicum, sanctumque repræsentet: quonam mœrore, quo gemitu, quo singultu reliquum sacrarum religionum statum expressero? Si enim vel temporum malignitate vel dissimilitudine voluntatum eo deuentum est, vt necessario in ecclesia Dei conuentus vnus, vnaque obseruantia sit futura, quod ego maxime deploro: cur, quæso, obseruantia ipsa in plures rursus obseruantias scinditur, diuellitur ac laceratur? vt dum vni regendo corpori, plura quidem capita, quam vix membra in ipso corpore sint regenda, præesse cernamus, veluti vnum in plures riuulos deriuatum flumen facilius exsiccari contingit, ita omnem spiritalem eorum profectum non mediocriter extenuari timendum est, monente Apostolo Christicolas omnes, eos præcipue, qui & habitu & disciplina in vnum conuenerint, eodem sensu, eademque scientia abundare, idipsum dicere, nullam inter eos schismatis causam fouere, vnum denique corpus atque vnum spiritum existentes, vnam scilicet obedientiam, vnamque caritatem profitentes, ad optatum supernæ vocationis brauium properare debere. Ex quo fit, pater beatissime, vt si hodie sub diuersis patrum vexillis fideli cuique merere liceat, ne forte in vanum Propheta cantarit: *Astitit regina a dextris eius in vestitu deaurato circumdata varietate*: illud quidem

Anno Christi 1514.

1. Cor. 1.

Psalm. 44.

Anno Christi 1514. pro euangelica disciplina seruanda omnino expediat, vt cuilibet eorum corpori suum præsit caput, non autem vni capiti plura subinde capita ambitiose vel monstruose potius astruantur. Nam si ad monasticum inde ordinem te contuleris, citra primam illam obseruantiæ conuentusque dissonantiam, ac nonnullas etiam inter obseruantes ipsos obedientiæ contentiones atque scissuras, ne qua præcipua ignorantiæ, ambitionis, auaritiæ ac solicitudinis temporalis labes, intimis eorum præcordiis medullitus inhæserit, etiam atque etiam animaduertendum, inspiciendumque pro tua sapientia iudicabis. Vt autem de femineo deuotoque sexu, miserabilis cuius status ex conditione viri, qui caput est mulieris, attendi potest, quæ dicenda se offerunt, ex industria prætereram: iam obsecro, ad eos, qui in sortem Domini vocati, clericalique insigniti charactere, præcipuam animarum curam ac solicitudinem gerunt, omnem mentem atque cogitationem coniicito. Quid enim inde regendis ouibus documenti, quid vtilitatis, quid salutis sperari possit, clarius atque apertius conspicaberis. Heu, heu miseros patres, talia ex ore meo de filiis audituros! sed me longe miseriorem, propriis eadem labiis prolaturum, miserrimos autem eos, qui & vobis audiendi occasionem, & mihi dicendi causam suis operibus præbuere. Eo deuenit insignis noster clericorum ordo, vt contempto acceptabili tempore, tantaque dierum nostrorum neglecta salute, caritatis regnum vsque adeo destruxerimus, cupiditatis vero tyrannidem auxerimus, vt ne præclaram hanc ipsam militiam nostram coram diuina maiestate, dictis factisque mentiamur, & vobis pro vestræ in nos pietatis officio diligentissime aduertendum, & nobis ex pungenti conscientiæ stimulo vehementissime sit timendum. Neque enim modo, vt Augustini vtar verbis, mendacium illud est, falsa proferre, sed episcopum se aut sacerdotem, vel clericum profiteri, & contraria huic ordini operari.

Sacra parumper volumina reuoluere placeat, vetusta patrum scita perscrutari, omnem denique Canonum tenorem repetere: nonne clericum adulatorem impiumque, proximi proditorem, maledicum, fratrisque sui peruersum insimulatorem, inuidum, pacisque alienæ seditio-

sum perturbatorem, ambitiosum, sacrarumque dignitatum sacrilegum vsurpatorem, adulterum, ceterarumque obscœnitatum turpissimum perpetratorem, crudelem per se, iniuriarumque suarum sæuissimum vindicatorem, feneratorem, turpiumque lucrorum nefandissimum quæstorem: nonne, inquam, huiusmodi omnes clericos, aut ad sacerdotium non promoueri, aut promotos partim ab ordine sacerdotali deponi, partim vero suspendi omnino debere, eorumdem sacrorum voluminum, scitorumque patrum, ac priscorum Canonum summa auctoritate, inuiolabilique decreto didicimus? Quod si ecclesiæ matris nostræ benignitas, prouidis suis consiliis a tanta priscorum Canonum seueritate aliquantulum non temperasset, quonam eiusmodi clerici tempestate nostra confugerent? quo conscium sibi tot scelerum faciem obuoluerent? cuius opem ac misericordiam implorare non formidarent? Nam dum omnibus ecclesiæ gradibus ita discussis, ad Vrbem ipsam, quam Babylonem apostolorum princeps diuino afflatus Spiritu nuncupauit, aciem mentis coniicio, eiusque incolas pastores, qui quotidie per vniuersum terrarum orbem animarum saluti præficiuntur, tantorum causam errorum interrogare contendo: ecce diuinam illam sponsam Ierusalem supernam, non mystici sui corporis splendore fulgentem, aut ipsius sponsi humanitatis fulgore splendentem, sed lugubri indutam veste, totam squalore confectam, lacrymisque perfusam, ad infimum suum corpus, quod hac fidelium vnitate repræsentatur, visitandum descendere, nescio quo intuitu videor mihi conspicere, taliaque ad sacratissimos pontificis pedes sparsis crinibus prouolutam, multo cum gemitu deplorantem audire: Hæccine ego, suauissime sponse, vnica illa dilecta tua, atque formosa, quæ iam clamare possum, *Noli me considerare quia fusca sum?* Hæccine inclyta illa mea celebrisque domus, quam pene desertam, ac situ squalentem a nemine video frequentari? Hæccine florida illa vinea, quam vt produceret vuas expectans, eam spinas, tribulosque produxisse perspicio? Vbi ille, iucundissime sponse, hortus meus irriguus? Vbi lilia mea candentia? Vbi rosæ immarcessibiles? Nonne hæc omnia gloria Libani cum decore Carmeli a me transeunte, euanuere? Vbi pa-

Anno Christi 1514.

1. *Petr.* 5.

Cant. 1.

Isa. 5.

scua,

Anno Christi 1514. scua gregis mei, quæ tamquam arua deserti arefacta perlustro? Vbi pastores gregis, quos præesse potius quam prodesse, dispergere quam colligere, mactare quam saluare intelligo? Vbi demum carissimi illi filii, quos genui, quos educaui, quos foui, quos decoraui? Illi autem spreuerunt me, & aduersus me vnam tamquam paruulam, maternaque vbera non habentem, cornua erexere. Accurre pater, succurre fili, occurre sponse: ego enim te, vt Dei vicarium patrem colo, vt hominem filium diligo, vt ecclesiæ vniuersæ præpositum sponsum amplector. *Miseremini autem, miseremini mei, vos quoque amici mei, quia filii dereliquerunt me, & ex carissimis meis, non est qui consoletur me.* Audistis, patres, matris vestræ singultus, lacrymas conspexistis, vociferationes intellexistis, implorationem misericordiæ, pietatisque vestræ animaduertistis. Eia agite, obseruandi antistites, vos primo nunc appellare iuuat. Omnem, quæso, cogitationem, vigilantiam, consilium, industriam, operam atque conatum in hanc ipsam tam necessariam, tamque salubrem morum reformationem intendite, adhibete, configite ac locate. Quid sobrietatis, quid decoris, quid pudicitiæ, quid hospitalitatis, quid sapientiæ, quid rectitudinis ac iustitiæ de quouis perfecto pastore optatur, speratur ac prædicatur? totum id in ceteros Christi fideles, & vitæ candore & verbo doctrinæ, diuinæ cooperantis gratiæ largitate transfundite, huius præsertim amplissimi senatus fauente consilio, auctoritate, decreto. Vos enim iam appello, patres amplissimi, vos obtestor, vos imploro, vos, inquam, prouidi totius Christiani orbis moderatores, diuini Christianæ fidei consultores, proprii ac singulares Romani pontificis electores, dilectissimi sedis apostolicæ filii, amplum Romanæ ecclesiæ gremium, latissimumque omnium bonorum perfugium, firmissimi denique terrarum cardines, solidissimæque columnæ, quibus vniuersum nostræ fidei ædificium suffultum atque firmatum, in consummationem vsque sæculi perdurabit immobile. Tantam, obsecro, vestri ordinis dignitatem perpendite, ne si forte eam, vestrique gregis salutem singuli neglexeritis, nobilissima cuiusque vestrum anima ante horrendum Christi tribunal, vel inuita cogatur audire: *Si ignoras te, o pulcerrima* Ioh. 19. Thren. 1. Cant. 1.

inter mulieres, egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. Vt autem dignitatem hanc ipsam vestram & animo cognoscatis & opere comprobetis, quod in humanis studiis, quod in religione, quod denique in vniuerso Romano, Christianoque clero, salutari ac necessaria indiget discussione, censura, institutione, pullulantium scilicet hæreseon extirpatio, morum disciplina, regularis obedientiæ vnitas, clericalis amictus institutum, sacrorum initiatio, multiiuga sacerdotiorum collatio, animarum cura, pastorum præsentia, diœceseon visitatio, annua episcopalium Synodorum congregatio, frequens metropolitanorum Conciliorum celebratio, hæc omnia diligentia, consilio, integritateque vestra discutite, castigate, componite. Nisi enim hoc ipso Concilii tempore, nisi per vos, nisi sub tanto animarum nostrarum episcopo atque pastore, & famam nostram, quæ fere prorsus amissa est, recuperauerimus, & salutem ipsam, quæ spe exigua, extremaque pendet, retinuerimus: nihil est præterea quo confugere, aut in quo sperare possimus. Verum vt alacriori tandem animo ad hanc ipsam morum institutionem suscipiendam singuli conuertamur, recordare, obsecro, Leo sanctissime, recole atque considera, quam inæstimabili dotis precio nostra superna mater ecclesia sancta vnigenito Dei Filio desponsata, quam insolubili copula cum eo coniuncta, quam præclara sobole fecunda mater effecta sit. Contemplare singulas vniuersasque causas, quæ vt pro eo ecclesiæ corpore, quod nos sumus, instituendo ac reformando, omnes animi vires intendas, cunctosque industriæ neruos adhibeas, partim alliciunt & inuitant, partim vero stimulant atque impellunt. Tu quidem in celebri & florida ciuitate natus, ex sapientissimis parentibus ortus, ac eximiis animi dotibus excellens, & inter eruditissimos homines, liberaliaque studia nutritus, meritoque, nondum puerilibus annis egressus, cardinea dignitate ornatus, inter sacra arduaque negotia diutissime versatus, tanta, præter naturæ bonitatem, & rerum experientiam, ingenii gloria excelluisti, vt occurrente Romani pontificis obitu, sic ascensus tuus ad summum istum pontificatum celebraretur, quod veluti cetera in te præclara fama in-

Anno Christi 1514.

ANNO CHRISTI 1514 genii superabat, ita ingenii famam expectatio tantæ dignitatis, expectationem vero assumptio ipsa mirabiliter superaret, acclamantibus cunctis: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit te.* Psalm. 117. Ne duriorem autem humeris tuis conditionem, quam ferre possis, hæc omnia imponere videantur; ego ille, qui nihil horum sine magna cura, pietate ac reuerentia supremæ dignitatis tuæ, sacrosanctique huius amplissimi ordinis, ac vniuersi ecclesiastici gradus locutus sum, prædico, clamo, denuntio, & si per viscera Iesu Christi obtestari te semel licet, nunc vtique obtestor: Concitare atque exurge, Sion matrem nostram sponsamque tuam circumda, ipsam complectere, in turribus eius mirabilia Dei enarra, fidelium corda virtute instrue atque compone. Vrbem primum, vt iudicium incipiat a domo Domini: inde orbem disciplinæ tuæ censura in pristinum fidei, spei, caritatisque cultum restitue. Omnia namque Christianæ reipublicæ iura, singula bonorum perfugia, innocentum præsidia, pœnitentium merita, malorum supplicia, omnis denique temporum præteritorum memoria, ratio præsentium, spes futurorum, vt in tua hodie potestate, in tua sententia, in tuo iudicio sunt posita atque defixa; ita & per te vnum, si partim recuperata, partim vero fuerint conseruata, iam pacate omnia se inter Christianos habebunt. Iam Deo reconciliati, vnanimi consilio atque ardore in perfidos ac immanes Christiani nominis hostes bellum & propulsabimus & aggrediemur. Iam victricem classem & exercitum glorioſum Constantinopolim & Ierusalem versus, cursu prospero, Deo fauente dirigemus: propheticum illud memorantes & concinentes: *Introibimus in tabernaculum Dei, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Psalm. 131. Iam te inuicto nobiscum leone pugnante, vniuersis tandem corporis & animæ hostibus debellatis, deuictis atque consumptis sub felici faustoque beatitudinis tuæ vexillo, supernam illam Ierusalem introeuntes, ac simul cum sanctis apostolis, prophetis, euangelistis, doctoribus atque pastoribus diuinæ hereditatis effecti participes, atque regium thalamum decantabimus: *Regi sæculorum, immortali & inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* 1. Tim. 1. Dixi.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoquarto, indictione ſecunda, die vero vigeſimaſexta menſis Nouembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno ſecundo, præfatus ſanctiſſimus dominus noſter ex certis cauſis vrgentiſſimis, & præſertim quia ea quæ in decima ſeſſione determinari debent, non fuerunt adhuc abſoluta per reuerendiſſimos dominos cardinales & congregationes prælatorum, in quibus ea diſcutiuntur; ideo de conſilio præfatorum reuerendiſſimorum cardinalium decimam ſeſſionem ad diem Veneris poſt feſtum ſancti Benedicti proxime futuri, quæ erit dies vigeſimatertia Martii anni ſequentis, prorogauit, prout in ſchedula prorogationis continetur, quæ legitime affixa, & per curſores executa fuit. Anno Christi 1514.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoquinto, indictione tertia, die vero vigeſimaſecunda menſis Martii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, diſcreti viri Franciſcus Vacca, & Enrardus Duuiuier, præfati ſanctiſſimi domini noſtri curſores, in valuis baſilicæ principis apoſtolorum de Vrbe & Lateranenſis eccleſiarum quaſdam literas prorogationis affixerunt & publicauerunt tenoris infra ſcripti. Anno Christi 1515.

Leo, &c.

Licet alias decimam ſeſſionem continuationis celebrationis ſacri Lateranenſis Concilii, Kalendis Decembris in vltima nona ſeſſione, ſacro approbante Concilio, per nos indictam, ex certis cauſis tunc expreſſis, ad diem Veneris poſt feſtum ſancti Benedicti proxime præteriti, quæ erit dies vigeſimatertia Martii præſentis menſis, de fratrum noſtrorum conſilio prorogauerimus & extenderimus, prorogatamque & extenſam eſſe omnibus nuntiauerimus: quia tamen ea, quæ in dicta decima ſeſſione determinari debent, matura indigent diſcuſſione, & per congregationes ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium & prælatorum, in quibus ea diſcutiuntur, non fuerunt adhuc abſoluta: eapropter prorogationem decimæ ſeſſionis huiuſmodi de ſimili fratrum noſtrorum conſilio, ad tertium nonas Maii, quæ erit dies quarta menſis Maii pro-

Anno Christi 1515. xime futuri, etiam prorogamus & extendimus, prorogatamque & extensam etiam omnibus nuntiamus.

Placet. I.

Anno a natiuitate domini 1515. indictione tertia, die vero vigesimasecunda mensis Martii, pontificatus sanctissimi domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi, anno tertio, suprascriptæ literæ fuerunt affixæ & publicatæ in valuis basilicæ principis apostolorũ sancti Petri de Vrbe, ac in valuis ecclesiæ Lateranensis per me Franciscum Vacca, sanctissimi Domini nostri papæ cursorem.

Enrardus Duuiuier magister cursorum.

Anno a natiuitate domini 1515. indictione tertia, die vero vigesimasexta mensis Aprilis, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, reuerendissimus in Christo pater & dominus dominus Antonius tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, de Monte vulgariter nuncupatus, nobis notariis & scribis sacri Concilii quasdam literas saluiconductus ducis Ianuensis de mandato præfati sanctissimi domini nostri tradidit, mandans nobis, vt eas magnificis oratoribus Christianissimi regis Franciæ traderemus, seu tradi faceremus, & eisdem dicere faceremus, de mandato præfati sanctissimi domini, vt eas prælatis Gallicanæ ecclesiæ mitterent, ad effectum, vt volentes, & debentes venire ad sacrum Concilium, tute & secure possent venire. Quas quidem literas saluiconductus nos Bernardus Sculteti, & Bernardinus de Contreras notarii & scribæ infra scripti, per duos testes recognosci fecimus, & easdem literas sic recognitas, cum earum recognitione, a tergo venerabili viro magistro Enrardo Duuiuier, sanctissimi domini nostri papæ magistro cursorum dedimus, vt eas supradictis magnificis oratoribus Christianissimi regis Franciæ per duos cursores tradi faceret.

Die vero Sabbati vigesimaoctaua mensis Aprilis eiusdem anni, discreti viri Ioannes Bernardi, & Ioannes Duueti cursores, præfatas literas saluiconductus se magnificis oratoribus Christianissimi regis Franciæ præsentasse & intimasse, ac idem dimisisse eis, nobis notariis, prout in schedula eorum manibus subscripta, retulerunt.

Tenor autem literarum saluiconductus, de quo supra fit mentio, talis est: ANNO CHRIST. 1515.

Octauianus de Camposregoso, Dei gratia Genuensis dux, & populi defensor.

Literis sanctissimi domini nostri moniti, harum nostrarum auctoritate damus, concedimus, & impartimur tutum, amplum, validum & generalem saluumconductum, omnimodamque fidentiam, & liberam facultatem quibuscumque prælatis Gallicis, & aliis cuiusuis nationis vocatis a summo pontifice ad sacrum Lateranense Concilium, nec non eorum seruitoribus, equitaturis, bulgiis, valisiis, bonis & rebus quibuscumque, transeundo per totum territorium, & districtum Genuæ, tam mari quam terra, sibique per transitum morandi, & pro libito discedendi, ac redeundi tute, libere & impune, omnique impedimento & molestia reali & personali cessante, penituque remota, non obstantibus aliquibus guerris, odiis, inimicitiis, controuersiis & differentiis inter nos, & commune Genuensis ex vna parte, & alios quoscumque, sint qui velint, ex altera, vertentibus, seu quæ in posterum verti possent, damnis, præliis, iniuriis, & offensionibus cuiusque Genuensis per quemuis illatis, vel in ferendis, represaliisque seu represaliarum literis concessis, vel concedendis, nec aliis obstantiis quibuscumque, etiam si talia forent de quibus oporteret mentionem facere specialem, quæ pro specificatis habeantur. Mandantes quibuscumque officialibus & subditis totius territorii Genuensis tam in mari, quam in terra, vt has nostras saluiconductus literas obseruent, faciantque ab omnibus inuiolabiliter obseruari sub pœna indignationis nostræ. In quorum testimonium præsentes fieri iussimus & registrari, nostrique sigilli impressione muniri.

Datum Genuæ in palatio ducali, die 22. Martii 1515.

Idem Octauianus.

Simon.

Tenor vero recognitionis talis est:

Die Iouis vigesimasexta Aprilis 1515. constituti in domo dominorum Bartholomæi & Eduardi Doria mercatorũ Ianuensiũ, Romanam curiam sequentiũ dominus Eduardus præfatus, & dominus Thomas Pecunia, ciues & mercato-

Anno Christi 1515. res Ianuenſe medio eorum iuramento recognouerunt, & ſe recognoſcere dixerunt manum & perſonam illuſtriſſimi domini ducis Ianuenſis Octauiani de Campofregoſo, manum & perſonam cancellarii, & ſigillum eiuſdem ducis in retroſcriptis literis appoſitum, &c. Et dixerunt eſſe illorum, quorum inibi eſſe dicuntur. Ita eſt. B. de Contreras. Ita eſt. B. Sculteti.

Tenor vero intimationis.

Anno a natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die vero Sabbati vigeſima octaua menſis Aprilis, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, originales literæ paſſus præſentatæ & intimatæ ac dimiſſæ fuerũt illuſtriſſimis dominis de Solier, & Noſtromars, oratoribus Chriſtianiſſimi regis Franciæ, cuius præſens copia extracta & collationata fuit a ſuo proprio originali per nos Ioannem Bernardi, & Ioannem Duueti curſores. Enrardus Duuiuier magiſter curſorum.

Anno a natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die vero ſecunda menſis Maii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, fuit congregatio reuerendiſſimorum dominorum cardinalium, & omnium prælatorum exiſtentium in curia, & intereſſe volentium in palatio apoſtolico in ſuperiori capella. In qua interfuit ſanctiſſimus dominus noſter præfatus, & interfuerunt cardinales numero viginti & vnus, & prælati numero ſexaginta & ſeptem. Et fuerunt lectæ per reuerendum patrem dominum Thomam Phædram ſecretarium Concilii ſchedulæ proponendæ in proxima ſeſſione. Et fuerunt ab omnibus approbatæ, & poſt aliqualem & maturam diſcuſſionem ſuper aliquibus ex ipſis, tandem votatæ & approbatæ ad Dei omnipotentis laudem, & eccleſiæ exaltationem.

SESSIO X.

Anno a natiuitate Domini 1515. die vero Veneris quarta menſis Maii, indictione tertia, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ X. anno tertio fuit celebrata decima ſeſſio ſacroſancti Concilii generalis in eccleſia Lateranenſi in loco ſolito, in qua fuit præfatus ſanctiſſimus

dominus noſter,& fuerunt præſentes infra ſcripti reuerendiſſimi cardinales, patriarchæ & archiepiſcopi, & epiſcopi, ac principum oratores, ac illuſtres domini, & barones, videlicet: Anno Christi 1512.

Epiſcopi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Raphael Oſtienſis.
Reuerendiſſimus dominus Bernardinus Sabinenſis.
Reuerendiſſimus dominus Dominicus Portuenſis.
Reuerendiſſimus dominus Franciſcus Tiburtinenſis.
Reuerendiſſimus dominus Marcus Præneſtinus.

Presbyteri cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, Surrentinus.
Reuerendiſſimus dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus dominus Hadrianus tituli ſancti Chryſogoni.
Reuerendiſſimus dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.
Reuerendiſſimus dominus Antonius ſanctæ Praxedis.
Reuerendiſſimus dominus Petrus tituli ſancti Euſebii, Anconitanus.
Reuerendiſſimus dominus Achilles tituli ſancti Sixti.
Reuerendiſſimus dominus Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.
Reuerendiſſimus dominus Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Fridericus de ſancto Seuerino, ſancti Angeli.
Reuerendiſſimus dominus Hippolytus ſanctæ Luciæ in Silice.
Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.
Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſimus dominus Marcus ſanctæ Mariæ in Via lata, de Corneliis.
Reuerendiſſimus dominus Alphonſus ſancti Theodori.
Reuerendiſſimus dominus Iulius ſanctæ Mariæ de nauicula.
Reuerendiſſimus dominus Bernardus ſanctæ Mariæ in porticu.
Reuerendiſſimus dominus Innocentius ſanctorum Coſmæ & Damiani.

Patriarchæ & aſsiſtentes papæ, & oratores.

Reuerendus pater dominus Cæſar patriarcha Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Conſanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.

Reue-

ANNO CHRISTI 1515. Reuerendus pater dominus Robertus Rhegienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciſcus Taurinenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Caullicenſis.
Reuerendus pater dominus Pompeius Reatinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Militenſis.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Siluester Vuigornienſis epiſcopus, orator illuſtriſſimi regis Angliæ.
Reuerendus pater dominus Ioannes Gneznenſis archiepiſcopus, orator illuſtriſſimi Sigiſmundi Poloniæ regis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus epiſcopus Maurianenſis, orator ducis Sabaudiæ.
Reuerendus pater dominus Bertrandus Adrienſis epiſcopus, orator ducis Ferrariæ.

Archiepiſcopi.

Reuerendus pater dominus Stephanus Patracenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Orlandus Auenionenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Monembaſienſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Surrentinus.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Gabriel Barenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Turritanus.
Reuerendus pater dominus Alexander Viennenſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Athenienſis.

Epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Iannotius Troianus.
Reuerendus pater dominus Aloyſius Parentinus.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Iuſtinopolitanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Aquilanus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbienſis.
Reuerendus pater dominus Marinus Cenetenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Bidunenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Fauentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Sibinicenſis.
Reuerendus pater dominus Paris Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Siluius Boianenſis.
Reuerendus pater dominus Marinus Caſſinenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonenſis.
Reuerendus pater dominus Vaſinius Placentinus.

Anno Christi 1513.

Reuerendus pater dominus Aloysius Interamnensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Nannetensis.
Reuerendus pater dominus Marius Vgentinus.
Reuerendus pater dominus Iustinianus Amerinus.
Reuerendus pater dominus Hugo Reginensis.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Montis viridis.
Reuerendus pater dominus Aloysius sancti Marci.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chiensis.
Reuerendus pater dominus Paulus Forosempronienſis.
Reuerendus pater dominus Christophorus Cæsenatensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Marianensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Nicienſis.
Reuerendus pater dominus Antonius Calinensis.
Reuerendus pater dominus Philippus Aiacenus.
Reuerendus pater dominus Theseus Racanatenus.
Reuerendus pater dominus Matthæus Vmbriaticensis.
Reuerendus pater dominus Scabonius Imolensis.
Reuerendus pater dominus Gisbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Arianensis.
Reuerendus pater dominus Augustinus Perusinus.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Veuerensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Franciscus Vestanus.
Reuerendus pater dominus Alexander Vrbeuetanus.
Reuerendus pater dominus Angelus Britonorienſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Signinus.
Reuerendus pater dominus Paulus Esinensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Ansarensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Casertanus.
Reuerendus pater dominus Augustinus Agrienſis.
Reuerendus pater dominus Guarrinus Nucerinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vrgellensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Marsicanus.
Reuerendus pater dominus Natalis Vigilienſis.
Reuerendus pater dominus Siluius Comaclenſis.
Reuerendus pater dominus Valentinus Pennensis.
Reuerendus pater dominus Thomas Lechlienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Ceruienſis.
Reuerendus pater dominus Lactantius Suanensis.
Reuerendus pater dominus Marcus Senogallienſis.
Reuerendus pater dominus Laurentius Dulcinensis.
Reuerendus pater dominus Sixtus Salutiarum.
Reuerendus pater dominus Zacharias Terracinensis.
Reuerendus pater dominus Euangelista Caiacensis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Agrigentinus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Asculanus.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1515.

Oratores.

Illustris dominus Albertus de Carpi, serenissimi Maximiliani electi imperatoris orator.
Magnificus dominus Ludouicus Solier, orator Christianissimi regis Franciæ.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis Hispaniæ.
Reuerendus pater dominus Michael Brut, illustrissimi regis Portugalliæ orator.
Magnificus dominus Marinus Georgius, dominii Venetorum orator.
Magnificus dominus Marinus Charatius, illustris ducis Mediolanensis orator.
Magnificus dominus Franciscus Victorius, dominii Florentinorum orator.
Illustris dominus Ioannes Filibertus de Palude, comes de Iaes, & reuerendus pater dominus Petrus de Baonia, illustrissimi domini ducis Sabaudiæ oratores.

Senator, conseruatores, illustres domini temporales.

Magnificus dominus Iacobus senator Vrbis.
Illustris dominus Prosper de Columna, dux Caniæ.
Illustris dominus Marcus Antonius de Columna.
Illustris dominus Ludouicus de Vrsinis, comes Petiliani.
Illustris dominus Nicolaus Volski, miles Polonus.
Illustris dominus Laurentius de Satmat.
Illustris dominus Mutius de Columna.
Illustris dominus Ioannes Franciscus de Columna.
Magnificus dominus Euangelista Magdalenæ, conseruator Vrbis.
Magnificus dominus Marius de Crescentiis, conseruator Vrbis; & quamplures alii nobiles & milites Hierosolymitani.

Celebrata Missa per reuerendum in Christo patrem Ioannem archiepiscopũ Gneznensem oratorem regis Poloniæ, & habita oratione per reuerendum patrem dominum Stephanum archiepiscopum Patracensem, quæ iuxta morem infra ponetur. Et cantato euangelio per reuerendissimum dominum Alexandrum sancti Eustachii diaconum cardinalem secundum Matthæum, quod incipit: *Dixit Iesus parabolam hanc: Simile est regnum cælorum homini regi*, &c. Et cantatis orationibus consuetis, & hymno, Veni creator, per præfatum sanctissimum dominum nostrum Matth. 18.

præscripti oratores illustrissimi ducis Sabaudiæ dederunt præfato sanctissimo domino nostro mandatum præfati illustrissimi ducis ad interessendum nomine suo in sacrosancto Lateranensi Concilio. Et idem sanctissimus dedit illud reuerendo patri domino Thomæ Phædra legendum in ambone. Qui ascendens ambonem, legit illud alta & intelligibili voce. Quo perlecto præfati oratores accesserunt ad pedes sanctitatis suæ, & genibus flexis osculati sunt beatissimos pedes. Deinde exclusis illis qui de more interesse non debent, & clausis portis Concilii, reuerendus pater dominus Bertrandus episcopus Adrienſis ascendit ambonem, & legit schedulam super confirmatione montis pietatis; cuius tenor talis est: Actor. Concil. 193.

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Inter multiplices nostræ solicitudinis curas, illam in primis suscipere pro nostro pastorali officio debemus, vt quæ salubria, & laudabilia, ac catholicæ fidei consona, & bonis moribus conformia, nostro tempore non solum enucleentur, verum etiam ad posteros propagentur: & quæ materiam scandali præbere possent, penitus succidantur, & radicitus extirpentur, nec pullulare vsquam sinantur, ea in agro dominico & vinea Domini sabaoth dumtaxat conseri permittendo, quibus fidelium mentes pasci spiritualiter possint, eradicatis zizaniis & oleastri sterilitate succisa. Sane cum olim inter nonnullos dilectos filios sacræ theologiæ magistros, ac iuris vtriusque doctores, controuersiam quamdam non sine populorum scandalo & murmuratione exortam & nuper his diebus innouatam esse compererimus circa pauperum releuationem, in mutuis eis publica auctoritate faciendis, qui montes pietatis vulgo appellantur, quique in multis Italiæ ciuitatibus ad subueniendum per huiusmodi mutuum pauperum inopiæ, ne vsurarum voragine deglutiantur, a ciuitatum magistratibus & aliis Christi fidelibus sunt instituti, atque a sanctis viris diuini verbi præconibus, & laudati, & persuasi, ac a nonnullis etiam summis pontificibus prædecessoribus nostris probati & confirmati sint, ne præfati montes a Christiano dogmate dissonantes, vel non

Anno Christi 1515. vtraque parte diuersimode sentiente atque prædicante. Nonnullis enim magistris & doctoribus dicentibus eos montes non esse licitos, in quibus aliquid vltra sortem pro libra, decurso certo tempore per ministros huius montis ab ipsis pauperibus, quibus mutuum datur, exigitur, & propterea ab vsurarum crimine iniustitiave, seu ab aliqua certi specie mali mundos non euadere, cum Dominus noster, Luca euangelista attestante, aperto nos præcepto obstrinxerit, ne ex dato mutuo quidquam vltra sortem sperare debeamus. Ea enim propria est vsurarum interpretatio, quando videlicet ex vsu res, quæ non germinat, nullo labore, nullo sumptu, nullove periculo lucrum fœtusque conquiri studetur. Addebant etiam iidem magistri & doctores, in his montibus neque commutatiuæ neque distributiuæ iustitiæ fieri satis, cum tamen iustitiæ terminos contractus huiusmodi excedere non debeant, si debeant approbari: idque præterea probare nitebantur, quia impensæ pro huiusmodi montium conseruatione a pluribus, vt aiunt, debitæ a solis pauperibus, quibus mutuum datur, extorqueantur: pluraque interdum vltra necessarias & moderatas impensas, non absque specie mali ac incentiuo delinquendi, quibusdam aliis personis, vt inferre videntur, exhibeantur. Aliis vero pluribus magistris & doctoribus contra asserentibus, & in multis Italiæ gymnasiis verbo & scripto conclamantibus pro tanto bono, tamque reipublicæ perneccessario, modo ratione mutui nihil petatur, neque speretur: pro indemnitate tamen eorumdem montium, impensarum videlicet ministrorum eorumdem ac rerum omnium ad illorum necessariam conseruationem pertinentium, absque montium huiusmodi lucro, idque moderatum & necessarium ab his, qui ex huiusmodi mutuo commodum suscipiunt, licite vltra sortem exigi & capi posse nonnihil licere, cum regula iuris habeat, quod qui commodum sentit, onus quoque sentire debeat, præsertim si apostolica accedat auctoritas. Quam quidem sententiam a felicis recordationis Paulo secundo, Sixto quarto, Innocentio octauo, Alexandro sexto & Iulio secundo Romanis pontificibus prædecessoribus nostris probatam, a sanctis quoque ac Deo deuotis, & in magna ob sanctitatis

opinionem exiſtimatione habitis, euangelicæ veritatis prædicatoribus prædicatam eſſe oſtendunt. Nos ſuper hoc, prout nobis eſt ex alto conceſſum, opportune prouidere volentes, alterius quidem partis, iuſtitiæ zelum, ne vorago aperiretur vſurarum, alterius pietatis & veritatis amorem, vt pauperibus ſubueniretur: vtriuſque vero partis ſtudium commendantes, cum hæc ad pacem & tranquillitatem totius reipublicæ Chriſtianæ ſpectare videantur, ſacro approbante Concilio, declaramus & definimus, montes pietatis antedictos per reſpublicas inſtitutos, & auctoritate ſedis apoſtolicæ hactenus probatos & confirmatos, in quibus pro eorum impenſis & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas & aliarum rerum ad illorum conſeruationem, vt præfertur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra ſortem abſque lucro eorumdem montium recipitur, neque ſpeciem mali præferre, nec peccandi incentiuum præſtare, neque vllo pacto improbari, quinimo meritorium eſſe, ac laudari & probari debere tale mutuum, & minime vſurarium putari, licereque illorum pietatem & miſericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a ſancta ſede apoſtolica eam ob cauſam conceſſis: ac deinceps alios etiam ſimiles montes cum apoſtolicæ ſedis approbatione erigi poſſe: multo tamen perfectius, multoque ſanctius fore, ſi omnino tales montes gratuiti conſtituerentur, hoc eſt, ſi illos erigentes, aliquos cenſus aſſignarent, quibus ſi non omni, ſaltem vel media ex parte huiuſmodi montium miniſtrorum ſoluantur impenſæ, vt ad leuiorem æris ſoluendi portionem medio hoc pauperes grauari contingat, ad quos, cum huiuſmodi cenſus aſſignatione, pro impenſarum ſupportatione erigendos, Chriſti fideles maioribus indulgentiis inuitandos eſſe decernimus. Omnes autem religioſos, & eccleſiaſticas ac ſæculares perſonas, qui contra præſentis declarationis & ſanctionis formam de cetero prædicare ſeu diſputare verbo vel ſcriptis auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, priuilegio quocumque non obſtante, incurrere volumus, non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino

Anno Christi 1515

Anno Christi 1515. hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, definitionis, decreti & excommunicationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo decimoquinto, quarto Nonas Maii, pontificatus noſtri anno tertio.

Qua perlecta petiit, an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et interrogati per ſcrutatores votorum reſponderunt placere contenta in ſchedula, excepto reuerendo patre domino Ieremia archiepiſcopo Tranenſi qui dixit, non placere, quia didicit per experientiam, quod præfati montes ſunt plus damnoſi quam vtiles. Deinde reuerendus pater dominus Bernardus epiſcopus Taruiſinus aſcendit ambonem, & legit contra exemptos ſchedulam & alias materias, eccleſiaſticam libertatem & dignitatem epiſcopalem concernentes, cuius tenor talis eſt:

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio.

Regimini vniuerſalis eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, iuxta paſtoralis officii debitum libenter intendimus vtilitatibus ſubditorum, & ad conſeruandam libertatem eccleſiaſticam & remouenda ſcandala, ponendam concordiam, & nutriendam quietem inter eccleſiarum prælatos & eorum ſubditos, eo propenſius apoſtolicæ ſolicitudinis ſtudium adhibemus, quo diſſenſionem talium fore diſpendioſam experimento comprobatur: nec non indulta pariter & priuilegia eiſdem ſubditis in ipſorum prælatorum diſpendium, tam per prædeceſſores noſtros, quam ſedem apoſtolicam conceſſa, ita libenter moderamur, ne exinde ſcandala procedant, neve ex eis vlli detur materia malignandi, & perſonæ eccleſiaſticæ a bono obedientiæ, nec non diuini perſeuerantia ſeruitii nullatenus retrahantur. Sane nuper ad noſtrum relatio fi-

de digna perduxit auditum, quod canonici patriarchalium, metropolitanarum & cathedralium & collegiatarum ecclesiarum & alii clerici sæculares plura præsumunt, quæ ipsis infamiam non paruam pariunt, & aliis inferunt læsionem, prætextu exemptionis & libertatis a dicta sede obtentæ, ordinariorum correctiones & ordinationes subterfugiunt, ac eorum forum siue iudicium declinant. Nonnulli etiam impunitatem suorum excessuum per priuilegium exemptionis obtinere sperantes, excessus ipsos committere non verentur, quos nisi per exemptionem, qua gaudent, crederent se defendi, nullatenus fuissent commissuri. Hinc itaque accidit, vt propter eorum audaciam, qui prætextu priuilegii exemptionis impunitatem excessuum obtinere confidentes, nonnulla multoties committant enormia, per quæ plurimum diffamatur ecclesia, & scandala grauia generantur, potissime autem cum talia per eos, ad quos horum spectat correctio, incorrecta remaneant, seu illi, ad quos spectat, illa punire negligunt: Nos volentes, ne eo prætextu delicta remaneant impunita, morbo huiusmodi necessariam adhibere medelam, sacro approbante Concilio statuimus, vt de cetero illi, quibus exemptorum correctio & punitio a dicta sede demandata est, circa illam vigilanter intendant, & diligenter officii sibi commissi debitum exequantur; & quamprimum eis exemptos ipsos deliquisse, legitime constiterit, ita eosdem exemptos delinquentes puniant, quod iidem exempti metu pœnæ a suis arceantur insolentiis, & alii eorum exemplo perterriti, prosilire ad similia merito perhorrescant. Et si circa hoc negligentes fuerint, diœcesani & alii locorum ordinarii eosdem, quibus exemptorum correctio huiusmodi competit, personaliter si (illorum copia & notitia haberi poterit) alioquin, vel si nullus in partibus exemptorum ipsorum certus iudex fuerit, eos quorum sua in præmissis interesse putauerint, per edictum publicum cathedralium seu aliarum ecclesiarum locorum, in quibus exemptorum iudices huiusmodi residere, seu nullis eorumdem exemptorum iudicibus existentibus, ipsos exemptos deliquisse contigerit, valuis affigendum moneant, vt ipsi tales exemptos delinquentes & criminosos puniant & castigent,

ANNO CHRISTI 1513.

ANNO CHRISTI 1515. stigent infra competentem terminum, monentium ipsorum arbitrio moderandum. Et si ipsi moniti in hoc negligentes fuerint, & id adimplere neglexerint, seu recusauerint, tunc, vt in eo, in quo deliquerint, puniantur, cognitione huiusmodi ea vice sint priuati, & se non intromittant vllatenus de eisdem: sed diœcesani & alii locorum ordinarii huiusmodi contra tales exemptos, delinquentes & criminosos auctoritate nostra ad inquisitionem, vel per accusationem sine aliquibus tormentis procedere, & testes per seipsos examinare possint, ac processum ipsum, quem ratione solennitatis iuris, præterquam ratione citationis omissæ, dummodo delictum alias rite probatum fuerit, nullum allegari vel dici posse prohibemus, sed per eos habitum, clausum, & eorum sigillo munitum, ad sedis apostolicæ examen, ipsorum exemptorum delinquentium expensis, etiam in ipso processu factis, ad quarum solutionem ordinarii ipsi possint eosdem inquisitos & accusatos compellere, per proprium vel alium nuntium, quanto citius destinare procurent, apud eamdem sedem per Romanum pontificem vel alium, cui duxerit committendum, diligenter examinandum, & ita culpabiles repertos, quoad condemnationem vel propter sufficientia indicia, propter quæ ad torturam pro veritate exquirenda procedi valeat, ad ipsos diœcesanos, seu ordinarios per eos auctoritate nostra in causa inquisitionis seu accusationis vlterius legitime procedendum, & causam ipsam, prout iustum fuerit, terminandam remittendum. Notarii autem dictæ sedis, quorum officium in ipsis primitiuæ ecclesiæ initiis a felicis recordationis Clemente papa primo ad sanctorum gesta perquirenda atque conscribenda noscitur institutum, ad protonotariatus officium assumpti, habitum & rochetum deferentes, & alii nostri & dictæ sedis officiales, actu sua officia exercentes, tam in ciuilibus, quam in criminalibus ab omni ordinariorum iurisdictione sint exempti. Alii vero notarii habitum protonotariatus non deferentes, nisi illum infra trimestre post præsentium publicationem assumpserint, & ipsi ac alii in posterum assumendi, habitum & rochetum huiusmodi continue non gestantes, atque alii nostri & dictæ sedis officiales, officia sua actu non exercen-

tes, tam in criminalibus quam in ciuilibus ratione cauſæ ſummam vigintiquinque ducatorum auri de camera non excedentis dumtaxat, eorumdem diœceſanorum & ordinariorum iuriſdictioni ſubiaceant. In ciuilibus vero cauſis ſummam huiuſmodi excedentibus, plena gaudeant exemptione, & a dictorum diœceſanorum & ordinariorum iuriſdictione penitus ſint exempti. Dignum quoque & etiam congruum arbitrantes, quod ex ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium familiaribus illi dumtaxat priuilegio exemptionis gaudeant, qui actu domeſtici & continui ſunt commenſales, vel ab eiſdem cardinalibus ad ipſorum exequenda negotia miſſi, vel qui recreationis cauſa ad tempus a Romana curia abſentes fuerint. Ceteris vero, etiam familiaritatis literas habentibus, quo minus coercitioni diœceſanorum & ordinariorum eorumdem ſubiaceant, familiaritatis huiuſmodi priuilegium nullatenus ſuffragetur. Et cum eiſdem diœceſanis, vt monaſteria monialium ſedi apoſtolicæ immediate ſubiecta, in eorum diœceſibus conſiſtentia, ſemel in anno viſitare poſſint, per conſtitutionem in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit; Attendentes; plena fuerit data facultas: illam innouamus, ac exemptionibus & priuilegiis quibuſcumque non obſtantibus, diſtricte ſeruari præcipimus & mandamus. Per præmiſſa quoque eiſdem diœceſanis & ordinariis, caſibus quibus in exemptos a iure iuriſdictio conceſſa eſt, nullatenus præiudicium generetur. Exemptiones autem de cetero abſque rationabili cauſa, & quorum intereſt, minime citatis pro tempore conceſſas, nullius roboris & momenti eſſe decernimus. Et cum eccleſiaſticus ordo confundatur, ſi ſua vnicuique iuriſdictio non ſeruetur, ordinariorum iuriſdictioni, quantum cum Deo poſſumus, fauere, ac litibus finem celerius imponi, & litigantium immoderatis ſumptibus & expenſis parci ſatagentes, ſtatuimus & ordinamus, quod ſingulæ cauſæ, tam ſpirituales quam ciuiles & mixtæ, ac forum eccleſiaſticum quomodolibet concernentes, & beneficiales, dummodo beneficia ipſa generaliter reſeruata non fuerint, & ipſorum ſingulorum beneficiorum fructus, reditus & prouentus vigintiquatuor ducatorum auri de camera ſecundum communem æſtimationem, valorem

ANNO CHRISTI 1515.

Anno Christi 1515. annuum non excedant, in prima instantia extra Romanam curiam, & in partibus coram ordinariis locorum dumtaxat cognosci & terminari, ita quod nulli ante definitiuam sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit emissa, vllatenus admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat definitiuæ, vel a grauamine minime concernente negotium principale, quod per appellationem a definitiua sententia reparari non possit: nisi alter collitigantium aduersarii sui potentiam merito perhorrescens, seu alia probabili & honesta causa, aliter quam per proprium iuramentum saltem semiplene probata, coram ordinario non auderet litigare. Eo enim casu causæ ipsæ etiam appellationum in dicta curia, etiam in prima instantia, committi & cognosci & terminari possint. Alioquin appellationes, & illarum etiam aliarum causarum huiusmodi commissiones in posterum, & quidquid inde secutum fuerit, nullius sint roboris vel momenti. Iudices autem & conseruatores a sede apostolica deputati, si in altero iurium graduati non fuerint, assessorem partibus non suspectum, ab ipsis partibus vel earum altera requisiti, assumere, & secundum eius relationem iudicare teneantur. Et quia sæpius & multiplici relatione percepimus, quamplurimas ecclesias, & illis præsidentes episcopos, tam citra quam vltra montes, vexari in eorum iurisdictionibus, iuribus & dominiis, ac turbari a domicellis, principibus & nobilibus eorumdem, qui sub colore iurispatronatus, quod in beneficiis ecclesiasticis habere confingunt, nullo priuilegio apostolico suffulti, sine ordinariorum collationibus & literis, & absque aliquo saltem colorato titulo beneficia non solum clericis, sed etiam laicis conferre, sacerdotes & clericos delinquentes ad eorum libitum punire, decimas omnium rerum, ad quarum solutionem de iure tenentur, ac cathedralium & alia, quæ legis diœcesanæ & iurisdictionis sunt, & ad ipsos episcopos dumtaxat pertinent, temere auferre, fraudare, vsurpare, seu vt præmissa fiant, mandare, ac ipsa & fructus quoscumque, ne a ciuitatibus, terris & locis eorum extrahantur, prohibere: feuda, possessiones & prædia occupare, & indebite detinere, seu ad feuda & bona ipsarum ecclesiarum eis con-

cedendum, ac beneficia ecclesiastica personis per eos nominatis conferendum, minis & terroribus ac aliis viis indirectis inducere & compellere, & alia quamplurima damna, iacturas & iniurias ecclesiis & earum prælatis, ac cleris præfatis inferri, non modo permittere, sed etiam expresse mandare præsumant. Attendentes igitur, quod laicis in clericos & personas ecclesiasticas, ac bona ecclesiastica non est attributa facultas, atque æquum & iustum esse, vt in eos iura insurgant, qui illa offendere præsumunt: nec non considerantes, quantum ex his tam nostro & apostolicæ sedis honori, quam personarum ecclesiasticarum quieto & prospero statui, non sine damnanda pernicie derogetur: ac cupientes eos, quos ad obseruantiam iurium, virtutum præmia non inducunt, non tam adiectarum exaggeratione pœnarum, quam adiiciendarum de nouo formidine a temerariis ausibus refrenare, omnes & singulas constitutiones, quæ super decimarum solutione, & contra violatores & raptores ecclesiarum, & incendiarios, agrorum depopulatores, & tam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, quam venerabiles fratres nostros episcopos, & alias personas ecclesiasticas, sæculares & regulares capientes, detinentes, & eorum iurisdictionem & iura quomodolibet indebite occupantes, aut eos in eorum iurisdictionis exercitio perturbantes seu molestantes, eos quoque ad conferendum beneficia ecclesiastica personis per eos nominatis, aut alias de illis pro eorum libito voluntatis disponendum, & feuda ac bona ecclesiastica in emphyteusin concedendum, aut alias vendendum temere compellentes, nec non statuta contra libertatem ecclesiasticam facientes, & ad præmissa, auxilium, consilium vel fauorem præstantes hactenus emanarunt, innouamus. Et cum ea, nedum iuri contraria, sed etiam ecclesiasticæ libertati opprobriosa sint quamplurimum & aduersa, vt de officio nobis credito dignam Deo possimus reddere rationem, affectibus & monitis paternis imperatorem, reges, principes, duces, marchiones, comites, barones & quoscumque alios alterius cuiuscumque nobilitatis, præeminentiæ, potentiæ seu potestatis, excellentiæ vel dignitatis existentes, attente hortamur in

Anno Christi 1515.

ANNO CHRISTI 1515. Domino, eisdem in virtute sanctæ obedientiæ mandantes, vt ipsi constitutiones prædictas obseruent, & faciant a suis etiam subiectis inuiolabiliter obseruari, quacumque consuetudine contraria non obstante, si diuinam offensam & sedis apostolicæ debitam vitare voluerint vltionem. Ac collationes de dictis beneficiis sic factas, nullas & irritas nihilo minus esse decernimus, ac illis vtentes, reddentur inhabiles ad alia beneficia ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per sedem prædictam fuerit dispensatum. Mature quoque considerantes, quod post Christi ad cælos ascensionem, apostoli per singulas vrbes & diœceses episcopos distribuerunt, sicut sancta Romana ecclesia per orbem constituit, eosdem episcopos in partem solicitudinis vocando, onera gradatim distribuendo per patriarchas, primates, archiepiscopos & episcopos: ac sacris etiam Canonibus fuerit definitum, per eos pro morum correctione, & controuersiarum decisione & determinatione, ac mandatorum Domini obseruatione, fieri debere Concilium prouinciale, ac Synodum episcopalem, vt deprauata corrigerentur, & illa facere negligentes, canonicis pœnis subiacerent: cum conueniat, nos circa ea quæ rempublicam Christianam concernunt, esse intentos, desiderãtes Canones ipsos firmiter obseruari, eisdem patriarchis, primatibus, archiepiscopis & episcopis districte iniungimus vt de officio eis commisso dignã Deo possint reddere rationem, Canones, Concilia & Synodos huiusmodi fieri mandantes, quocumque priuilegio non obstante, inuiolabiliter obseruent, præterquam quoad Concilium prouinciale, quod de cetero singulis trienniis mãdamus, ad illaque etiam exemptos accedere debere decernimus, priuilegio ac consuetudine quacumque contraria non obstantibus. Circa hoc autem negligentes, pœnas in eisdem Canonibus contentas se nouerint incursuros. Et cum constitutione in Concilio Viennensi edita, quæ incipit, In plerisque, vt pontificiæ dignitatis honor seruaretur, statutum fuerit, ne ecclesiis cathedralibus bonis temporalibus, sine quibus spiritualia diu esse non possunt, priuatis, ac clero & populo Christiano carentibus, de aliquibus personis præsertim religiosis prouideretur, constitutionem ipsam innouamus, illamque inuiolabiliter obseruari debere volumus atque

mandamus, nisi aliqua iusta causa, in consistorio nostro secreto approbanda, aliter duxerimus faciendum. Nos enim quidquid contra præmissa, vel, aliquod præmissorum contingerit attentari, irritum decernimus & inane, contraria quacumque constitutione vel priuilegio non obstante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, prohibitionis, præcepti, constitutionis, ordinationis, hortationis, iiunctionis, innouationis, voluntatis, mandati & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Anno Christi 1513.

Data Romæ in publica sessione in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimoquinto, 4. Nonas Maii, pontificatus nostri anno tertio.

Qua perlecta, petiit, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnes responderunt placere, dempto præfato reuerendo patre domino Ieremia archiepiscopo Tranensi, qui dixit, non placere in quantum schedula dat ordinem, quod episcopi contra exemptos debeant formare processus & mittere ad curiam.

Postmodum vero reuerendus pater dominus Franciscus episcopus Nannetensis ascendit ambonem, & legit schedulam super impressione librorum, cuius tenor talis est:

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Inter solicitudines nostris humeris incumbentes, perpeti cura reuoluimus, vt errantes in viam veritatis reducere, ipsosque lucrifacere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Hoc est quod profecto desideranter exquirimus, ad id nostræ mentis sedulo destinamus affectum, ac circa illud studiosa diligentia vigilamus. Sane licet literarum peritia per librorum lectionem possit faciliter obtineri, ac ars imprimendi libros temporibus potissimum nostris diuino fauente numine, inuenta seu aucta & perpolita, plurima mortalibus attulerit commoda, cum parua impensa, copia librorum maxima habeatur,

ANNO CHRISTI 1515. quibus ingenia ad literarum ſtudia percommode exerceri, & viri eruditi in omni linguarum genere, præſertim autem catholici, quibus ſanctam Romanam eccleſiam abundare affectamus, facile euadere poſſunt, qui etiam infideles ſciant & valeant ſacris inſtitutis inſtruere, fideliumque collegio per doctrinam Chriſtianæ fidei ſalubriter aggregare: quia tamen multorum querela noſtrum & ſedis apoſtolicæ pulſauit auditum, quod nonnulli huius artis imprimendi magiſtri, in diuerſis mundi partibus libros tam Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ & Chaldææ linguarum in Latinum tranſlatos, quam alios, Latino ac vulgari ſermone editos, errores etiam in fide, ac pernicioſa dogmata etiam religioni Chriſtianæ contraria, ac contra famam perſonarum etiam dignitate fulgentium continentes, imprimere ac publice vendere præſumunt, ex quorum lectura non ſolum legentes non ædificantur, ſed in maximos potius tam in fide, quam in vita & moribus prolabuntur errores, vnde varia ſæpe ſcandala, prout experientia rerum magiſtra docuit, exorta fuerunt, & maiora in dies exoriri formidantur. Nos itaque, ne id, quod ad Dei gloriam, & fidei augmentum, ac bonarum artium propagationem ſalubriter eſt inuentum, in contrarium conuertatur, ac Chriſti fidelium ſaluti detrimentum pariat, ſuper librorum impreſſione curam noſtram habendam fore duximus, ne de cetero cum bonis ſeminibus ſpinæ coaleſcant, vel medicinis venena intermiſceantur. Volentes igitur de opportuno ſuper his remedio prouidere, hoc ſacro approbante Concilio, vt negotium impreſſionis librorum huiuſmodi eo proſperetur felicius, quo deinceps indago ſolertior diligentius & cautius adhibeatur, ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem ſeu aliam quamcumque ſcripturam, tam in vrbe noſtra, quam aliis quibuſuis ciuitatibus & diœceſibus imprimere ſeu imprimi facere præſumat, niſi prius in Vrbe per vicarium noſtrum & ſacri palatii magiſtrum, in aliis vero ciuitatibus & diœceſibus per epiſcopum vel alium habentem peritiam ſcientiæ libri, ſeu ſcripturæ huiuſmodi imprimendæ ab eodem epiſcopo ad id deputandum, ac inquiſitorem hæreticæ prauitatis ciuitatis ſiue diœceſis, in quibus librorum im-

preſſio huiuſmodi fieret, diligenter examinentur, & per eorum manu propria ſubſcriptionem, ſub excommunicationis ſententia gratis & ſine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem ſecus præſumpſerit, vltra librorum impreſſorum amiſſionem, & illorum publicam combuſtionem, ac centum ducatorum fabricæ principis apoſtolorum de Vrbe ſine ſpe remiſſionis ſolutionem, ac anni continui exercitii impreſſionis ſuſpenſionem, excommunicationis ſententia innodatus exiſtat, ac demum ingraueſcente contumacia taliter per epiſcopum ſuum vel vicarium noſtrum reſpectiue per omnia iuris remedia caſtigetur, quod alii eius exemplo ſimilia minime attentare præſumant. Acto. Cxxxvij.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1515. quarto Nonas Maii, pontificatus noſtri anno tertio.

Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et reſponderunt omnes placere, excepto reuerendo patre domino Alexio epiſcopo Melfitano, qui dixit placere de nouis operibus, non autem de antiquis.

Deinde reuerendus pater dominus Petrus epiſcopus Caſtelli maris aſcendit ambonem, & legit ſchedulam ſuper præfixione termini contra profitentes pragmaticam ſanctionem, & ſuper indictione vndecimæ ſeſſionis, cuius tenor talis eſt:

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio.

Cum inter alia in hoc ſacro Concilio expedienda, quid ſuper ſanctione, per nonnullos prælatos Gallicæ nationis, tam clericos, quam laicos, etiam nobiles ac alios illis fauentes, quam ipſi pragmaticam vocant, edita, determi-

Anno Christi 1515. terminandum & declarandum foret, expedire & declarare ſummopere deſideraremus, prout etiam felicis recordationis Iulius papa II. prædeceſſor noſter huius Concilii indictor deſiderabat, & prælati & alii clerici, ac laici præfati, ad comparendum tam coram præfato Iulio prædeceſſore, quam nobis pluries citati fuerint, & eorum contumacia in dicto Concilio ſæpius allegata, ſeu accuſata extiterit: cumque poſtmodum pro parte prælatorum, clericorum, & laicorum etiam nobilium, ac fautorum prædictorum, ad hoc, vt præfertur, legitime vocatorum, allegatum fuerit, nullum locum, per quem tranſeundum eſſet, vt tute venire ad comparendum in dicto Concilio poſſent, habere: nos ne eo prætextu quoquo modo ſe excuſare poſſent, a communitate Ianuenſium, per quorum loca tute ad Romanam curiam ad allegandum ea, quæ in huiuſmodi cauſa pragmaticæ allegare voluerint, venire poſſint, amplum ſaluumconductum concedi curauimus, & eiſdem aſſignari. Et ne aliquid amplius contra præmiſſa allegare, & iuſtam poſſint prætendere ignorantiam, clericos & laicos, etiam nobiles, etiam prælatos, & fautores, clericorumque ac ſæcularium collegia, ad eorum contumaciam conuincendam, ſacro approbante Concilio, de nouo pro vltimo & peremptorio termino requirimus & monemus, vt ante Kalendas Octobris proxime futuri, omni excuſatione & dilatione ceſſantibus, legitime comparere debeant: quem terminum & dilationem huiuſmodi, ex cauſis prædictis ad omnes excuſationes tollendas, ad dictam diem Kalendarum Octobris pro vltima & peremptoria dilatione, vt præfertur, prorogamus, & de nouo concedimus & aſſignamus. Quo termino elapſo, ad vlteriora & terminationem dicti negotii etiam definitiua ſententia procedetur, eorum contumacia & non comparitione minime obſtantibus, in prima extunc futura ſeſſione, quam ad hoc, & alia quamplura vtilia peragenda, videlicet vndecimam ſeſſionem, quæ erit die quartadecima Decembris poſt feſtum beatæ Luciæ proxime futurum, præfato ſacro approbante Concilio, indicimus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum requiſitionis, monitionis, prorogationis, conceſ-

sionis, assignationis & indictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Anno Christi 1515

Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimoquinto, IV. Nonas Maii, pontificatus nostri anno tertio.

Qua perlecta, magnificus dominus Ludouicus de Solier, orator Christianissimi regis Franciæ accessit ad pedes sanctitatis suæ, & dixit in excusatione profitentium pragmaticam sanctionem, quod prælati Franciæ fuerunt impediti per inimicos Francorum, non verentes censuras contentas in bulla cœnæ Domini, & ideo sanctitas sua habuit eos alias excusatos. Cum igitur de præsenti eodem impedimento detenti sint, & non audeant venire, quia inter Delphinatum & Lombardiam est periculum: quare pro parte eorum supplicatur sanctitati suæ, vt habeat eos nunc excusatos. Et cum dabitur eis tutus accessus, offerunt se venire ad Concilium, & allegare de iuribus suis. Et idem magnificus orator dedit schedulam tenoris infrascripti.

Sanctissimo ac beatissimo domino nostro papæ.

Pater beatissime, nouit optime sanctitas vestra, & nos Christianissimi regis oratores apud eamdem fidem facimus, prælatos ecclesiæ Gallicanæ ad pedes, & imperium sanctitatis vestræ, & ad sacrum Concilium venientes prohibitos fuisse, ac impeditos comminationibus & detectis insidiis inimicorum regis eiusdem Christianissimi, non verentium censuras, & pœnas in bulla cœnæ Domini comprehensas: & ideo iure ac merito beatitudo vestra tunc prælatos illos excusatos habuit. Non enim citatum legimus quemquam teneri se periculis committere maris, latronum, itinerum & inimicorum. Cum igitur, pater beatissime, eodem notorio impedimento perdurante, maxime inter Delphinatum & Liguriam & Lombardiam, prælati ipsi ad hoc sacrum Concilium venire non potuerint, non etiam venturi sint, donec libere liceat & expedite, supplicatur humiliter pro parte illius Gallicanæ eccle-

Anno Christi 1515. siæ, quod & nunc sanctitati vestræ placeat illam, eosdemque prælatos excusatos habere: & ita pro sua prudentia solita prouidere, quod tutus esse possit accessus ac expeditus ad eamdem sanctitatem & sacrum Concilium: tunc etenim & quamprimum ad sanctitatis vestræ pedes prælati ipsi, aut alii dictæ ecclesiæ nomine venient, imo obtemperaturi eiusdem imperio, & sanctæ sedis apostolicæ: alioquin per illos non stabit, prout nec stat, quo minus adueniant. Ceterum pater beatissime, pro exoneratione Ludouici de Soleriis, oratoris regis Christianissimi, qui has offert, supplicatur humillime, vt placeat iubere notariis omnibus & singulis in præsenti Concilio & sessione assistentibus, quos rogat, quod de excusatione huiusmodi, declaratione, oblatione, vna cum decreto sanctitatis vestræ actum sumant, & inde instrumentum conficiant, eidem oratori expediendum ad ecclesiæ Gallicanæ, & aliorum, quorum interesse poterit, vberiorem cautelam.

Eiusdem sanctitatis vestræ humillimus seruitor Christianissimi Francorum regis orator Louys de Soliers.

Præfatus sanctissimus dominus noster respondit præfato oratori, quod ex prouincia Prouinciæ erat facilis & tutus transitus per Ianuam, & quod prouiderat de saluoconductu Ianuensium, & eis mandauerat tradi, & si opus esset, prouideret de meliori & tutiori saluoconductu, & propterea volebat sanctitas sua, quod schedula prædicta staret in suo robore.

Deinde præfatus reuerendus pater dominus Petrus episcopus Castelli maris petiit, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et responderunt omnes placere, dempto reuerendo domino Iacobo episcopo Potentino, qui dixit non placere, quod detur iste terminus profitentibus pragmaticam, quia contemnunt bullas & mandata apostolica.

Demum dominus Marius de Peruschis, sacri Concilii procurator, accusauit contumaciam non interessentium, in Concilio interesse debentium; & petiit per sanctitatem suam declarari. Et præfatus dominus noster declarauit, nisi ad primam comparerent. Et hæc fuerunt pro decima sessione.

Fuerunt insuper data mandata infrascripta per procuratores infrascriptos, excusando principales suos, videlicet reuerendus pater dominus Ioannes Franciscus de Ruuere episcopus Taurinensis dedit mandatum reuerendi patris domini Ioannis de Sabaudia episcopi Gebennensis. Et venerabilis vir dominus Humbertus Caneti, dedit mandatum reuerendi patris domini archiepiscopi Tarentini. Et dominus Godfelsus Vandemberch dedit mandatum reuerendi patris domini Ioannis episcopi Hauelbergensis. Et reuerendus pater dominus Gisbertus episcopus Rapollanus dedit mandatum reuerendi patris domini Ioannis Baptistæ episcopi Valuensis & Sulmonensis. Et reuerendus pater dominus Ioannes archiepiscopus Gneznensis dedit mandatum reuerendi patris domini Fabiani episcopi Narnien sis. Et discretus dominus Ludouicus Molon clericus Cæsarauguſtensis dedit mandatum reuerendi patris domini Ludouici episcopi Empurien sis. Et reuerendus pater dominus Bartholomæus episcopus Iustinopolitanus dedit mandatum reuerendi patris domini Bernardini episcopi Clusien sis. Et reuerendus pater dominus Bernardus episcopus Taruisinus dedit mandatum reuerendi patris domini Georgii episcopi Nonensis. Et reuerendus pater dominus Ioannes episcopus Sibinicensis dedit mandatum reuerendi patris domini episcopi Farensis. Et dominus Petrus Raymiardi dedit mandatum reuerendi patris domini Antonii episcopi Regien sis. Et reuerendus pater dominus frater Guillelmus de Saluaterra dedit mandatum reuerendi domini Guillelmi episcopi Gerundensis. Et dominus Zutfeldus Vardemberch dedit mandatum reuerendi domini Henrici episcopi Rotheburgensis. Et reuerendissimus in Christo pater & dominus dominus Antonius de Monte, tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, dedit quasdam literas missiuas, & quoddam mandatum reuerendi patris domini Iacobi archiepiscopi Vpsalensis ad excusandum eum in sacro Lateranensi Concilio, & interessendum nomine suo & suæ prouinciæ. Et reuerendus pater dominus Ferdinandus episcopus Scalensis dedit mandatum reuerendi patris domini Bernardi episcopi Sorani. Et reuerendissimus in Christo pater & dominus dominus Nicolaus tituli sanctæ Priscæ presbyter cardinalis, de Fliſco

Anno Christi 1515.

ANNO CHRISTI 1515. nuncupatus, dedit mandatum reuerendi patris domini Hieronymi episcopi Torcellani. Et reuerendus pater dominus Andreas archiepiscopus Spalatensis dedit mandatum reuerendi patris domini Antonii episcopi Calamouensis: & reuerendus pater dominus Ioannes Antonius episcopus Calmensis dedit mandatum reuerendi patris domini Gallesii episcopi Bellunensis: & reuerendus pater dominus Petrus Paulus episcopus Esinus, dedit mandatum reuerendi patris domini Antonii episcopi Auximani.

Quibus perlectis, sanctissimus dominus noster incepit, Te Deum laudamus. Et cantato per capellam cantorum, expletaque decima sessione, præfatus sanctissimus dominus noster equitauit ad palatium associantibus reuerendissimis dominis cardinalibus & aliis prælatis & curialibus in copioso numero.

Oratio reuerendi patris domini Stephani archiepiscopi Patracensis & episcopi Torcellani, habita in Concilio Lateranensi coram Leone decimo pontifice maximo in decima sessione dicti Concilii, quarto Maii, millesimo quingentesimo decimoquinto.

Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius. Psalm. 47. Rem grandem & summe difficilem, ac paruitati meæ imparem, pater beatissime, ne obedientiæ bonum perderem, hodie hoc in loco amplissimo ornatissimoque huius sacrosancti Lateranensis Concilii, coram tuo iudicio grauissimo & tantorum patrum iustissimo tractandam suscepi. In qua quasi mei ipsius & senectutis ac aduersæ valetudinis oblitus, zelo tamen fidei catholicæ & apostolicæ perfusus, quo anima mea iam diu comesta fuit, in discrimine maximo decorum actionis meæ posui, cum ab hoc genere dicendi per annos plures me abstinuerim. Et hoc quidem, si assumptæ propositioni, in qua de summa omnium rerum agitur in tanta angustia temporis in quo breuitati in dicendo satisfaciendum esse censeo altissimo & profundissimo sacramento magnæ & vltimæ reformationis, diuinis mysteriis præpositi psalmi inuoluto, correspondere non valuero. Nam quis est astantium speculatorum sanctæ ecclesiæ, etiam summa doctrina, vt par est, repletus, qui in se, & non in Christo viuens, quo tantæ psalmodiæ fracto

alabastro, in quo opus creationis, mysterium reparationis, sacramentum reformationis, & vltimæ consummationis decretum, miro secreto continentur, non in litera, sed in spiritu; non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis; non in montibus philosophantium Gelboe, vbi, Propheta dicente, *cecide-* 2. *Reg.* 1. *runt fortes Israel*, sed in montibus sanctis & æternis, in quibus positum est fundamentum fundamentorum, sancti sanctorum, in odorem tantorum vnguentorum suauissimum, de quo Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* 1. *Cor.* 3. *præter id quod positum est, quod est Iesus Christus*: digne possit & valeat mentes astantium patrum tantis vnguentis optimis inungere, tum pro cognitione veritatis boni & mali consilii, tum pro reformatione ecclesiæ & orbis, ac contra hostes fidei expeditione summe necessaria, vt Christi bonus odor Deo fieri possit; inuenire etiam longa meditatione non valeo. Verum, pater sanctissime, in tantorum mysteriorum, quæ latent in litera propositi psalmi, contemplatione quasi exstatica mente & corde iam positus, profiteor me in dicendo hodie nihil aliud scire, quam Chri- 1. *Cor.* 1. stum, & hunc pro nobis cruci affixum. Ideo cum Apostolo libera voce clamabo: *Viuo iam, sed non ego, viuit vero in me* *Galat.* 2. *Christus*. Non mirum igitur astantibus accedat, si pro declaratione psalmi Dauid, ipsi Dauid, scilicet Christo, pro secunda sabbati in filiis Core, qui Caluariarum filii in apostolis interpretantur, a custodia serotina, sic enim eius titulus est, humanæ sapientiæ verbis insistere non curabo; sed quambreuissime spiritum vitæ in tanti psalmi demonstratione perquiram, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, prout alias consueui, sed in ostensione tantum spiritus & virtutis, præsertim coram te Leone decimo pontifice maximo, quem diuina fauente clementia hoc tempore magnæ reformationis persecutionisque infidelium canonice electum existimo, vt sis Leo in sede Petri, non ab re decimus, pro Christi regno, nostro tempore, si volueris, toto orbe terrarum innouando assumptus: quandoquidem non frustra in vltimo decalogi positus, Leo decimus vocatus fueris. Et ego quidem iam septuagenarius, cuius cithara versa est in luctum, & organum, cum Iob, in vocem flentium, in oculis meis abiectus, & *Iob.* 10.

Anno Christi 1515. omnium speculatorum sanctæ ecclesiæ minimus, in decima quoque tanti Concilii sessione, pro mysteriis regis magni enucleandis te iubente oraturus, non frustra etiam ascenderim. Quapropter, vt hæc tam diuina, tam excelsa & sublimia ac mira, mirandaque, quæ in dicta psalmodia continentur, & ad præsens humili sermone meo dicenda veniunt, a Spiritu Christi, in quo est mihi vita, in dicendo progressu orationis dignius largiusque disponantur, ipsa Virgo beata, angelorum domina, fons omnium gratiarum, quæ omnes hæreses interemit, cuius opera, magna reformatio, concordia principum, & vera contra infideles expeditio fieri debet, opem ferre dignetur, quod talia digne cum profectu audientium dicenda suo ore, sicut in apostolis, sua facundia, sicut in doctoribus, & sua gratia, sicut in martyribus, electisque omnibus, ita in nobis pro assumpta breuitate copiose, tam pro vera tanti Concilii conclusione, quam pro necessaria & celeri contra hostes fidei nostræ expeditione infundere velit, quod lumen Christi plus solito ad gloriam & honorem tanti Concilii in cordibus auditorum accendi valeat. Cuius auxilium desuper implorantes humiliter prostrati canticum nouum pro nouo suffragio cantabimus, dicentes:

Omnium splendor, decus, & perenne
Virginum lumen, genitrix Superni,
Gloria humani generis Maria
Vnica nostri.
Sola tu virgo dominaris astris,
Sola tu terræ, maris, atque cæli
Lumen, inceptis faueas, rogamus,
Inclyta nostris.
Vt queam sacros referare sensus,
Qui latent chartis nimium seueris,
Ingredi & celsæ, duce te benigna,
Mœnia terræ.

Si omnia, pater beatissime, quæ pro declaratione propositi psalmi dicenda sese offerunt, perquirere vellem, longa esset oratio. Quandoquidem hæc tam altissima & profundissima psalmodia, non solum in se opera creationis vniuersi, mysterium reparationis humani generis, pro

innouatione sæculi prima sabbati, & sacramentum magnæ reformationis pro secunda sabbati in magno Lateranensi nostro Concilio demonstrandum, ac decretum vltimæ consummationis vniuersi per finale iudicium miro & ineffabili modo contineat, verum etiam & mysterium incarnationis Verbi Dei pro ciuitate magni Domini in cælis & in terris ex lapidibus viuis construenda præ se ferre inuenitur, pro qua Rex magnus ab initio & ante sæcula præparauerat terram immaculatam, in qua ædificaret sibi domum, de qua glorioſe educeret immaculatam, æternam sponsam, matrem iustorum lætantem, & non minus in posterum fidem catholicam & apostolicam suam, iuxta decretum sacrosancti consistorii Trinitatis & vnitatis diuinæ, pro communi salute per orbem vniuersum promulgandam esse statuerit, tam pro intellectuali, quam pro rationali ecclesia beatificanda exaltandaque temporibus præfinitis a Patre, in quibus eam toto orbe terrarum per suos principes constituendos super vniuersam terram annuntiaret & prædicaret, in qua quidem prædicatione luce meridiana clarius ostenderent, quod æternitas Christi, antequam ex Virgine nasceretur, in mysterio præmonstrata ac prædestinata esset, ita quod mysterium non præiudicaret tempori, nec e contra, quin ipse ille solus esset, qui ante mundi constitutionem vsque ad consummationem omnia operaretur, secundum arcanum suæ diuinæ mentis in cælis & in terris, tam pro natura angelica, quam pro humana, donec in Christo Deo omnes vnum fierent, & magnus ipse Dominus tunc in ciuitate Dei, & in monte sancto eius nimium laudabilis inueniretur, tum in gradibus, tum in domibus suis, dum eam carnem, quam ab æterno prædestinauerat, ac pro temporis plenitudine præparauerat, vnione ineffabili, in supposito Verbi assumeret de domo Mariæ semper virginis, dicente Propheta: *Deus in domibus eius cognoscetur, dum suscipiet eam.* De hac ergo ineffabili susceptione, tum pro prima, tum pro secunda sabbati, in quibus & ædificatio & reformatio ciuitatis magni Regis ex monte Sion, & lateribus Aquilonis cum exaltatione vniuersæ terræ continetur, quambreuissime dicemus. Reliqua vero maiora & profundiora mysteria in tribus aliis orationibus

ANNO CHRISTI 1515.

Psalm. 47.

ANNO CHRISTI 1515. nibus meis, pro tanto Concilio, a die ſuſcepti oneris in dicendo diſpoſitis, legenda relinquam. Et non minus breuitatis cauſa in volumine decem librorum, in quibus ab origine vſque ad conſummationem vniuerſi, ſpeculum limpidiſſimum militantis eccleſiæ inſtar triumphantis mirifice continetur, ſanctiſſimo domino noſtro dedicato, calamo exaranda reſeruabimus. Siquidem & audita modo duriſſima inter duos infideles reges pugna, & illorum iniquam intentionem contra rempublicam Chriſtianam noſtram ex illorum ante male geſtis mecum perpendens, aliam, quam ad præſens recitamus, breuiorem orationem humiliori ſtylo non abſque cauſa diſpoſuimus. Verum, pater ſanctiſſime, non minus nunc, quam tunc, quando reges terræ male conuenerunt in vnum, tam primo contra regnum Iudæorum, quam ſecundo Chriſtianorum, vt deſtruerent fidem Vnigeniti a Patre ſuper terram, reges noſtri cæli eccleſiæ & terræ, nunc etiam bene conuenerunt in hoc ſacroſancto Lateranenſi Concilio in vnum, ad reformationem tum eccleſiæ, tum orbis vniuerſi pro gloria regni Chriſti, & ſuæ ſanctæ Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ ſedis exaltatione, ac hoſtium tantæ fidei extirpatione, quæ per veros ſpirituales venatores de proximo iuxta temporum computationem pro ſecunda ſabbati fieri debet in magna & vltima reformatione, ſicut prima ſabbati ædificatio fuerat per piſcatores, dicente Ieremia pro ſecunda ſabbati, ſicut dixerat pro prima de piſcatoribus: *Et ecce mittam venatores meos, & venabuntur eos de montibus & collibus & ſpeluncis & de cauernis terræ.* Ieremi. 16. Et ideo Propheta alio in pſalmo dixerat: *Veritas* Pſalm. 84. iam diu *de terra* Virginis *orta eſt, & iuſtitia de cælo* ad eam, pro ædificatione ciuitatis Dei magni, *in terram proſpexit:* quæ non minus ad præſens pro reformatione, innouatione dilatationeque illius per orbem vniuerſum reſpicit. Et id quoque pro noſtro tempore perficere ſummopere quærit feſtinatque, ne fiant noſtra, in perſecutione tum Turcarum, tum Sophi & aliorum impiorum, peiora prioribus, quod culpa noſtra, noſtrovtique tempore ſtante magno Lateranenſi Concilio diuinitus, pro tempore magnæ tribulationis, in ciuitate magni Regis congregato, non fiat in eo, & ſit illa vera magna reformatio,

pro qua priores pontifices hactenus ideo laborauerunt in vanum. Quod noſtro quoque tempore rex noſter magnus Chriſtus in Concilio noſtro Lateranenſi non minus nimium laudabilis pro reformatione inueniretur, quam antea fuerat pro ædificatione, quando præſtantius ſolito per vniuerſi orbis ſecundam conuerſionem & obedientiam ſedatis bellis, quæ in orbe Chriſtiano culpa malorum vigent, hoſtibuſque fidei noſtræ virtute Altiſſimi ſuperatis, & ad noſtram fidem miraculoſe etiam conuerſis, ac Mahumeti ſpurciſſima ſecta vna cum omnibus aliis vbique terrarum dextera Excelſi extincta, ſolus rex magnus noſter Chriſtus ſedere habeat in monte ſancto apoſtolicæ ſedis eius, de qua ſcribitur: *Et ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo ſemper*, & id profecto cum exultatione conuerſionis vniuerſæ terræ, de qua etiam habetur: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos:* & alibi: *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, & in eo parabit vaſa mortis.* Quandoquidem abyſſus, abyſſus tanti ſacramenti, abyſſum reconciliationis cum Deo, plus ſolito imminente duriſſima perſecutione domus Ottomannorum & Sophi, per opera Lateranenſis Concilii, agente Leone decimo pontifice maximo, inuocat, vt ſit in vrbe Roma, quæ Deo prouidente, regnante impiorum eccleſia ſub idololatria caput orbis ideo data fuerat, quod regnante ſucceſſiuo tempore iuſtorum eccleſia ſub vera latria multo amplior, glorioſior & præſtantior in magnæ ciuitatis reformatione fieret, quam antea fuerat. Recte ergo ille dixerat: *Vidi ciuitatem ſanctam nouam Ieruſalem deſcendentem de cælo, a Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* In hac ergo tali ac tanta ciuitate Dei, ſancta videlicet Romana eccleſia, magnus Dominus nimium laudabilis etiam inuenitur, & in monte ſancto apoſtolicæ ſedis eius pro ſecunda ſabbati, plus ſolito exaltari & magnificari iure æterno reperitur. Et nimium quidem laudari dicitur, quoniam quantum laudari debeat, nec angelica, nec humana lingua exprimi poſſet, præſertim cum ipſe ſit magnus Dominus, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus. Qui quidem pro ſua magnitudine, in Concilio impiorum laudari non reperitur, quando in talium ore ſua laus ſordeſcat: non in atriis ſynago-

Anno Christi 1513.

Pſalm. 88.
Pſalm. 125.
Pſalm. 7.
Pſalm. 41.
Apoc. 21.
Pſalm. 146.

ANNO CHRISTI 1515. gæ Phariſæorum & hypocritarum, quorum os maledictione plenum eſt: nec in palatiis regum & principum, quorum manus plenæ ſunt ſanguine & infidelitate: nec denique in Babylone philoſophantium de corde ſuo, ac iuris humani peritorum, vbi omnis confuſio contra veritatem ſanctæ eccleſiæ adducitur. Sed vbi, dicit quiſpiam, laudabitur? Dicat Propheta: *In ciuitate Dei*, in ſancta vtique immaculata eccleſia Dei, & quod fortius & dignius eſt, *in monte ſancto* apoſtolicæ ſedis eius; de quo Iſaias: *Et erit in nouiſſimis diebus mons præparatus in domo Domini ſuper verticem omnium montium*, qui eſt poteſtas plenitudinis Chriſti eius in ſede apoſtolica, per legem immaculatam ſuper omnia regna mundi ſedens, & confluent ad eum omnes gentes, & adorabunt eum, & dicent: Gloria tibi Domine, qui es Deus & homo: dicente etiam Ioanne: *Rex regum & Dominus dominantium*, per myſterium incarnationis, per opus redemptionis, & gloriam reſurrectionis: in qua omnia innouaſti, & mundum eccleſiæ tuæ ſuper omnes & omnia exaltaſti, & qui eras ante mundi conſtitutionem per myſterium ſacramenti in vnitate perſonæ vnigenitus a Patre. Propter quod dixeras: *Antequam Abraham fieret, ego ſum*: quoniam in Chriſto erat æternitas ab initio & ante ſæcula; & in Abraham breuitas, in qua Deus homo factus eſt, vt homo in tali breuitate fieret Deus, & in mundi plenitudine primogenitus Virginis matris in terris fieret, qui erat vnigenitus Filius Dei in cælis, de quo Ieremias: *Nouum faciet Dominus ſuper terram; Femina circumdabit virum.* Quod, commutata forma verborum talium, Plato ipſe, qui a ſacra Hebræorum vera philoſophia & Dei ſcientia lumen habuerat, dixerat, Deum circumrotundum & decurtatum, quando vnigenitus Dei Filius factus eſt homo. Propter quod Petrus apoſtolus, reuelante Patre, ei dixerat: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, pro prima ſabbati. In qua prolatione fidem catholicam & apoſtolicam ab æterno Patre pro æterno Filio ordinatam ad fundamentum eccleſiæ, confeſſus eſt. Et nunc quoque, quod ipſe venturus ſit in ſpiritu pro ſecunda ſabbati, ad magnam orbis reformationem, non minus opera Spiritus ſancti & virtute inſinuare reperitur, vt orbis terrarum, & vniuerſa quæ cæli ambitu

Pſalm. 47. *Iſa.* 2. *Apoc.* 19. *Ioan.* 8. *Ierem.* 31. *Matth.* 16.

continentur, ad montem sanctum apostolicæ sedis eius in Anno Christi 1515.
1. Thess. 4. vtroque gladio cum vera obedientia veniant. *Et tunc cognoscat vnusquisque nostrum, suum vas possidere in Dei magna ciuitate, ad sanctificationem & honorem per humilitatem scientiæ Dei, & non per superbiam humanæ scientiæ, ad contumeliam & errorem*, in quo & Auerroistæ in scientia diaboli
Isa. 66. & iuristæ in scientia mundi, & Mahumetistæ in scientia carnis, extollunt se aduersus scientiam Dei, ac lumen
Sap. 1. fidei catholicæ. Et idcirco a Spiritu sancto dicitur: *Super quem requiescam, nisi super humilem & trementem sermones meos? Siquidem & Spiritus sanctus disciplinæ effugit fictum, nec habitat in corpore subdito peccatis.* Hinc etiam scri-
Sap. 13. bitur: *Vani sunt omnes sensus hominis, in quibus non subest scientia Dei.*

Verum, pater sanctissime, si hæc talis ac tanta scientia Dei, in nostro Lateranensi magno Concilio, nunc mundi & diaboli & carnis spreta scientia, grato animo iam susciptetur, vera & repentina reformatio per totam ecclesiam, orbemque vniuersum, glorioseque miraculoseque absque liuore fiet. Et hoc certe, si in nouitate vitæ depositis veteribus pannis, cum veris Iebusæis corde contrito & humiliato, ad pientissimum regem nostrum Christum accedere curabimus. In qua humiliatione vera cum Christo rege magno reconciliatio fiet, sine qua nec vnionem principum Christianorum, nec expeditionem contra hostem potentissimum summe necessariam obtinere valebimus. Quandoquidem cognita magnitudine
Coloss. 3. ipsius magni Domini, exuere nos oportet veterem hominem cum omnibus malis actibus suis, in quibus ira Dei contra nos, populumque suum prouocata iam diu fuit, & nouum hominem Christum in sanctitate & veritate induere: alioquin peribimus regnante diluuio maximæ tribulationis in vinea Domini. Siquidem magnus ipse Dominus vitia, scelera, & peccata, ac blasphemias contra Deum, Virginem, & sanctos turpissimas, quæ in Romana & vniuersali ecclesia ac populo suo Christiano & orbe vniuerso perpetrantur, pro sua iustitia amplius tolerare non valeat, ne magnitudo sua ludibrio iri vlterius in tanta vniuersi corruptione habeat, quasi hæc inferiora ipse, Qui est, neglexerit: nam & sua negligere non

Anno Christi 1515. valet, quoniam Domini est terra & plenitudo eius: & neglecto per suos ministros in terris regimine vniuersi, in quibus, & status clericorum & religiosorum ac laicorum, terminos, quos posuerant sancti patres, dicente scriptura: *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui*; transgredi non verentur, corrigere, & de medio auferre summopere intendat & quærat. Ideo opera Lateranensis Concilii digne reformanda veniunt, ne pereamus de via iusta. At vero adhuc in nostro sæculo, patres optimi, multi sunt legis diuinæ peruersores, qui non modo præmissa fouere, sed & leges veteris mundi in maligno positi, quæ proprio fine carent, contra immaculatam legem Dei ponere satagunt, quando tales potestatem coactiuam imperii præferre Romano pontifici: & regnum mortis principis tenebrarum, regno Christi anteferre: & imperium puri & mortalis hominis imperio Dei & immortalis hominis: ac leges maculatas ad animarum perditionem legi immaculatæ conuertenti animas anteponere conantur. Et ita tales peruersi, & non conuersi, & irreligiosi, & non religiosi totius Christianæ fidei decorum contra magnitudinem magni Domini deturpare non verentur: quasi Christus bonus pastor animam suam pro ouibus suis, in quibus ædificaret sibi ecclesiam sine ruga & macula, in mortem solus non posuerit, & per sanguinem sanctorum, super se lapidem viuum & angularem, talem dilectam non ædificasset. O hypocritarum & perditorum hominum pessimam conditionem! o inimicorum fidei perditionem! o ignorantium pro salute animarum viam mandatorum Dei! Quis vos ita fascinauit, quod inde diuino iudicio rei facti estis, quando terminos sanctorum diuinæque scripturæ transgredientes, iura puri hominis contra veritatem Dei hominis, & magnitudinem æterni regis, ac contra scientiam Dei extollere adhuc contenditis, & cornua contra sedem apostolicam erigere per magistros erroris non erubescitis, vt tot mala religioni Christianæ non minus, quam ex aliis male gestis prouenerant? Sed heu, heu, quam calamitosa erit de proximo talium perditio, & laborantium in Dei scientia & obseruatione mandatorum Dei exaltatio! quoniam de magna Turcarum, & infidelium aliorum a tot annis persecutione, iam rex noster Christus ad refor-

Psalm. 23. *Prouer. 28.* *Ioan. 20.*

mationem vniuersi, sua magnitudine miro modo educet bonum pro secunda sabbati, sicut cum prima sabbati in maxima persecutione Romanorum regnum cælorum Romanæ ecclesiæ in ipsa Vrbe adduxerat vt esset in ea gloria omnibus sanctis eius, qui sanguinem suum fuderant pro firmamento apostolicæ sedis, & sedentis canonice in ea, & non minus in sua instanti reformatione nunc id futurum existimo. Ideo iam hora est, patres optimi, hora, inquam, est, nos de malo somno surgere, & magno Domino vigilare, quoniam ipse est, qui nostro quoque tempore in fremitu suæ magnitudinis propter lacry- *Ioan. 11.* mas Magdalenæ & Marthæ, id est, contemplatiuæ, & actiuæ rogantis ecclesiæ, Lazarum quatriduanum & iamdiu in lasciuia mundi fœtentem suscitabit pro sua magnitudine in secunda orbis conuersione demonstranda, in qua status clericorum in Lazaro designatus, præ aliis opera Virginis glorioſæ ad vitam contemplatiuam pro septimo statu ecclesiæ trahetur. Et non minus religiosorum *Mar. 5.* quatuor rotarum status, in filia mortua in domo archisynagogi demonstratus, ad primam vitam, in qua spiritus vitæ erat in rotis, miro modo a mortuis reuocabitur: status *Luc. 7.* vero laicorum in filio matris viduæ extra ciuitatem resuscitato præfiguratus, vbique terrarum multo glorioſius, quam alia, ad fidei catholicæ obseruantiam, apostolicæque doctrinæ quasi reminiscendo primitias fidei nostræ vocabitur, & pietissime intra ciuitatem Dei sub matris suæ Romanæ ecclesiæ obedientia adducetur, quod inde glo- *Ioan. 10.* rioſe toto orbe terrarum vnum ouile & vnus pastor vsque ad sæculi consummationem, in magnitudine vtique ipsius magni Domini fiat. Nam & hanc magnitudinem in cælo empyreo in primo magno generali Concilio intellectualis ecclesiæ pro hominis susceptione, in quo magnus Dominus suo tempore eleuandus in terra suppositoVerbi Dei ad vniuersi decorum erat, vt in illo constitueret vnam sanctam ecclesiam, electorum omnium matrem & reginam: si Lucifer, qui tanti boni concilii in cælo diuisionem fecerat, & primam viam mali concilii inuenerat sua malitia, superbiaque cum suis cohærentibus iuxta legem & conditionem eis appositam pro signo, in quo ipse habebat signaculum similitudinis Dei, suscipere, vt par

Anno Christi 1505.

Anno Christi 1515. erat, per veram obedientiam voluisset, & æterni sacerdotis magni ante eum geniti regnum & imperium ac hierarchiam, harmoniam & monarchiæ vniuersorum temperatissimum principatum, æqua mente in magnitudine creatoris sui & omnium præponderare quæsiuisset, & se supra se extollere non concupiuisset; a tanta magnitudine Domini, tamquam primus hæresiarcha sub anathemate perpetuæ damnationis ad ima deiectus, & extra bonorum angelorum ecclesiam & bonum concilium factus; nec donis supernaturalibus, in quibus plenus decore erat, spoliatus fuisset. Hanc magnitudinem si Adam suasione mulieris serpentina lingua deceptæ, in se non concupiuisset, donis gratuitis denudatus, sub maledicto terræ in opere suo, extra paradisum deliciarum eiectus in sudore vultus sui non vixisset. Hanc magnitudinem, si imperatores & reges tum Romanorum, tum aliorum, si philosophi, si sapientes in scientia noctis non ignorassent; idola non adorassent, Dei potentiam in agendis secundis causis non supposuissent, & primas sex veritates in diuinis philosophus non negasset: hanc magnitudinem, si principes sæculi, si populi & idolorum sacerdotes cognoscere voluissent, idololatriam contra veram latriam per orbem vniuersum non prædicassent: Babylonem omnium confusionum & errorum matrem contra ciuitatem Dei & iustorum ecclesiam non erexissent: nec monarchias septem Luciferi, suorumque principum, & imperium puri hominis supra regnum & imperium Christi filii Dei viui extollere falso titulo non perquisiuissent. Nec minus sacerdotes & principes synagogæ Iudæorum, si talem magnitudinem Domini sui grato animo suscipere voluissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, nunquam regno, sacerdotio, & ciuitate Dei priuati fuissent: nec imperatores, & principes Romani imperii, qui vbique terrarum in sanguinem sanctorum debacchabantur, si celsitudinem veræ magnitudinis in fide Christi cognoscere voluissent, in qua sui principes & ministri, ac milites, non in potentia armorum & sæculi fauore, sed in virtute perfecta, in vita immaculata, in signis & miraculis, in scientia Dei & doctrina Christi, in qua dæmones expellebant, idola destruebant, cathedram pestiferæ doctri-

Genes. 3.

næ deiiciebant, & cathedram veræ & apoſtolicæ doctri- ANNO CHRIST. 1513.
næ ſola operatione perfecta exaltabant, nunquam vſque ad magni Conſtantini tempora, in quibus ipſe Conſtantinus a diuina gratia afflatus deſuper, cognita æternitate Regis gloriæ & poteſtate in regno ſuæ eccleſiæ, & ſe poſſeſſorem malæ fidei in mundi principatu poſt reſurrectionem illius ex mortuis aduertens, ſceptrum imperii orbis & Vrbis, ac monarchiam vniuerſi, vero & proprio domino & omnium creatori victori Deo, & homini in ſede ſua Romana Silueſtro pontifici maximo in iure primæuo & naturali Chriſti æterni ſacerdotis ſecundum ordinem benedicti Patris plene ceſſit, & Chriſtum regem magnum in ſuo vicario per obedientiam adorauit, aliamque ſedem iuſſu illius, & conceſſione apoſtolica quæſiuit, & ſub obedientia ſedis apoſtolicæ in Byzantio erexit, & contra hoſtes fidei noſtræ ſemper glorioſe pugnauit. Quæ quidem omnia ſic diuinitus geſta, ſi alii imperatores cognoſcere & ſuſcipere voluiſſent, nunquam, inquam, tales imperatores in ſanctorum ſanguine tam crudeliter polluti fuiſſent. Nec minus etiam poſt Conſtantini tempora, ſi imperatores, ſi legum imperialium cultores & conditores, & noſtri etiam temporis illarum profeſſores, talem magnitudinem regni Chriſti & ſaluatoris noſtri Ieſu æterni ſacerdotis aduertere voluiſſent, omnia temporalia & poteſtatem tum in diuinis, tum in humanis, ſpreto iugo Chriſti, in ſuis vicariis ad imperium trahere non præſumerent. Nec Cæſares electiones pontificum pro eorum argumento confirmaſſe aſſererent; nec talia male geſta, diuinitus ſuo tempore euacuata allegarent. Nec poteſtatem coactiuam & tyrannicam, iterato ſuper liberam, vnicam, & ſupremam vicarii Chriſti poteſtatem & ſanctæ eccleſiæ ponerent. Nec ſola ſpiritualia pontifici Romano aſcriberent, nec verba Chriſti, dicta ſanctorum & ſacrorum Conciliorum, ſummorumque pontificum decreta, opera Spiritus ſancti edita, ac ſacras ſanctiones obliqua interpretatione aberrantes ab vtero, ſacrarum literarum violaſſent. Nec denique noſtris temporibus, ſi cardines orbis, ſi reges tum cæli eccleſiæ, tum terræ, ſi quatuor rotarum patres, & religioſi, ſi magiſtri & doctores, ſi aduocati & procu-

ratores

ANNO CHRISTI 1515. ratores, si iudices, & Romanæ curiæ officiales, ecclesiarumque rectores, tantam magnitudinem magni Domini, & inuiolabilis iustitiæ suæ sceptrum, recta, simplici, ac pura mente, iuxta legis Dei, & regularum diuinum intellectum susciperе vellent, tot enormia & legi immaculatæ contraria, fracto iugo Christi sine caritate ac Dei timore, plebem Christi quasi panem deuorantes, non perpetrarent, & terminos, quos posuerunt sancti patres, non transirent. Quapropter Bernardus ad Eugenium tamquam ad summum hierarchicum in cælo ecclesiæ virum, in quo erat omnis potestas supra omnes potestates, tam cæli quam terræ, recte scripserat: Tibi data est omnis potestas; in qua qui totum dicit, nihil excludit: sed cogita vtrum omnia concedere debeas. Quod si non debes, serua modum, vt iustificeris, cum iudicaris. Et alibi: Vt quid in palatio tuo leges Iustinianæ garriunt, & tuæ Christianæ silent? In quibus si tantum, patres optimi, leges Christi non siluissent, & præsidentes in Dei ecclesia in regimine eis commisso modum in omnibus seruassent, sancta ecclesia tantorum hæreticorum hæreses, & schismata, ac impiorum persecutiones non sustinuisset, nec sceleratam Mahumeti sectam, nec Ottomannorum & Sophi instantem maximam persecutionem subire cogeretur: si tamen Dominus ipse magnus, magnitudinem suam contra potentissimum hostem sicut sub *Eliseo contra Sennacherib, & Macchabæorum tempore contra Antiochum non apposuerit, quod inde virtus fidei suæ elucescat. Recte ergo ad nos conuersa mater nostra ecclesia voce lugubri dicere potest: *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, vt non sit in pace adhuc amaritudo mea amarissima.* Siquidem & amara fuit tyrannorum in filiis meis occisio, sed inde fidei meæ amplificatio: & non minus amarior hæreticorum persecutio, sed catholicæ fidei exaltatio: verum & iamdiu, sed fortius nunc propter falsam & simulatam hypocritarum irreligionem, facta est mihi amarissima, quando talium causa, spurcissima secta Mahumeti tantum per orbem creuerit, quæ tamen de proximo, virtute dexteræ Excelsi, & non humana, extincta erit: vt sit pro septimo statu in vera pace amaritudo amarissima, & pax in terra hominibus bonæ voluntatis. Quibus

Prouer. 22.

Psalm. 50.

*Isaia, vel Ezechia, legendum.

Isa. 1.

quidem sic stantibus, pater sanctissime, talibus iam speculationibus tanti psalmi postpositis, ad illas tantum pro conclusione orationis nostræ summe & repentine necessaria veniamus, in quibus anima mea iam corde & mente immersa, dolores parturientis Romanæ ecclesiæ nostræ & vniuersalis tam vehementer in se susceptit, quod contremiscunt labia, viscera quatiuntur, oculi lacrymarum flumina desiderant, lingua calculum ignis Christi exoptat, vt circumquaque lingua velociter dicentis diffundere valeat, quanta sit latitudo, submersio & periculum imminentis tribulationis tum Sophi & impiorum hominum, tum Turcarum, in qua Dominus propter scelera, vitia & peccata, quæ in regibus tum cæli, tum terræ, ac populo Christiano hoc nostro tempore vigēt, ad nostri temporis flagellum potentissimos fidei nostræ hostes excitauit, & negligentissimos principes Christianos pro illius defensione adhuc multis flagellis a somno turpissimo excitare non valuit, quandoquidem in maleuolam animam intrare sapientia diuina nequeat, vt fiant nostra posteriora peiora prioribus, in quibus ab annis multis populus Christianus Christi sanguine redemptus, ductus est captiuus incuria & negligentia prælatorum ecclesiæ, & principum Christianorum, qui quærentes quæ etiam sua non sunt, quæ Christi sunt neglexerunt, ac ad præsens fortius solito negligunt, quandoquidem bella durissima ab annis viginti inter se exercentes, tantorum bellatorum sanguinem, tum in Italia, tum extra, sine pietate fuderunt, presbyteris, religiosis, nobilibus, honestisque viris, sanctimonialibus, virginibus, viduis, aliorumque vxoribus, pueris & puellis, tam turpiter abusi fuerunt, quod nec sexui, nec ætati, nec religioni, nec ecclesiæ, nec sacris rebus pepercerunt, ac si feræ siluarum immanissimæ, & sine ratione fuissent in membrorum Christi conculcatione turpissima sæuientes, & non minus in extinctione veteranorum militum laborauerunt, in quibus robur exercitus Christianorum contra tantos hostes tutissimum erat. O miserrimam populi Christiani conditionem! O summis lacrymis deplorandam tot animarum perditionem! O miseræ Italiæ crudelissimam conculcationem, deprædationemque! in quibus latior via, extinctis nostris præsidiis, hosti-

Anno Christi 1515.

Sap. 1.

Anno Christi 1515. bus fidei nostræ data est. Siquidem tales auctores, crudelissimique belli nimia propria cupiditate ducti, reipublicæ Christianæ defensionem distulerunt, & bella inter Christianos exercentes, stragem maximam sanguinis Christiani dederunt. Et ideo vada, quo ad potuerunt, ad occupandum maiora in dies, Turcis & aliis infidelibus aperuerunt. Et eo quidem tempore, in quo si principes Christiani vniti essent, facillime stante talium infidelium durissima strage inter se, dominia Christianorum occupata recuperare possent. Propterea Dominus per Isaiam conqueritur, dicens: *Ideo populus meus ductus est captiuus, quoniam non habuit scientiam*, scilicet veræ doctrinæ & immaculatæ vitæ, in qua ecclesiæ pastores, non pastores fuerunt tunc, sed lupi rapaces, prout multis notum est. Verumtamen quanto maior erit nostri causa persecutio, tanto glorioſior erit per conuersionem omnium, in Christo rege nostro, & non a nobis liberatio. Et hinc fuit, patres optimi, quod breui tempore quatuor patriarchales ecclesiæ, aliæque innumerabiles, in quibus Hebræorum & Græcorum ecclesiæ de titulo crucis abrasæ opera diaboli fuerunt, propter illarum hæreses & rebellionem contra obedientiam sanctæ sedis Romanæ, ad manus infidelium deuenerunt. Siquidem & in sede Romana in suo vicario Deus sibi obedientiam incommutabilem reseruauerat, instar illius, quam in ligno paradisi Adæ posuerat, vt imperaret mundo, & soli Deo vnice seruiret & obediret, & tantam obedientiam a subditis exigeret, quantam ipse Deo præstaret. Idcirco aduersantes obedientiæ ligni sedis apostolicæ, a crucis ligno assumptæ, dicente Propheta: *Dominus regnabit a ligno*, grauissime durissimeque puniti fuerunt, quod talium exemplo etiam sedens in ipsa apostolica sede, animaduerteret, qua censura plectendus veniret, si ipse Deo non obediret: quandoquidem Deus illum sibi soli iudicandum seruauerat, prout in pontifice Aaron, & Petro concipere potuimus. Quapropter nostro tempore duo imperia, tot, tantaque regna & Christianorum dominia ad spurcissimam sectam Mahumeti cum maxima iactura reipublicæ Christianæ & regentium in ea, venerunt, quoniam ab obedientia sedis apostolicæ recesserunt. De quibus valde timeo & pertimesco, quo-

Isa. 5.

Gen. 2.

Psalm. 93.

niam obstinationem in malo in rectoribus tum ecclesiæ, tum residui populi Christiani in orbe terrarum, non ignoro quod dicente Ezechiele, Dominus iam per flagellum Turcarum siue impiorum a pastoribus requiret gregem suum, tempore nubis & caliginis male præsidentium dispersum, & ab vberibus sanctæ ecclesiæ euulsum per inobedientiam. O me miserum, quid audio? quid mente concipio ex his? Væ inquam mihi, quia tamdiu tacui, vt inde vir pollutus labiis essem. Verumtamen tacui, o patres, o domini, o maiores mei, quia aliquantisper propheticus ille sermo me retardauit, quo dicitur: *Qui intelligit, taceat, quoniam prauum tempus est, in quo alii supplantant, alii qui in eum, qui cecidit, insiliunt, alii super eum plaudunt: qui autem manum porrigat ex affectione, non est.* Et quoniam caritas extincta est, admonitiones ex caritate sublatæ sunt, concordiæque etiam nomen ipsum ad præsens ignoratur; O tempora! a summis ad ima facta transgressio: improbitati probitas, inopia copiæ, superbiæ humilitas, auaritiæ caritas cessit: non mirum igitur, si causis diuersis, vti natura est, diuersi pro temporibus oriuntur effectus. Nam & sancti apostoli, & illi qui nostram ecclesiam suo sanguine ædificarunt, cælestia & bona immortalia, nos vero caduca & mortalia terrena quærimus: illi miracula & virtutes, nos piacula & scelera: illi summis virtutibus gratiam, nos vitiis iram consecuti fuimus. Sed væ, væ gubernacula Christianorum male flectentibus, qui propria dumtaxat curantes, mentium animarumque salutem neglexerunt, gregemque rapientibus lupis non modo non obuiant, sed vada, quoad possunt, per desidiam ampliant.

Ezech. 34.

Isa. 6.

Amos 5.

Iamiam tempus vindictæ aderit, nisi per veram Lateranensis Concilii ordinationem, pœnitentiam de commissis, & omissis in populo Christiano te iubente, pater sanctissime, qui plenitudinem potestatis in te habes, prædicabitur, & vera reformatio tam in spiritualibus, quam in temporalibus, vbique terrarum tuo decreto diffusa fuerit. Arripe ergo gladium diuinæ potestatis tibi traditum bis acutum, & iube, impera & manda, vt pax vniuersalis, & colligatio per decennium inter Christianos ad minus fiat, & reges ad id in compe-

ANNO CHRISTI 1515. dibus magnitudinis magni Regis liga, & nobiles in manicis ferreis censurarum constringe, quoniam tibi data *Matth. 16.* est omnis potestas in cælo & in terra. Vtere ergo illa, vt pacem inter Christianos habeas, & expeditionem contra hostes fidei, vt par est, e vestigio obtineas: quandoquidem hostis noster, tamquam draco sæuissimus, ad nos deuorandos properat & festinat. Et si ante prouisionem nostram ingredietur terram nostræ promissionis Italiam, quid tibi tunc, pater sancte, dignitas pontificalis proderit? quid gemmæ? quid preciosa latera domus? quid dominia & principatus tui & tuorum? quid sponsæ fidei tuæ commissa ornamenta? quid vasa preciosa, & palatia digne constructa? Quid Cæsari maximo nostro imperii sceptrum & regni Romani dignitas valebit, si eo viuente & negligente, talis calamitas euenerit? Quid regibus Christianissimo & Catholico, talis denominatio Christianissimi & Catholici operabitur, si de illorum negligentia rei diuino iudicio fient? Quid aliis regibus Christianis, ceterisque tum Italiæ, tum extra, dominia, regna, thesauri maximi, filii & paratus armorum, si sanctam ecclesiam Romanam dominam & reginam, ac omnium matrem profanari permiserint? Quid vobis, patres optimi, dignitas maxima cardinalatus? quid arca plena nummis? quid vasa aurea & argentea? quid lapides preciosi? quid equorum & familiæ ornatus & domorum, ceterarumque rerum vsus deceptione plenus? Quid denique ecclesiæ sanctæ prælatis dignitas, potestas & diuitiæ? Quid Romanis aliisque populis, & Romanæ curiæ officialibus, ceterisque miseræ Italiæ cultoribus vita & opera ipsorum tunc prodesse poterunt? Dicat a memoria mea calamitosa illa Constantinopolitanæ ciuitatis clades. Probet totius illius imperii dura sanguinis effusio. Confirmet Trapezundæ & omnium populorum Hellespontici maris circumquaque euersio. Clamet Thessalonicarum Mityleni & Peloponnesi occupatio. In medium afferant Asiæ & Europæ ditissimæ deuastatæ prouinciæ. Insinuent totius Thessaliæ, Macedoniæ, Epiri & Illyriæ opulentissimæ sine numero deprædatæ ciuitates, opida & castra. Exclament tot millia millium populorum totius fere plagæ orientis, meridiei ac septemtrionis, qui

ab annis ducentis, sed turpius duriusque nostris temporibus, ab infidelibus subiugati fuerunt, & iam successiuis temporibus, quod dolenter dico, a fide nostra diuersi, quorum sanguinem, dicente Ezechiele, in die districti examinis Dominus de manibus illorum, qui tunc in Dei ecclesia indigne præsidebant, durissime requiret. Declaret tantarum virginum violatio, puerorum vlulatus, mulierum planctus, matrimoniorum diuisio, captiuorum venditio, & aliorum absque numero occisio. Aperiat & ante oculos nostros ponat huius matris nostræ & sponsæ Dei, tantarum ecclesiarum vbique fornicatio, & sanctarum religionum dissipatio, & in reliquiis sanctorum conculcatio: quæ quidem omnia in illa misera Chalcidis, seu Eubœæ, Croiæ, Driuasti, Alissii, Scodræ, Motoni & Coronæ & aliarum direptione fuerunt, quæ cuncta hæc domus Ottomannorum breui temporis spatio debacchata est. Et denique proclamet in auribus nostris crudele ac nefandum Hydrunti excidium, in quo quam sæua fuerit Turcarum rabies nemo nostrum ignorat. Nam & quo in periculo tunc fuerit & Romana ecclesia, & tota Italia, quod tertium *Væ* Apocalypsis non sustinuerit, sicut Hierosolymitana primum & Constantinopolitana secundum, propter illarum auersionem contra regnum Christi & suæ sanctæ apostolicæ sedis sustinuerint, misericordia & miseratio magni Domini ad suorum fidelium preces apertissime declarauit, quando instante periculo nostro, opportuno tempore Turcarum principem imperatorem sæuissimum Mahumetum soldanum interemit. Hæc nos doceant, hæc nobis ad doctrinam fiant, hæc in exemplum accedant, hæc nos excitent, hæc nos cautiores & diligentiores faciant & reddant. Et quæ nobis vsui & ornatui sunt pro gloria nominis illius, cuius omnia sunt, pro salute nostra & multorum, ac pro liberatione totius reipublicæ nostræ Christianæ, nosipsimet potius exponamus, largissimeque effundamus, quam ad talium pollutas manus vna nobiscum deueniat. Quod vtique digne fiet, pater beatissime, si, quæ diximus, opere complere curabimus. Verum quo id a nobis dignius, præstantiusque exequatur, colligite, vos patres, vos domini, vos ecclesiarum rectores ac præsides, vos, inquam, etiam reges &

Ezech. 34.

Apoc. 8.

Anno Christi 1513.

Anno Christi 1515. principes Christiani populi, vos iterum, inquam, qui in sanguinem Christi, & sanctorum nimium impinguati & dilatati estis, colligite fragmenta alabastri, confractæ in dicendo psalmodiæ ne pereant, & implete cophinos animarum vestrarum, sicut apostolorum numerus prima sabbati, pro secunda sabbati orbis conuersione complenda, quasi priora reminiscendo, & posteriora præuidendo, iussu Domini duodecim cophinos, iuxta partes duodecim orbis secundo conuertendas impleuerunt, de quibus Propheta: *Reminiscentur & conuertentur ad te omnes fines terræ.* Psalm. 21. Quapropter vos cardines orbis, vos principes terræ, docente rege nostro Dauid, circumdate iam dignius ac præstantius solito montem Sion, speculatricem videlicet sanctam apostolicam sedem nostram. Psalm. 47. Et vos etiam veri episcopi, & sanctæ ecclesiæ digni prælati, matrem nostram Romanam ecclesiam, vnicam dominam omnium & reginam vero & pio affectu complectimini, & vestra immaculata vita, doctrina & operatione perfecta fouete eam, orationibus instantes, ieiunia, & eleemosynas obseruantes, sacras vigilias adamantes, & distribuite fragmenta apostolicæ doctrinæ in domibus eius, scilicet in ecclesiis illius, in quibus tamquam turres dati estis cum propugnaculis contra hostes fidei, vt enarretis pro progenie altera, quæ ad iugum fidei catholicæ & apostolicæ ventura est: quoniam hic magnus Dominus nimium laudabilis in ciuitate Dei, & in monte sancto eius: ipse, & non alius, est Deus Dominus noster, & solus saluator & liberator, qui digne & glorioſe miraculoseque cum exultatione vniuersæ terræ, ab omni periculo nos liberabit, & in fremitu fortitudinis suæ conculcabit omnes contrarias potestates: & ipse, inquam, & non alius, cum gloria & honore nominis sui reget nos in sæcula sæculorum. Amen. Deo gratias.

Die vero vigesima præfati mensis Maii, reuerendissimus in Christo pater & dominus dominus Antonius tituli sancti Vitalis, nunc vero sanctæ Praxedis presbyter cardinalis, protector illustrissimi Caroli ducis Sabaudiæ, dedit mandatum præfati illustrissimi domini; cuius tenor talis est:

MANDATVM DVCIS SABAVDIÆ.

Anno Christi 1515.

Carolus dux Sabaudiæ, Chablaiſii & Auguſtæ, ſacri Romani imperii princeps vicariuſque perpetuus, marchio in Italia, princeps Pedemontium, comes Gebeneſii, Baugiaci & Rotundi montis, baro Vuandi, Foncigmaci & Gaii, Niciæque, Breyſſiæ ac Vercellarum, &c. dominus, vniuerſis & ſingulis præſentes literas inſpecturis.

Facimus manifeſtum, quod cum quondam felicis recordationis Iulius papa ſecundus, ſacrum Lateranenſe Concilium in vrbe Roma celebrandum indixerit, quod ſanctiſſimus dominus noſter dominus Leo diuina prouidentia papa decimus, præfato Iulio, ſicut Domino placuit, de medio ſublato, ad ſummi apoſtolatus apicem diuina fauente clementia aſſumptus, pro rebus vniuerſalis eccleſiæ, ac totius Chriſtianæ religionis ſalubriter dirigendis diſponendiſque, vt experientia edocet, cum maxima catholicorum principum, Chriſtianique populi frequentia proſequitur. Nos igitur tam ſalubre & laudabile ſuæ beatitudinis propoſitum, ac permaxime neceſſarium opus collaudantes, illiſque pia deuotione & reuerentia aſſiſtentes, licet ſuperioribus proximis diebus ſpeciales oratores noſtros ſuæ beatitudini, tamquam vicario Chriſti & beati apoſtolorum principis Petri vero ſucceſſori, reuerentiam obedientiamque præſtandam deſtinauerimus, nihilo minus vt ſanctis inſtitutis ſuæ beatitudinis, cuius & ſanctæ matris eccleſiæ membrum nos eſſe profitemur, iuxta illuſtriſſimorum progenitorum noſtrorum laudabilem conſuetudinem conformemur, ex noſtra certa ſcientia maturaque deliberatione, citra tamen quorumcumque procuratorum noſtrorum hactenus per nos conſtitutorum reuocationem, tenore præſentium facimus, conſtituimus & deputamus noſtrum verum, legitimum & indubitatum procuratorem ſpecialem, ita tamen, quod ſpecialitas generalitati non deroget, nec econtra, videlicet reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum dominum Antonium, ſanctæ Romanæ eccleſiæ tituli ſancti Vitalis presbyterum cardinalem, noſtrum & negotiorum noſtrorum in Romana curia protectorem, ſpecialiter & expreſſe ad ſe nomine noſtro in dicto ſacroſancto

Conci-

Anno Christi 1515. Concilio, illiusque sessionibus, quatenus expediat, præsentandum illisque interessendum, ad dicendum, proponendum, tractandum & procurandum, nec non laudandum & emologandum omnia & singula, quæ ad laudem Dei, animarum salutem, morum reformationem, vniuersalisque ecclesiæ, ac totius religionis Christianæ bonum, pacem quoque & vnionem Christi fidelium concernere videbuntur, & quæ præfatus sanctissimus dominus noster papa sacro huiusmodi Concilio approbante duxerit reformanda, statuenda & ordinanda, nec non & ad alia faciendum, dicendum, gerendum & exercendum, quæ nosipsi in præmissis & circa ea faceremus, diceremus & proponeremus & ageremus, si præsentes personaliter interessemus, etiamsi talia forent quæ mandatum exigerent magis speciale, quam præsentibus est expressum. Quæ quidem omnia & singula promittimus bona fide nostra, & in verbo principis perpetuo habere & tenere rata, grata, valida & firma, in nulloque contra facere, dicere, opponere vel venire, nec contrauenire volenti aliqualiter consentire, clam, palam, tacite vel expresse sub obligatione omnium bonorum nostrorum, præsentium & futurorum cum renuntiationibus, & ceteris clausulis solitis & opportunis. In quorum testimonium has duximus concedendas, quas per secretarium nostrum subsignatum fieri iussimus, sigillo cancellariæ nostræ roboratas.

Datæ Taurini, die quarta mensis Maii, millesimo quingentesimo decimoquinto.

Carolus.

Primum præsentibus dominis illustrissimis Philippo de Sabaudia comite Gebennensi, reuerendo Ioanne de Sabaudia episcopo Gebennarum, reuerendo Vrbano de Myolano electo Valentinensi, Angelino de Prouais præside patrimoniali, G. domino Salloysonis barone sancti Germani, reuerendo domino de Piouana abbate Noualesii, Francisco Piouana, Ioanne de Lucerna, Francisco de Boscho, domino Pressiaci magistro hospitii, Iafebro Paserii aduocato fiscali.

Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimoquinto indictione tertia, die vero vigesimaprima

menſis Iunii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, dominus Marius de Peruſchis ſacri Concilii, aut fiſci procurator, petiit, quod inſtrumentum datum coram ſanctiſſimo domino noſtro per magnificum dominum Ludouicum de Soleriis, & in libris cameræ apoſtolicæ regiſtratum in actis Concilii de nouo regiſtrari tradens illud facto tenoris infra ſcripti: ANNO CHRISTI 1515.

In nomine Domini. Amen.

Anno natiuitatis dominicæ milleſimo quingenteſimo decimoquinto, & die vigeſimaſecunda menſis Februarii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno ſecundo. Nouerit modernorum præſentia, & futurorum poſteritas non ignoret, quod magnifici & ſpectabiles iurium profeſſores, domini Geruaſius de Bello monte miles & præſidens, Bertrandus Duranti dominus de Podiouerio, Simon de Tributiis dominus de ſancta Margarita, Gaſpar de Pererio, Marcellinus Giuremandi, Bertrandus Roſtagui, Antonius de Albis, Claudius Sarente dominus de Souaſſu regii conſiliarii, in ſuprema curia inſignis parlamenti Prouinciæ, & item magnifici etiam iurium doctores domini Aymericus de Andrea præſidens computorum, Ioannes Arbaudi & Michael Guirani magiſtri rationales magnæ regiæ curiæ, & cameræ computorum Aquenſium: nec non egregii domini Iacobus de Angelo, & Franciſcus Guarini iurium licentiati, regii generales procuratores conſtituti infra cameram conſilii dictæ ſupremæ curiæ, certificati, vt dixerunt, de actis, geſtis & promiſſis per magnificum & ſpectabilem militem dominum Ludouicum Forbinum dominum de Soleriis, primum in dicta parlamenti curia regium conſiliarium, & apud ſummum pontificem pro Chriſtianiſſimo domino noſtro Francorum rege oratorem digniſſimum, eorumve ſpectabilium dominorum procuratorem, conſtante de eius procuratoria poteſtate inſtrumento in notam ſumpto, & rogato per me notarium & ſecretarium regium infra ſcriptum, apud dictum ſanctiſſimum dominum noſtrum papam, iuxta poteſtatem eorum parte illi datam,

ANNO CHRISTI 1515. prout de actis, gestis, atque promissis iam dictis spectabilibus dominis constitit per actum, seu illius exemplum nuper eisdem transmissum per reuerendum & spectabilem iurium doctorem dominum Petrum de Brandis archidiaconum Venerensem etiam regium in dicta curia parlamenti consiliarium Romæ existentem. Cuius quidem exempli tenor sequitur:

Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimoquarto, indictione secunda, die vero decimaquinta mensis Nouembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno secundo, constitutus personaliter coram præfato sanctissimo domino nostro, ac testium, & mei notarii cameræ apostolicæ infra scriptorum Romæ in palatio apostolico, ac in aula seu camera ipsius palatii, præfatus magnificus dominus Ludouicus procurator, & procuratorio nomine præmissorum in eodem procuratorio nominatorum, asserens & notificans eidem sanctissimo domino nostro, quod ipsi consiliarii regii superius nominati, voluntarie & scienter non admiserant contenta in dicto monitorio, sed quodam modo inantea intendebant esse obedientes filii suæ sanctitati, & nihilo minus vigore facultatis sibi in dicto instrumento attributæ, omnes & singulas prohibitiones, mandata & decreta per ipsos consiliarios, ac parlamentum huiusmodi hactenus contra ecclesiasticam libertatem & canonicas & pontificum sanctiones factas, & facta ac gesta, eis omnibus, melioribus, modo, via, iure, causa & forma, quibus melius potuit, sciuit & debuit, coram ipso sanctissimo domino nostro reuocauit, cassauit & annullauit, ac reuocat, cassat & annullat, & ad pristinum statum omnia reducit, ac eisdem literis monitorialibus expresse, quantum potuit, obediuit & obtemperauit, & quod dicti sui principales illis obedient, & obtemperabunt ac facient, & exequentur in futurum in omnibus & per omnia, prout in eisdem literis monitorialibus plenius continetur; expresse dixit atque promisit, me notario præsente, & stipulante, & cetera; prout etiam ipsi principales sui iam in partibus publice reuocauerant, cassauerant & annullauerant, & alia fecerant, prout in

publicis documentis desuper factis, constantibus, de quibus fidem facit, ac ea mihi notario infra scripto consignauit inserenda, quorum tenores inferius describuntur. Et insuper eosdem principales suos, & eorum quemlibet in solidum virtute dicti mandati & potestatis sibi attributæ quodam modo inantea ipsi sui principales & eorum quilibet, quantum in eis vel eo est, omnia & singula contenta in dicto monitorio adimplebunt, & præmissis omnibus parebunt, & ecclesiasticam libertatem non perturbabunt, sed tamquam catholici, & obedientes filii suæ sanctitatis mandatis acquiescent. Et quod non contrauenient in futurum directe vel indirecte alio quouis quæsito colore. Et eorum, & cuiuslibet ipsorum bona quæcumque specialiter & expresse obligant, & pro eis & eorum quolibet de rato, & rati habitione. Ac se acturum & curaturum, quod infra quatuor menses proxime futuros dicti sui principales omnia & singula, supra & infra scripta ratificabunt & approbabunt. Et quod omnia & singula in dictis monitorialibus semper & perpetuo obseruabunt & adimplebunt, prout in eisdem literis continetur & præcipitur, solenniter & expresse promisit, me notario infra scripto tamquam publica & authentica persona, pro sancta Romana ecclesia & omnibus aliis quorum interest, stipulantibus & recipientibus. Anno Christi 1514.

Quibus sic gestis, præfatus sanctissimus dominus noster more pii patris, motus benignitate & clementia, considerans & attendens, quod præfati consiliarii ad cor reuersi sunt, & quod sancta sedes apostolica post lapsum cum humilitate ab ea veniam petentibus & recurrentibus ad eam non consueuit claudere suæ pietatis gremium, etiam ad vnuersas preces ipsius magnifici domini Ludouici præfatos consiliarios superius nominatos, & eorum singulos auctoritate apostolica, & ex sua solita clementia præmissis, visis & intellectis, exceptis dumtaxat his, qui per secundum monitorium ad comparendum personaliter sunt adstricti, a censuris & pœnis etiam inhabilitatis, factionis testamenti, eorumque posteritatem & generationes, & descendentes ab eis absoluendos duxit & absoluit,

Anno Christi 1515. & facto signo sanctæ crucis in personam præfati magnifici domini Ludouici eorum procuratoris, benedixit, & interdictum ecclesiasticum præmissorum occasione forsan appositum, penitus, & omnino relaxauit, eosque & eorum quemlibet rehabilitauit, & ab eis & quolibet eorum omnem infamiæ maculam siue notam penitus remouit, ac eos, & eorum singulos, quatenus opus sit, ad pristinos honores, gradus, dignitates, beneficia & officia restituendos duxit, restituit cum reincidentia & sine aliqua suspensione, & reuocatione, & præiudicio dictarum literarum monitorialium, & processus, perinde ac si præsens absolutio facta non fuisset, nisi omnes & singuli principales prædicti infra dictos quatuor menses proxime futuros præmissa omnia & singula sic, vt præfertur, ratificauerint & approbauerint.

Ipsi vero spectabiles & magnifici domini parendo mandatis, & beneplacitis ipsius sanctissimi domini nostri papæ, quantum in eis est, & eos tangit, seu tangere poterit in futurum, communiter & diuisim omnia & singula per dictum spectabilem dominum de Soleriis, iuxta mandatum sibi datum, acta, gesta, promissa & procurata, & quæ in exemplo super inserto continentur, omnibus, melioribus, modo, via, iure & forma, quibus potuerunt & debuerunt, approbarunt, laudarunt, emologarunt, & ratificarunt, laudantque approbant, emologant & ratificant, promittentes emologationem, approbationem & ratificationem huiusmodi, ac omnia alia & singula supradicta, firma & valida habere, tenere & obseruare, ac nunquam in aliquo contrafacere, dicere, vel venire, per se vel aliam interpositam personam tacite vel expresse sub expressa hypotheca, & obligatione omnium bonorum supranominatorum spectabilium dominiorum, & cuiuslibet ipsorum, mobilium & immobilium, præsentium & futurorum, ac sub omni iuris & facti renuntiatione pariter & cautela. Et ita ad sancta Dei euangelia per eosdem seriatim, vnus post alium tacta iurarunt, de quibus præmissis omnibus fieri & expediri iusserunt, & voluerunt vnum & plura, publicum & publica, instrumentum & instrumenta, per me notarium & secretarium regium infra scriptum. Acta fuerunt hæc omnia in ciuitate Aquensi, vbi supra, videlicet infra cameram

regii consilii dictæ curiæ supremæ parlamenti, præsentibus ibidem nobilibus viris magistris Guillelmo Morini, Ioanne Malhart, & Antonio Malbequi regiis secretariis, & eiusdem curiæ grafferiis, testibus ad præmissa vocatis, & assumptis. Et me Ioanne Boycelli ciue Aquensi regio secretario & notario publico, & comitatibus Prouinciæ & * Fortulquerin, terrisque illis adiacentibus regia, & alias vbique terrarum apostolica auctoritatibus constituto. Qui præmissis ratificationi, approbationi & emologationi, promissionique & obligationi & aliis supradictis vna cum prænominatis testibus præsens fui, eaque in notam sumpsi, legi & publicaui, a qua, seu illius originali extenso, hoc instrumentum publicum, in hanc publicam formam redactum aliena manu mihi fideli virtute gratiæ mihi concessæ extrahi feci, & inde collatione facta cum eodem extenso, compertaque conformitate, hic me subscribens, signum meum interposui authenticum, in fidem, robur & testimonium omnium præmissorum.

ANNO CHRISTI 1515. * For. quinquerii, hodie dum.

Anno prædicto, & die vigesimasexta mensis supra dicti Februarii in loco supradicto, videlicet infra cameram consilii, in præsentia nobilium Stephani de Gennes commentariensis palatii, & Ioannis Draconis Villæ * exeratum, meique notarii secretarii regii supra & infra scripti constituti, magnifici & spectabiles iurium professores domini Petrus Matthæi, dominus de Renesto Brossiæ, & Ioannes Toruatiris dominus de Canilhaco, etiam regii in dicta curia consiliarii, certiorati per lecturam præsentis instrumenti de ratificatione, approbatione & emologatione gestorum & promissorum per supra scriptum magnificum dominum de Soleriis, illam, & omnia in huiusmodi instrumento contenta, gratam & ratam, rataque & grata habentes, omnibus, melioribus, modo, via & forma, quibus potuerunt & debuerunt, quantum in eis est, & eosdem coniunctim & diuisim tangit, seu tangere potest, ratificauerunt, approbarunt & emologarunt, ratificantque, approbant & emologant sub illis, & eisdem promissionibus, obligationibus, renuntiationibus & iuramento supra scriptis, ac si præsentes in præmissis interfuissent. Et hanc ratificationem & approbationem iusserunt notari, & describi per me dictum notarium & secre-

Anno Christi 1515. tarium, hic me propria manu subsignantem. Boycelli.

Vniuersis & singulis has præsentes testimoniales literas inspecturis, visuris & audituris. Nos Gulielmus de Cordoano iurium licentiatus, sanctæ metropolitanæ Aquensis ecclesiæ canonicus, vicariusque generalis in spiritualibus & temporalibus totius archiepiscopatus Aquensis; Notum facimus & attestamur, nobilem virum magistrum Ioannem Boycelli ciuem Aquensem, qui præsens siue præcedens instrumentum ratificationis sumpsit, subscripsit & subsignauit, fore & esse regium secretarium, notarium publicum apostolica, & regia auctoritatibus notum, virumque boni nominis & famæ, ac laudabilis conuersationis, ad eumque tamquam ad notarium publicum & personam publicam, communem & publicum haberi recursum, & pro tali in tota patria Prouinciæ reputari, suis quoque instrumentis & actis publicis, manu & signo suis roboratis, in iudicio & extra stari, & fidem indubiam adhiberi. Et vt præscripto instrumento fides indubia per quoscumque adhiberi valeat, has præsentes testimoniales literas per Honoratum Parcatoris notarium, & curiæ archiepiscopalis Aquensis scribam fieri, sigillique eiusdem curiæ cum manus nostræ subscriptione fecimus, & iussimus debita appensione communiri.

Datæ Aquis die vigesimatertia mensis Februarii, anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimoquinto tertiæ indictionis.

G. de Cordoano
vicarius præfatus.

Anno a natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die vero octaua mensis Iulii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, reuerendissimus in Christo pater & dominus dominus Antonius tituli sanctæ Praxedis presbyter cardinalis de mandato præfati sanctissimi domini nostri domini Leonis papæ decimi, sibi viuæ vocis oraculo facto, mandauit nobis Bernardo Sculteti, & Bernardino de Contreras, notariis & scribis sacri Concilii, vt daremus in publica forma magnifico domino Ludouico de Soleriis, Christianissimi Francorum regis oratori, instrumentum authenticum cuiusdam protestatio-

nis per eum factæ in decima sessione, excusando prælatos Gallicanæ nationis; quod quidem instrumentum eidem magnifico oratori fuit traditum tenoris infra scripti: Anno Christi 1515.

Vniuersis & singulis præsentis publici instrumenti seriem inspecturis, visuris, lecturis pariter & audituris: Notum sit, quod anno a natiuitate Domini 1515. indictione tertia, die vero Veneris, quarta mensis Maii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno tertio, Romæ in basilica Lateranensi fuit celebrata decima sessio sacrosancti generalis Concilii Lateranensis. In qua quidem sessione fuit præfatus sanctissimus dominus noster. Et post multa tractata & acta in præfata sessione, circa finem reuerendus pater dominus Petrus episcopus Castelli maris ascendit ambonem, & legit schedulam tenoris suprascripti.

Leo episcopus seruus seruorum Dei, prout superius.

Qua perlecta, magnificus dominus Ludouicus de Soleriis orator Christianissimi regis Franciæ, accessit ad pedes præfati sanctissimi domini nostri, & dixit, excusando prælatos ecclesiæ Gallicanæ profitentes pragmaticam sanctionem, quod prælati Franciæ fuerunt impediti per inimicos Christianissimi regis Francorum, non verentes censuras contentas in bulla cœnæ Domini, & ideo sanctitas sua habuit eos alias excusatos. Cum igitur de præsenti eodem impedimento detenti sint, & non audeant venire, quia inter Delphinatum & Lombardiam est periculum; quare pro parte eorum supplicatur sanctitati suæ, quod habeat eos nunc excusatos, & cum dabitur tutus accessus, offerunt venire ad Concilium, & allegare de iuribus suis. Facta itaque prædicta excusatione, idem magnificus orator dedit quamdam schedulam. Præfatus sanctissimus dominus noster respondit præfato oratori, quod ex prouincia Prouinciæ erat facilis & tutus transitus per Ianuam, & quod prouiderat de saluoconductu Ianuensium, & eis mandauerat tradi, & si opus esset, prouideret de meliori & tutiori saluoconductu: tamen volebat sanctitas sua, quod schedula supradicta staret in suo robore.

Tenor

ANNO CHRISTI 1515. Tenor autem ſchedulæ datæ per oratorem, de qua ſupra fit mentio, talis eſt:

Sanctiſſimus, &c. prout ſuperius.

Super quibus omnibus & ſingulis idem magnificus dominus orator petiit a protonotariis, notariis & ſcribis Concilii inſtrumentum & inſtrumenta. Acta fuerunt hæc in præfata baſilica Lateranenſi in decima ſeſſione ſacroſancti Lateranenſis Concilii generalis ſub anno, indictione, die, menſe, & pontificatu, quibus ſupra, præſentibus ibidem reuerendo patre domino Thoma Phædra, & Bartholomæo Saliceto ſecretariis, & Franciſco de Actauantis, & Benedicto Trocileti, & Aurelio Amerino notariis & ſcribis præfati Concilii, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis.

Et ego Bernardus Sculteti decretorum doctor decanus Vuarmienſis publicus apoſtolica & imperiali auctoritatibus notarius, & ſacri Lateranenſis generalis Concilii ſcriba deputatus, quia præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic, vt præmittitur, fierent & agerentur, vna cum prænominatis teſtibus, ac infra ſcripto collega & connotario meo præſens interfui, eaque omnia & ſingula ſic fieri vidi, & audiui, ac in notam ſumpſi; ideo hoc præſens publicum inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis ſignaui & communiui, rogatus & requiſitus, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.

Et ego Bernardinus de Contreras clericus Burgenſis iuris vtriuſque doctor publicus apoſtolica auctoritate notarius, ac ſacri Lateranenſis Concilii ſcriba, quia præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, vt præmittitur, fierent & dicerentur, vna cum prænominatis teſtibus præſens interfui, ac fieri vidi & audiui, & in notam ſumpſi, ex qua præſens publicum inſtrumentum manu alterius fideliter ſcriptum, ſubſcripſi, & publicaui, ſignoque & nomine meis ſolitis ſignaui, in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Congregatio generalis pro discussione eorum quæ tractanda sunt in vndecima sessione. Anno Christi 1515

Anno a natiuitate Domini 1515. indictione quarta, die vero decimaquinta Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno quarto, fuit congregatio generalis prælatorum in palatio apostolico, in superiori capella dicti palatii, pro discutiendis & examinandis schedulis in vndecima sessione legendis. In qua quidem congregatione fuerunt præsentes reuerendissimi domini.

Cardinales.

Reuerendissimus dominus Dominicus episcopus Portuensis.
Reuerendissimus dominus Antonius tituli sanctæ Praxedis.
Reuerendissimus dominus Petrus tituli sancti Eusebii.
Reuerendissimus dominus Laurentius tituli sanctorum quatuor Coronatorum.
Reuerendissimus dominus Alexander sancti Eustachii.

Archiepiscopi, episcopi, & oratores.

Reuerendus pater dominus Ioannes Reualiensis episcopus, orator marchionis Brandeburgensis.
Reuerendus pater dominus Bertrandus episcopus Adriensis, orator ducis Ferrariæ.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Antibarensis.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrhachiensis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Arianensis.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Gabriel Barensis.
Reuerendus pater dominus Andreas Cornelius Spoletensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Thebanus.
Reuerendus pater dominus Marcus Monembasiensis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Salutiarum.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Lycensis.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruisinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Militensis.
Reuerendus pater dominus Paulus Forosempronensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonensis.
Reuerendus pater dominus Bonifacius Hipporegiensis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chiensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.
Reuerendus pater dominus Alexander Hieronymus sancti Dominici insulæ Hispaniarum.

Anno Christi 1515. Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Marinus Aquinatenſis.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminenſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Antonius Sutrinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Caſertanus.
Reuerendus pater dominus Marinus Senogallienſis.
Reuerendus pater dominus Paris Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Scabonius Imolenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Petrus Acerranenſis.
Reuerendus pater dominus Angelus Lauſanenſis.
Reuerendus pater dominus Baltaſſar ciuitatis Caſtellanæ.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Montis viridis.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.
Reuerendus pater dominus Thomas Lechlinenſis.
Reuerendus pater dominus Valentinus Parmenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Arbenſis.
Reuerendus pater dominus Zacharias Sebaſtenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Lauellinus.
Reuerendus pater dominus Paulus Nimoſienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Caüallicenſis.
Reuerendus pater dominus Maximus Iſernienſis.
Reuerendus pater dominus Thomas Saonenſis.
Reuerendus pater dominus Paulus Eſinenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Auximanus.
Reuerendus pater dominus Guarinus Nucerinus.
Reuerendus pater dominus Theſeus Racanatenſis.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Nobienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Marſicanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Valuenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Bidunenſis.
Reuerendus pater dominus Philippus Brumatenſis.
Reuerendus pater dominus Chriſtophorus Polignianenſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Simon Modruſienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Ventienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vrgellenſis.
Reuerendus pater dominus Chriſtophorus Cæſenatenſis; ac Vallis vmbroſæ, & ſancti Dominici, ſancti Franciſci, ſancti Auguſtini, & ſanctæ Mariæ Seruorum, ordinum generales.

Quibus omnibus congregatis & ſedentibus more ſolito, dominus Andreas Piperarius ſecretarius Concilii de mandato præfatorum reuerendiſſimorum cardinalium legit ſchedulam continentem concordata per ſanctiſſimum dominum noſtrum cum Chriſtianiſſimo Francorum rege.

Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnes responderunt simpliciter placere; exceptis infrascriptis, qui dederunt vota particularia, & primo reuerendus dominus Bertrandus episcopus Adrienſis dixit placere, præsertim quia erant cõcordata cum sanctissimo domino nostro. Reuerendus dominus Hieronymus episcopus Antibarenus dixit quod placebant; quia credebat, quod proueniebant a Spiritu sancto. Reuerendus dominus Ieremias Tranensis archiepiscopus dixit, quod licet in illis concordatis lectis in schedula multa essent, quæ sibi displicerent quod sint facta & concordata, tamen postquam sanctissimus dominus noster iam fecerat & dederat bullam, & se obligauerat in vim contractus facere approbari per Concilium, non deuiabat a voluntate sanctitatis suæ: & sic placebant ea de causa. Reuerendus dominus Maximus episcopus Isernienſis dixit placere, quia placuit sanctissimo domino nostro. Reuerendus dominus Ioannes Dominicus episcopus Terdonensis dixit, quatenus tribuunt iurisdictionem laicis contra ecclesiasticos, non placere. Anno Christi 1513.

Deinde præfatus dominus Andreas legit schedulam abrogationis pragmaticæ sanctionis. Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnibus vnanimiter & simpliciter placuerunt.

Postmodum vero fuit per eumdem Andream lecta schedula super iis, quæ debent obseruare prædicatores prædicantes verbum Dei. Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et placuerunt omnibus, excepto reuerendissimo domino Mario episcopo Aquinatensi, qui sibi placere dixit, quod prædicatores prædicent, secundum quod Spiritus eis spirat.

Demum idem dominus Andreas legit schedulam concernentem priuilegium religiosorum. Qua perlecta, petiit an placerent contenta in schedula parternitatibus suis. Sed propter diuersitatem votorum prælatorum existentium in congregatione circa narratiuam & dispositiuam schedulæ, visum fuit præfatis reuerendissimis cardinalibus, quod schedula aptaretur, & die sequenti fieret alia congregatio in eodem loco, & iterum legeretur schedula aptata, & deliberaretur super ea.

Anno Christi 1515. Die vero decimaquinta supradicti mensis Decembris, fuit congregatio in eadem capella, in qua interfuerunt reuerendissimi in Christo patres & domini, Antonius sanctæ Praxedis, Petrus sancti Eusebii, & Laurentius sanctorum quatuor Coronatorum tituli, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyteri cardinales, prælati vero quadraginta sex, & generales ordinum qui in supra dicta congregatione interfuerunt. Et fuit lecta per supradictum dominum Andream schedula continens priuilegia religiosorum. Qua perlecta, petiit, an placerent paternitatibus suis. Et responderunt omnes placere, hoc tamen addito, quod reuerendus dominus Vincentius episcopus Signinus dixit, quod videbatur sibi, quod narratiua, vbi ponebantur illa verba, Quod episcopi fuerunt assumpti a pontifice, debebat poni, quod fuerunt assumpti a Christo. Et reuerendus dominus Scaramuza episcopus Cumanus dixit, quod placebant ei contenta in schedula, dummodo excluderetur approbatio priuilegiorum: & eiusdem opinionis fuerunt Brumatensis, Ceruiensis, Senogalliensis, Ferentinus, Soranus, & Polignianensis.

Schedulæ vero, de quibus supra fit mentio, inseruntur in infrascripta vndecima sessione.

SESSIO XI.

Anno Christi 1516. In nomine Domini. Amen. Anno a natiuitate Domini millesimo quingentesimo decimosexto, indictione quarta, die vero decimanona mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi, anno quarto, fuit celebrata vndecima sessio in basilica Lateranensi de Vrbe in loco consueto, præsente præfato sanctissimo domino nostro, & fuerunt præsentes infrascripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi & episcopi, & abbates & magistri generales ordinum, oratores principum, & quamplures alii illustres domini, videlicet:

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.
Reuerendissimus dominus Bernardinus Sabinensis.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.

Presbyteri cardinales.

Anno Christi 1516.

Reuerendiſſimus dominus Franciſcus tituli ſanctorum Ioannis & Pauli, Surrentinus.
Reuerendiſſimus dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus dominus Hadrianus tituli ſancti Chryſogoni.
Reuerendiſſimus dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.
Reuerendiſſimus dominus Antonius ſanctæ Praxedis.
Reuerendiſſimus dominus Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.
Reuerendiſſimus dominus Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.
Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſimus dominus Marcus ſanctæ Mariæ in Via lata, de Corneliis.
Reuerendiſſimus dominus Iulius ſanctæ Mariæ de nauicula.
Reuerendiſſimus dominus Bernardus ſanctæ Mariæ in porticu.
Reuerendiſſimus dominus Innocentius ſanctorum Coſmæ & Damiani.

Patriarchæ & aſsiſtentes papæ, & oratores.

Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Robertus Rhegienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Cauallicenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus.
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Andreas Militenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Reualienſis epiſcopus, orator marchionis Brandeburgenſis electoris imperii.
Reuerendus pater dominus Bertrandus Adrienſis epiſcopus, orator illuſtriſſimi ducis Ferrariæ.

Archiepiſcopi & epiſcopi.

Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicoſienſis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Clemens Coloſſenſis.
Reuerendus pater dominus Stephanus Gabriel Barenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Spalatenſis.
Reuerendus pater dominus Alexander Viennenſis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1516. Reuerendus pater dominus Marcus Monembasiensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Thebanus.
Reuerendus pater dominus Alexius Melfitanus.
Reuerendus pater dominus Angelus Lausanensis.
Reuerendus pater dominus Bonifacius Hipporegiensis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chiensis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Baltassar ciuitatis Castellanæ.
Reuerendus pater dominus Blasius Thelesinensis.
Reuerendus pater dominus Christophorus Cæsenatensis.
Reuerendus pater dominus Christophorus Polignianensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Dignensis.
Reuerendus pater dominus Guarinus Nucerinus.
Reuerendus pater dominus Gisbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Galesius Bellunensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Antonius Sutrinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Casertanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Auximanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vrgellensis.
Reuerendus pater dominus Gabriel Gallinensis.
Reuerendus pater dominus Iannotius Troianus.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Asculanus.
Reuerendus pater dominus Maximus Isernensis.
Reuerendus pater dominus Marius Aquinatensis.
Reuerendus pater dominus Marcus Senogallensis.
Reuerendus pater dominus Matthæus sancti Leonis.
Reuerendus pater dominus Thomas Saonensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Ceruiensis.
Reuerendus pater dominus Paulus Forosempronensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Castelli maris.
Reuerendus pater dominus Paulus Nimosiensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Paulus Esinus.
Reuerendus pater dominus Philippus Brumatensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Acerranensis.
Reuerendus pater dominus Racomanus Venafranus.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.
Reuerendus pater dominus Theseus Racanatenus.
Reuerendus pater dominus Augustinus Perusinus.
Reuerendus pater dominus Altobellus Polensis.
Reuerendus pater dominus Augustinus Nobiensis.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Sibinicensis.
Reuerendus pater dominus Paris Pisaurensis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Salutiarum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1516.

Abbates, & generales ordinum.

Reuerendus pater dominus Ioannes ſancti Sebaſtiani extra muros Vrbis abbas.

Generales Vallis vmbroſæ, ſancti Franciſci, ſancti Dominici, & ſanctæ Mariæ Seruorum.

Oratores & illuſtres domini temporales.

Illuſtris dominus Laurentius de Medicis, nepos præfati ſanctiſſimi domini noſtri ſecundum carnem, dux Vrbinatenſis.

Illuſtris dominus Albertus de Carpi, orator inuictiſſimi imperatoris.

Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis Hiſpaniarum.

Magnificus dominus Michael de Silua, orator illuſtriſſimi regis Portugalliæ; & quamplures alii nobiles & milites Hieroſolymitani.

Celebrata Miſſa per reuerendum dominum Gabrielem archiepiſcopum Dyrrachienſem; & cantato per reuerendiſſimum in Chriſto patrem & dominum dominum Marcum, ſanctæ Mariæ in Via lata diaconum cardinalem, euangelio ſecundum Matthæum, incipiente, *Sedente Jeſu ſuper montem Oliueti*, &c. ac cantato hymno per ſanctiſſimum dominum noſtrum, incipiente, Veni creator Spiritus: ac peractis orationibus conſuetis, oratores patriarchæ Maronitarum montis Libani præſtiterunt obedientiam nomine dicti patriarchæ ſanctiſſimo domino noſtro, & præſentauerunt quoddam mandatum in lingua Chaldæa ſeu Arabica. Et præſtita obedientia, vnus dictorum oratorum aſcendit ambonem, & legit dictum mandatum in lingua propria. Deinde reuerendus dominus Andreas ſecretarius Concilii aſcendit ambonem, & legit dictum mandatum interpretatum in lingua Latina, cuius tenor ſequitur, & eſt talis:

Matth. 14.

MANDATVM PATRIARCHÆ Maronitarum.

Gratias Deo reuerenter agimus ſub mundiſſimis pedibus patris noſtri ſanctiſſimi Chriſti vicarii, & domini noſtri papæ Leonis decimi, qui vices beati Petri veritatis petræ gerit in terris, ſedetque ſuper apoſtolicam ſedem ipſius ſanctiſſimæ benedictionis ſuper nos. Amen.

Cogimur in diuinas laudes erumpere, Deoque, a quo omne

Anno Christi 1516. omne bonum, gratiarum actiones indesinenter agere, qui purissimæ sanctitatis vestræ menti illabi dignatus est, eamque per inspirationem pulsare, vt nos per sanctum nuntium suum fratrem Ioannem Franciscum de Potentia visitaret. Is enim fratre Francisco Reatino interprete, & viam salutis nobis ostendit, & sancta documenta reliquit: nempe quomodo sanctum conficiatur chrisma, ex puro videlicet oleo & balsamo, nihilque præter hæc immiscendum, quo etiam tempore aquis salutaribus infantes ablui debeant, & sacro baptismatis fonte renasci: non sitque quadragesimus postulandus dies, sicut antea erroris tenebris inuoluti præstolari consueuimus, sed in octauo, vel etiam ante, cum necessitas expostulauerit: qua vero ratione iuxta patrum & sanctæ Romanæ ecclesiæ instituta, matrimonia contrahantur, quæ eadem impediant: ac sacri quonam pacto conferantur ordines: quibus item verbis in consecratione dominici corporis ac sanguinis vti debeamus: & quod Spiritus sanctus a Patre procedat & Filio, sicuti ab vnico principio & vnica spiratione: & quod Christianus, qui in hac vita sufficientem de suis delictis pœnitentiam non egit, ea functus ad quemdam, diuina permittente iustitia, ducatur locum, qui purgatorium dicitur, vt ibidem, quousque dignior sit cælum ascendere, maneat: & quod semel saltem in anno nostra proprio sacerdoti confiteamur peccata, sanctissimumque eucharistiæ sacramentum in paschate suscipiamus Domini nostri Iesu Christi, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli natali hoc consueuerimus adimplere: & vt semper & in omnibus apostolicæ sedis ac sanctitatis vestræ eiusque successorum submittamur mandatis: præsentibus archiepiscopis, episcopis, nec non doctoribus nostris cleri & populi maioribus, & claro nos docuit eloquio, & dulciter instruxit. Hæc enim, pater sancte, & nonnulla alia ab eo instituta, nostrarum salutem concernentia animarum, & in Arabico conscripta sermone nobis relicta, quibus euitantur peccata moresque reformantur in melius, prompta obedientia acceptamus & confitemur, adimplereque speramus. Et propterea apprime in Domino exultauimus, & animi nostri immodicam spiritalem conceperunt lætitiam,

Deoque optimo maximo, ac sanctitati vestræ gratias egimus, fratres hos sanctos ad nos dirigenti, qui salutis iter nobis ostenderunt, & animas nostras in Domino recrearunt. Nos vero cum prælibato fratre Ioanne Franciſco quoſdam ex noſtris ad ſanctitatem veſtram deſtinamus, ea deducti opinione, vt patrum inſtituta, ac ſanctæ Romanæ eccleſiæ dogmata addiſcant, & cum edocti fuerint, ad nos docturi alios poſtmodum redeant. Interea non paruo afficimur tædio, quoniam ad deoſculandum adorandumque ſanctiſſimos ſanctitatis veſtræ pedes accedere prohibemur, & quæ mente gerimus, fixis in terram poplitibus proprio ore exprimere ipſi nequimus. Vt autem affectui noſtro ac voto vtcumque ſatisfaciamus, cum præfato ſanctitatis veſtræ nuntio fratre Ioanne Franciſco, oratorem noſtrum Acuri Ioſeph cum Elia, ac Elia monacho, ad ſanctitatem veſtram deſtinandum decreuimus, vt noſtro ac totius cleri, Maronitarumque populi nomine, terram fronte tangens flexiſque genibus ſanctiſſimos pedes ſanctitatis veſtræ & adoret & deoſculetur, ac ſanctæ apoſtolicæ ſedi coram fratribus veſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, ſanctitati veſtræ obedientiam præſtet, & fidelitatem iuret, & quod veraciter ſanctæ ſedis apoſtolicæ, & ſanctitatis veſtræ ſerui fideles ſumus, demiſſo capite firmiter proteſtetur. Amen, Amen. Quædam vero alia ſupradicto fratri noſtro Ioanni Franciſco reſeruamus, quæ vt ſanctitati veſtræ enarret, ſub Dei atteſtatione adſtrinximus; erit enim veluti noſter amabilis frater benedicti monaſterii ſanctæ Mariæ de Camibin in monte Libano ſancto, ac totius cleri & Maronitarum populi ad pedes ſanctitatis veſtræ ſolicitus procurator. Omnia quidem noſtra, & quomodo ſub infidelium deteſtanda ſeruitute, tamquam omni auxilio orbati, infeliciſſimam vitam ducimus, propriis oculis ipſe conſpexit. Hoc eſt reſponſum puritatis noſtræ ſanctiſſimo, & puriſſimo patri noſtro, cuius ſanctas benedictiones miſericors Deus ad nos tranſmittat. Amen, Amen, Amen. ANNO CHRISTI 1516.

Scripta ſunt hæc anno dominicæ incarnationis milleſimo quingenteſimo decimoquinto, menſis Februarii die 14.

A tergo.

Anno Christi 1516. Præsentabuntur cum Dei gratia in manus sanctissimi domini nostri Leonis, qui super sanctam sedem Petri apostoli residet, pro parte pauperis discipuli sui Petri patriarchæ Maronitarum ex monasterio Camibin in monte Libano serui seruorum Dei.

Quo perlecto, dicti oratores accesserunt ad sanctissimum dominum nostrum, & deosculati sunt eius beatissimos pedes, præstantes eidem sanctissimo domino nostro, nomine quo supra, debitam obedientiam & reuerentiam. Qua præstita, dominus Marius de Peruschis procurator Concilii, petiit instrumentum & instrumenta dictæ obedientiæ.

Deinde reuerendus pater dominus Ioannes episcopus Reualiensis, orator marchionis Brandeburgensis electoris imperii, ascendit ambonem, & legit schedulam disponentem circa modum prædicandi, cuius tenor talis est:

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Supernæ maiestatis præsidio, per cuius ineffabilem prouidentiam cælestia simul & terrena diriguntur, super gregem dominicum nobis commissum, speculatoris officium, quantum imbecillitati nostræ conceditur, exercentes, totaque mente nobiscum ipsi reuoluentes, inter alia quamplura & magna ad nos etiam pertinere, vt munus prædicationis, quod in ecclesia Dei præcipuum ac perneccssarium, magnique fructus atque vtilitatis, dummodo recte & ex sincera caritate erga Deum & proximum præceptisque & exemplis sanctorum patrum, qui hæc profitentes cum fidei fundatione & propagatione plurimum ecclesiæ contulerunt, exerceatur: quippe quod Redemptor noster primus fecit & docuit, & eius præcepto & imitatione duodenus ille apostolorum numerus, quasi totidem cæli Dei veri gloriam enarrantes per orbem terrarum, vniuersum genus humanum, quod sub peccati iugo vetusta seruitute continebatur, sensim ab eorum tenebris educentes, & ad perpetuæ salutis lucem excitantes, verbum ipsum in omnem terram & in fines orbis terræ, tum ipsi prius, tum deinde sui successores, longe lateque propagauerunt, altissimeque fundarunt,

vt qui nunc tantum ſubeunt onus, meminiſſe debeant, creberrimeque ſecum reuoluere, præter auctoris ipſius ac fundatoris Ieſu Chriſti pientiſſimi redemptoris, Petri etiam & Pauli ceterorumque apoſtolorum & Domini diſcipulorum ſe vices, quoad hoc officium, ſubire, ac ſuſtinere. Sane fide dignorum relatione percepimus, quod nonnulli prædicatores noſtris temporibus, quod dolenter referimus, non attendentes, ſe eorum, quos diximus, & inſuper ſanctorum eccleſiæ doctorum, aliorumque ſacram theologiam profitentium, qui aſſiſtendo iugiter Chriſtianis, ac ſe falſis prophetis rectam fidem ſubuertere annitentibus opponentes, eccleſiam militantem illæſam prius, per ſe talem eam eſſe manifeſtarunt, officium exercere, & non niſi vtilia concurrenti eorum ſermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem, animarum denique ſalutem fidelium, meditanda & perficienda debere aſſumere, multa tamen & varia contra inſtitutiones & exempla, quæ diximus, quandoque etiam ſcandaloſa populis prædicare, quod mentem certe noſtram mirum in modum commouit, dum nobiſcum ipſi mente voluimus, quod illi officii immemores ſui, in ſuis ſermonibus non ad vtilitatem audientium, ſed ad ſuam potius oſtentationem laborantes, vanis quorumdam auribus blandiuntur, qui ad hoc iam deueniſſe apparent, vt verificetur dictum Apoſtoli ad Timotheum ita ſcribentis: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur:* quorum falſas & inanes mentes, prædicantes ipſi præfati, non modo in rectam veramque viam reducere minime ſtudent, ſed illas maioribus etiam erroribus implicant, dum ſine vlla Canonum atteſtatione, vel reuerentia, imo contra ipſas canonicas ſanctiones, ſacræ ſcripturæ ſenſum multifariam peruertentes, temereque ac perperam plerumque interpretantes, contra veritatem prædicare, terroreſque ac minas, multaque mala prope diem affutura, iamque ingruentia, nulla prorſus legitima ratione muniti, ſed ſuo dumtaxat ſenſui obſequentes, comminantur, repræſentant, adeſſeque aſſeuerant, plerumque etiam vana quædam & inania, & alia huiuſmodi

Anno Christi 1516.

2. Tom. 4.

Anno Christi 1516. populis ingerere, & quod enormius est, ab æternitatis lumine, & sancti Spiritus admonitione aut infusione illa se habere asserere audent? Cumque ii sub confictorum miraculorum mendaciis varios errores fraudesque disseminent, denique populos, quos in euangelica doctrina sedulo instruere, & in vera fide detinere & conseruare deberent, sermones suos a sensu & præceptis vniuersalis ecclesiæ retrahentes, a sacrisque constitutionibus, quas maxime sequi deberent, deuiantes, auditores suos amouent ac longe faciunt a salute. Per hæc namque & alia huiusmodi simpliciores homines, vt ad deceptionem procliuiores, a via salutis & obedientia Romanæ ecclesiæ deuiantes, in errores varios perfacile inducuntur. Propterea Gregorius huius muneris peritissimus, & feruore caritatis incensus, prædicatores vehementer hortatur & monet, vt dicturi ad populum prudentes cautique accedant, ne dicendi impetu rapti, verborum erroribus quasi iaculis audientium corda configant, & cum sapientes fortasse videri desiderant, decepti, speratæ virtutis compagem insipienter discindant. Sæpe namque verborum effectus amittitur, cum loquacitate importuna, vel incauta, audientium corda leuigantur. Et sane in nullo alio rudem ii plebem maiori damno scandaloque afficiunt, quam cum vel tacenda prædicant, vel falsa & inutilia docendo, eam in terrorem inducunt. Quæ quoniam huic sacræ religioni diuinitus institutæ, vt noua & aliena, omnino contraria esse noscuntur, graui certe accuratoque sunt examine digna, ne scandalum populo Christiano, & suorum auctorum, ac aliorum animabus interitum pariant. Nos igitur sanctæ Dei ecclesiæ (cui disponente Domino præsidemus, quæ quidem vna est, & vnum Deum prædicat, colit, ac vnam fidem firmiter & sincere confitetur, iuxta illud Prophetæ vaticinium: *Qui habitare facit vnius moris in domo*) vniformitatem, quantum cum Deo possumus, posthabitam reducere, & retentam conseruare, quique populo verbum Dei prædicant, tales esse cupientes, vt eorum prædicatione Dei ecclesia nullum scandalum patiatur; & si qui corrigibiles sunt, ab his, quæ proximis nostrisque temporibus præsumpserunt, cum nonnullos eorum præter illa quæ diximus, in prædicationibus non viam amplius Domini in virtute docentes, non euange- Psal. 67.

lium, vt deberent, explanantes, sed conficta miracula, & noua ac falsa vaticinia, aliaque leuia & ab anilibus fabulis parum distantia, magnumque scandalum parientia, nulla deuotionis & auctoritatis, eiusque improbantis ac repellentis hæc habita ratione, vastis clamoribus imprimere ac suadere vbique conantes, & ne pontificali quidem dignitate fulgentibus, & aliis ecclesiæ prælatis parcentes, quibus potius honorem ac reuerentiam exhibere deberent, sed in eorum personas ac statum audaciter ac temere inuehi consueuisse, & alia huiusmodi commisisse constat, in futurum abstineant, vt tam periculosum contagiosumque malum, ac mortifera pestis radicitus euellatur, & arefactum ita penitus deleatur, vt nec memoria eius remaneat: sacro approbante Concilio, statuimus & ordinamus, vt nullus tam clericus sæcularis, quam cuiuscumque etiam mendicantium ordinis regularis, aut quiuis alius ad quem facultas prædicandi, tam de iure quam de consuetudine vel priuilegio aut alias pertinet, ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per superiorem suum respectiue diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius superioris oneramus) ac morum honestate, ætate, doctrina, probitate, prudentia, & vitæ exemplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur, & hic, quocumque postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine & idoneitate sua per literas authenticas, seu alias sui examinatoris approbatorisque episcopis & aliis locorum ordinariis fidem legitime faciat. Mandantes omnibus qui hoc onus sustinent, quique in futurum sustinebunt, vt euangelicam veritatem, & sanctam scripturam iuxta declarationem, interpretationem, & ampliationem doctorum, quos ecclesia vel vsus diuturnus approbauit, legendosque hactenus recepit, & in posterum recipiet, prædicent & explanent: nec quidquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adiiciant, sed illis semper insistant, quæ ab ipsius sacræ scripturæ verbis, & præfatorum doctorum interpretationibus, rite & sane intellectis, non discordant. Tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem iudicii prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cum Veritas dicat, non esse nostrum nosse tempora vel momenta,

Anno Christi 1516.

Anno Christi 1516. quæ Pater posuit in sua potestate: ipsosque qui hactenus similia asserere ausi sunt, mentitos; ac eorum causa reliquorum etiam recte prædicantium auctoritati non modicum detractum fuisse constet: inhibentes omnibus & singulis clericis sæcularibus vel regularibus præfatis, ceterisque cuiuscumque status, gradus, & ordinis existant, qui hoc onus assument, ne de cetero in sermonibus suis publicis, alia quæque futura ex literis sacris constanter prædicere, nec illa a Spiritu sancto vel diuina reuelatione se habuisse affirmare, & alienas inanesque diuinationes asseuerando, aut alio quocumque modo tractando assument, sed ex diuinæ vocis præcepto euangelium omni creaturæ cum vitiorum detestatione, & virtutum commendatione enucleent & declarent, & pacem ac dilectionem mutuam a Redemptore nostro tantopere commendatam vbique fouentes, non scindant vestem inconsutilem Christi, sed ab episcoporum & prælatorum, ac aliorum superiorum, eorumque status scandalosa detractione, quos coram vulgo, & laicis non modo incaute, sed etiam intemperanter reprehendunt & mordent, & ab eis male gestorum expressis quandoque nominibus aperta & manifesta redargutione abstineant. Denique constitutionem felicis recordationis Clementis papæ V. quæ incipit, Religiosi; quam tenore præsentium innouamus & approbamus, inuiolabiliter ab eis obseruari debere decernimus, vt hac ratione ad vtilitatem populi prædicantes, & eum Domino lucrifacientes, talentum, quod ab illo acceperant, superlucrari, & eiusdem gratiam & gloriam consequi mereantur. Ceterum si quibusdam eorum Dominus futura quædam in Dei ecclesia inspiratione quapiam reuelauerit, vt per Amos prophetam ipse promittit, & Paulus apostolus prædicatorum princeps, *Spiritum*, inquit, *nolite extinguere*, *prophetias nolite spernere*, hos aliorum fabulosorum, & mendacium gregi connumerari, vel aliter impediri minime volumus. Extinguitur namque ipsius gratia Spiritus, Ambrosio teste, si incipientibus loqui feruor contradictione sopitur: & tunc Spiritui sancto iniuria certe fieri dicitur. Et quoniam res magni momenti est, eo quod non de facile credendum sit omni spiritui, sed sint probandi spiritus, teste apostolo, an ex Deo proueniant; volumus, vt lege ordinaria tales assertæ inspira- 1. Thess. 5. 1. Ioan. 4.

tiones, antequam publicentur, aut populo prædicentur, exnunc apostolicæ sedis examini reseruatæ intelligantur. Anno Christi 1516. Quod si sine moræ periculo id fieri non valeret, aut vrgens necessitas aliud suaderet, tunc eodem ordine seruato, ordinario loci notificentur, vt ille adhibitis secum tribus aut quatuor doctis & grauibus viris, huiusmodi negotio cum eis diligenter examinato, quando id expedire videbunt, super quo eorum conscientias oneramus, licentiam concedere possint. Si qui autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, vltra pœnas contra tales a iure statutas, excommunicationis etiam sententiam, a qua non nisi a Romano pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolui possint, eos incurrere volumus. Et vt eorum exemplo alii attentare similia minime audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuo decernimus; non obstantibus constitutionibus, ordinationibus, ac priuilegiis & indultis, & literis apostolicis, ordinibus, & personis præfatis, etiam in Mari magno comprehensis, ac etiam a nobis forsan approbatis, innouatis, vel etiam de nouo concessis, quæ quo ad hoc nolumus eis in aliquo suffragari.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri statuti, ordinationis, mandati, inhibitionis, innouationis, approbationis, decreti & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Data Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis Domini millesimo quingentesimo decimosexto, XIV. Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnibus vnanimiter placuerunt.

Postmodum vero reuerendus pater dominus Maximus episcopus Isernienſis ascendit ambonem, & legit schedulam, in qua continentur concordata cum Christianissimo rege Francorum. Cuius tenor sequitur, & est talis:

Leo

ANNO CHRISTI 1516. *Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio.*

Diuina diſponente clementia, per quam reges regnant, & principes imperant, in eminenti apoſtolatus ſpecula, & ſuper gentes & regna meritis licet imparibus conſtituti, animo reuoluentes, quod etſi ea, quæ pro ſalubri & quieto regimine regnorum, & ad pacem & iuſtitiam populorum perpetua eorumdem regnorum ſtabilitate, regibus præſertim de fide catholica & de republica Chriſtiana & apoſtolica ſede benemeritis; laudabili & prouida noſtra ordinatione, cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus conceſſa, ac ad effectum huiuſmodi geſta, ſtatuta, ordinata, decreta, factave ſunt, plenam roboris obtineant firmitatem: illis nihilo minus interdum, ſacro approbante Concilio, noſtræ innouationis, & approbationis robur adiicimus, vt eo firmius illibata perdurent, quo ſæpius erunt noſtra auctoritate, ac etiam generalis Concilii præſidio communita, efficacemque operam circa eorumdem conſeruationem libenter adhibemus, vt reges & ipſorum regnorum perſonæ, conceſſionibus, priuilegiis, ſtatutis, & ordinationibus huiuſmodi in Domino plene gaudentes, in pacis & tranquillitatis, ac amœnitatis dulcedine conquieſcant, & in eorum ſolita erga eamdem ſedem deuotione feruentius perſeuerent. Nuper ſiquidem vt eccleſia ſponſa noſtra in ſancta vnione conſeruaretur, & per Chriſti fideles ſacris Canonibus a Romano pontifice & ſacris generalibus Conciliis dumtaxat editis vteretur, quaſdam conſtitutiones, quas de cetero loco pragmaticæ ſanctionis & contentorum in ea, in regno Franciæ pro bono pacis & concordiæ, ac illius communi & publica vtilitate cum cariſſimo in Chriſto filio noſtro Franciſco Francorum rege Chriſtianiſſimo, dum Bononiæ cum noſtra curia eſſemus, tractatas, & cum eiſdem fratribus noſtris diligenter examinatas, & de eorum conſilio cum præfato rege concordatas, & per ipſius regis legitimum procuratorem acceptatas, de eorumdem fratrum conſilio & vnanimi conſenſu ſtatuimus & ordinauimus, prout in noſtris literis deſuper confectis plenius continetur, quarum tenor ſequitur, & eſt talis:

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Anno Christi 1516.

Primitiua illa ecclesia in angulari petra a Saluatore nostro Iesu Christo fundata, apostolorum præconiis elata, martyrumque sanguine consecrata & aucta, vbi primum iuuante Domino per orbem terrarum lacertos mouere cœpit, prouide attendens, quantum oneris humeris impositum haberet, quot oues pascere, quot custodire, ad quot etiam remotissima loca oculos intendere oporteret, diuino quodam consilio parochias instituit, diœceses distinxit, episcopos creauit, & metropolitanos præfecit, vt tanquam membra capiti obsequentia, cuncta secundum eius voluntatem salubriter in Domino, & tamquam riuuli a perenni fonte, Romana videlicet ecclesia, deriuantes, ne angulum quidem dominici agri irrigatum dimitterent. Vnde sicut alii Romani pontifices prædecessores nostri suo tempore omni studio curarunt, vt dicta ecclesia vniretur, & in sancta vnione sine ruga & macula conseruaretur, & omnes vepres ab eadem ecclesia abolerentur, cui proprium est, diuina opitulante gratia, virtutes colere, & vitia radicitus extirpare: ita & nos tempore nostro, & præsenti durante Concilio, ea facere & curare debemus, quæ vnioni & conseruationi eiusdem ecclesiæ conducere videntur. Eapropter omnes spinas, quæ vnioni huiusmodi obsistunt, & segetem Domini pullulare non sinunt, tollere prorsus & extirpare, ac virtutes in vinea Domini inserere satagimus. Sane inter arcana nostræ mentis reuoluẽtes, quot tractatus inter piæ memoriæ Pium II. Sixtum IV. Innocentium VIII. Alexandrum VI. & Iulium II. Romanos pontifices prædecessores nostros, & claræ memoriæ reges Franciæ Christianissimos super abrogatione certæ constitutionis in dicto regno Franciæ vigentis, quæ pragmatica vocatur, habiti fuerunt, & licet Pius II. præfatus, nuntiis ad claræ memoriæ Ludouicum XI. Franciæ regem Christianissimum destinatis, tantis eidem persuaserit rationibus, vt rex ipse pragmaticam sanctionem huiusmodi, tamquam in seditione & schismatis tempore natam, suis patentibus literis abrogauerit, tamen huiusmodi abrogatio, nec etiam literæ apostolicæ præfati Sixti super concordata cum oratoribus præfati regis Ludouici ad præfatum Sixtum prædecessorem desti-

Anno Christi 1516. natis habita, expeditæ per prælatos, & personas ecclesiasticas dicti regni receptæ fuerunt, nec ipsi prælati & personæ ecclesiasticæ illis parere, nec monitis Innocentii & Iulii prædictorum aures præbere, sed eidem pragmaticæ constitutioni inhærere voluerunt. Vnde præfatus Iulius prædecessor in præsenti Concilio Lateranensi vniuersalem ecclesiam repræsentante, per eum legitime indicto, abrogationis pragmaticæ sanctionis huiusmodi negotium, & illius discussionem venerabilium fratrum suorum cardinalium, de quorum numero tunc eramus, & aliorum prælatorum congregationibus, relationemque discussorum sibi & eidem Concilio faciendam commisit, Gallicosque prælatos, capitula ecclesiarum, & monasteriorum conuentus, ac parlamenta, & laicos illis fauentes, cuiuscumque dignitatis, etiamsi regalis existerent, sanctione prædicta vtentes, seu illam approbantes, omnesque & singulos alios sua communiter vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus non pateret accessus, in certis ecclesiis tunc expressis affigendum, moneri & citari infra certum competentem terminum præfigendum, ad comparendum coram eo in Concilio præfato, causasque dicendum, quare sanctio præfata in concernentibus auctoritatem, dignitatem, & vnitatem ecclesiæ Romanæ & apostolicæ sedis, sacrorumque Canonum, & ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari, decerni, & abrogari non deberet. Et cum super his in forma iuris in præfato Concilio Lateranensi procederetur, dictusque Iulius prædecessor (sicut Domino placuit) rebus fuisset humanis exemptus, nosque diuina fauente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti fuissemus, & contra prælatos, capitula, conuentus, & personas huiusmodi ad nonnullos actus processissemus, tandem considerantes pacem esse vinculum caritatis, & spiritualem virtutem, qua saluamur, dicente Domino: *Qui biberit aquam, quam ego dabo ei bibere, non sitiet in æternum:* & quod in pace constat salus vniuersorum, Cassiodoro testante; omni quippe regno desiderabilis debet esse tranquillitas, in qua & populi proficiunt, & vtilitas gentium custoditur: matura deliberatione cognouimus, non per nuntios aut legatos nostros, sed in præstatione obedentiæ

filialis, quam cariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus Francorũ rex Chriſtianiſſimus perſonaliter nobis præſtitit, hæc cum maieſtate ſua coram diſcutere, eamque paternis hortari monitis, vt ad laudem Dei & ſui honorem, prompto animo libens ac volens dictæ pragmaticæ ſanctioni abrenuntiare, & ſecundum Canones & conſtitutiones ſanctæ Romanæ eccleſiæ, quemadmodum ceteri Chriſtiani viuere, mandatis apoſtolicis & prouiſionibus, quæ a ſede apoſtolica pro tempore emanarent, parere & obedire vellet: & cum ex electionibus, quæ in eccleſiis cathedralibus & metropolitanis ac monaſteriis dicti regni, a multis annis citra fiebant, grandia animarum pericula prouenirent, cum pleræquæ per abuſum ſæcularis poteſtatis, nonnullæ vero præcedentibus illicitis, & ſimoniacis pactionibus aliæ particulari amore & ſanguinis affectione & non ſine periurii reatu fierent, cum electores ipſi, etiamſi ante electionem per eos faciendam, magis idoneum, & non eum, quem promiſſione aut datione alicuius rei temporalis, ſeu prece vel precibus per ſe vel alium interpoſitis, electionem procurare didiciſſent, eligere ſponte iurarent, iuramentũ huiuſmodi non ſeruarent, ſed contra proprium huiuſmodi iuramentum in animæ ſuæ præiudicium venirent, vt nobis notorie conſtat ex crebris abſolutionibus, & rehabilitationibus a nobis & prædeceſſoribus noſtris petitis & obtentis: Idem Franciſcus rex noſtris paternis monitis, tamquam verus obedientiæ filius parere volens, tam pro bono obedientiæ, in qua magnum meritum vere conſiſtit, quam pro communi, & publica regni ſui vtilitate, in locum dictæ pragmaticæ ſanctionis, ac ſingulorum capitulorum in ea contentorum conſtitutiones infraſcriptas inuicem tractatas, & cum fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus diligenter examinatas, & de eorum conſilio cum præfato rege concordatas, per dilectum filium Rogerium Barnæ regium aduocatum oratorem ſuum, ad hoc ab eodem Franciſco rege ad nos deſtinatum, habentem ad hoc ſpeciale & ſufficiens mandatum, acceptauit; de eorumdem fratrum conſilio & vnanimi conſenſu, ex certa noſtra ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſtatuimus & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus loco dictæ pragmaticæ conſtitutionis ac

ANNO CHRISTI 1516.

Anno Christi 1516. omnium & singulorum capitulorum in ea contentorum, in dicto regno, Delphinatu, & comitatu Diensi ac Valentinensi infra scriptæ obseruentur constitutiones, videlicet, quod cathedralibus & metropolitanis ecclesiis in regno, Delphinatu, & comitatu prædictis nunc & pro tempore, etiamsi per cessionem in manibus nostris & successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium sponte factam vacantibus, illarum capitula & canonici, ad electionem seu postulationem inibi futuri prælati, procedere non possint: sed illarum occurrente huiusmodi vacatione, rex Franciæ pro tempore existens vnum grauem magistrum seu licentiatum in theologia, aut in vtroque, seu in altero iurium doctorem, aut licentiatum, in vniuersitate famosa, & rigore examinis, & in vigesimo-septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, & alias idoneum, infra sex menses a die vacationis ecclesiarum earumdem computandos, nobis & successoribus nostris Romanis pontificibus, seu sedi prædictæ nominare, & de persona per regem huiusmodi nominata, per nos & successores nostros, seu sedem prædictam prouideri: & si contingeret, præfatum regem, personam taliter non qualificatam ad dictas ecclesias sic vacantes nominare, per nos & successores seu sedem huiusmodi de persona sic nominata eisdem ecclesiis minime prouideri debeat, sed teneatur idem rex infra tres alios menses a die recusationis personæ nominatæ non qualificatæ, solicitatori nominationem non qualificatam prosequenti, consistorialiter factæ, intimandæ computandos, alium supra dicto modo qualificatum nominare: alioquin vt dispendiosæ ecclesiarum huiusmodi vacationi celeriter consulatur, ecclesiæ tunc sic vacanti, per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi de persona, vt præfertur, qualificata, nec non ecclesiis per obitum apud sedem prædictam vacantibus semper, nulla dicti regis præcedente nominatione, libere prouideri possit, decernentes, electiones contra præmissa attentatas, ac prouisiones per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi factas, nullas & inualidas existere. Consanguineis tamen præfati regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili & legitima, in nominatione & apostolicis literis exprimenda, nec non religiosis

mendicantibus reformatis, eminentis scientiæ, & excellentis doctrinæ, qui iuxta sui ordinis regularia instituta ad gradus huiusmodi assumi non possint, sub prohibitione præmissa minime comprehensis, sed de eorum personis dictis ecclesiis pro tempore vacantibus, ad dicti regis nominationem per nos & successores nostros seu sedem huiusmodi, libere prouideri possit; Monasteriis vero & prioratibus conuentualibus & vere electiuis, videlicet in quorum electionibus forma capituli. Quapropter, seruari & confirmationes electionum huiusmodi solenniter peti consueuerunt, in regno, Delphinatu & comitatu, huiusmodi nunc, & pro tempore etiam per similem cessionem vacantibus, illorum conuentus ad electionem seu postulationem abbatis seu prioris, procedere non possint, sed idem rex illorum occurrente huiusmodi vacatione, religiosum eiusdem ordinis in ætate viginti trium annorum ad minus constitutum, infra simile tempus sex mensium, a die vacationis monasteriorum & prioratuum huiusmodi computandorum, nobis & successoribus nostris, aut sedi huiusmodi nominare, & de persona per regem huiusmodi monasterio vacanti nominata, per nos & successores nostros, seu sedem huiusmodi, prouideri: Prioratus vero, personæ ad illum per eumdem regem nominatæ, conferri debeat. Si vero idem rex presbyterum sæcularem, aut religiosum alterius ordinis, aut minorem viginti trium annorum, vel alias inhabilem, nobis, aut successoribus nostris infra dictum semestre, seu sedi huiusmodi nominaret, talis nominatus recusari, & nullatenus sibi prouideri debeat: sed rex ipse infra trimestre a die recusationis supradicto modo intimandæ computando, alium modo supradicto qualificatum monasterio seu prioratui tunc vacanti nominare, & de persona ad monasterium nominata, illi prouidere: ad prioratum vero nominato, prioratus ipse per nos & successores nostros, seu sedem prædictam conferri debeat. Alioquin dictis nouem mensibus effluxis, nulla, seu de persona minus idonea, & modo præmisso non qualificata facta nominatione, ac etiam vacantibus apud sedem prædictam, semper etiam nulla dicti regis expectata nominatione, per nos, & successores nostros, seu sedem præ-

ANNO CHRISTI 1516.

Anno Christi 1516. dictam, monasteriis prouideri: prioratus vero, personis, vt præfertur, qualificatis dumtaxat conferri libere possint. Electiones autem & illarum confirmationes, nec non prouisiones per nos & successores nostros & sedem prædictam contra præmissa pro tempore factas, nullas, irritas, & inanes esse decernimus. Per præmissa tamen non intendimus in aliquo præiudicare capitulis ecclesiarum, & conuentibus monasteriorum & prioratuum, huiusmodi priuilegia a sede apostolica proprium eligendi prælatum obtinentium, quo minus ad electionem episcoporum ac abbatum & priorum, iuxta priuilegia eis concessa, libere procedere possint, iuxta formam in eorum priuilegiis contentam; & si in eorum priuilegiis forma aliqua expressa non fuerit, tunc formam Concilii generalis, Quia propter, seruare teneantur, dummodo de priuilegiis sibi concessis huiusmodi, per literas apostolicas seu alias authenticas scripturas docuerint, omni alia specie probationis eis in hoc adempta. Volumus quoque & ordinamus, quod in regno, Delphinatu, & comitatu prædictis, de cetero non dentur aliquæ gratiæ expectatiuæ, ac speciales vel generales reseruationes ad vacatura beneficia, per nos & sedem prædictam non fiant: & si de facto per importunitatem, aut alias, a nobis & successoribus nostris & sede prædicta emanauerint, illas irritas & inanes esse decernimus. In cathedralibus tamen, metropolitanis & collegiatis ecclesiis, in quarum statutis caueretur expresse, quod nullus ibidem dignitatem, personatum, administrationem vel officium obtinere possit, nisi in illis actu canonicus existat, canonicos ad effectum dumtaxat inibi obtinendum dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi, & non consequendum primam præbendam vacaturam, creare posse intendimus. Statuimus insuper, quod ordinarius collator in vnaquaque cathedrali, ac etiam metropolitana ecclesia canonicatum & præbendam theologalem inibi consistentem, conferre teneantur vni magistro seu licentiato, aut baccalaureo formato in theologia, qui per decennium in vniuersitate studii generalis priuilegiata studuerit, ac onus residentiæ, lecturæ & prædicationis actu subire voluerit, quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessan-

In Concilio Lateranensi sub Innoc. III. cap. 24.

te legitimo, legere debeat, & quoties ipſum in huiuſmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium capituli per ſubtractionem diſtributionum totius hebdomadæ puniri poſſit, & ſi reſidentiam deſeruerit, de illis alteri prouideri debeat. Et vt liberius ſtudio vacare poſſit, etiamſi abſens fuerit a diuinis, habeatur pro præſente, ita vt nihil perdat. Præfatique ordinarii, collatores ſeu patroni eccleſiaſtici, quicumque fuerint, vltra dictam præbendam theologalem, quam, vt præfertur, qualificato conferre teneantur, tertiam partem omnium dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum & officiorum, ceterorumque beneficiorum eccleſiaſticorum, ad eorum collationem, prouiſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem quomodolibet ſpectantium, viris literatis, graduatis, & per vniuerſitates nominatis hoc modo, videlicet primo menſe poſt præſentium acceptationem, & earumdem publicationem præfati ordinarii collatores, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ad eorum collationem, prouiſionem, nominationem, præſentationem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem, vt præfertur, ſpectantia graduatis huiuſmodi, qui literas ſuorum graduum cum tempore ſtudii debite inſinuauerint, conferre teneantur. Beneficia vero, quæ in duobus ſequentibus menſibus vacare contigerit, illa iuxta iuris communis diſpoſitionem perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare poſſint. Beneficia autem, quæ in quarto menſe vacare contigerit, viris graduatis per vniuerſitatem nominatis, qui gradus & nominationis literas cum tempore ſtudii debite inſinuauerint, conferre ſeu præſentare teneantur. Beneficia vero, quæ quinto menſe & ſexto vacare contigerit, ſimili modo perſonis idoneis libere conferre, ſeu perſonas ad illa præſentare poſſint. Beneficia autem quæ ſeptimo menſe vacare contigerit, graduatis, qui ſimili modo literas gradus cum tempore ſtudii debite inſinuauerint, conferre teneantur. Beneficia vero quæ octauo & nono menſibus vacare contigerit, pari modo perſonis idoneis conferre, ſeu perſonas idoneas ad illa præſentare teneantur. Beneficia autem, quæ menſe decimo vacare contigerit, graduatis nominatis, qui gradus & nomi-

Anno Christi 1516.

Anno Christi 1516. nominationis literas cum tempore ſtudii debite inſinuauerint, per eoſdem ordinarios conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant. Beneficia autem quæ vndecimo & duodecimo menſibus vacare contigerit, per eoſdem ordinarios perſonis idoneis iuxta iuris communis diſpoſitionem conferri, ſeu ipſi ad illa præſentari debeant.

Si quis vero cuiuſcumque ſtatus, etiamſi cardinalatus, patriarchalis, archiepiſcopalis aut pontificalis, vel alterius cuiuſlibet dignitatis contra prædictum ordinem & qualificationes ſuperius ordinatas, de dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis, ſeu quibuſuis aliis beneficiis eccleſiaſticis huiuſmodi aliter, quam modo præmiſſo diſpoſuerit, diſpoſitiones ipſæ ſint ipſo iure nullæ: collationeſque & prouiſiones ac diſpoſitiones illorum ad immediatum ſuperiorem deuoluantur, qui eiſdem perſonis modo præmiſſo qualificatis prouidere teneatur. Et ſi contrauenerit, ad alium ſuperiorem deuoluatur prouiſio & præſentatio huiuſmodi gradatim, donec ad ſedem apoſtolicam fiat deuolutio. Præterea volumus, quod collatores ordinarii & patroni eccleſiaſtici præfati, qui dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ac beneficia, in menſibus graduatis & nominatis aſſignatis, vacantia, illis graduatis ſimplicibus aut nominatis illa conferre, aut ad illa eos dumtaxat præſentare teneantur, qui per tempus competens in vniuerſitate famoſa ſtuduerint. Tempus autem competens, decennium in magiſtris ſeu licentiatis aut baccalaureis in theologia, ſeptennium vero in doctoribus ſeu licentiatis in iure canonico, ciuili, aut medicinis: quinquennium autem, in magiſtris ſeu licentiatis in artibus cum rigore examinis a logicalibus incluſiue, aut in altiori facultate: ſexennium autem, in baccalaureis ſimplicibus in theologia: quinquennium vero, in baccalaureis iuris canonici aut ciuilis, in quibus baccalaureis iuris canonici aut ciuilis, ſi ex vtroque parente nobiles fuerint, triennium eſſe decernimus. Præfatique graduati & nominati, collatoribus ordinariis ſiue patronis eccleſiaſticis ſemel ante vacationem beneficii de literis gradus ſeu nominationis, & de præfato tempore ſtudii, per literas patentes vniuerſitatis, in qua ſtuduerint, manu ſcribæ & ſigillo vniuerſitatis ſignatas, fidem

facere teneantur. Cum vero probatio nobilitatis fieri deberet ad effectum, vt nobiles ipsi gaudere possint beneficio minoris temporis studii, tunc nobilitas ipsa per quatuor testes deponentes in iudicio coram iudice ordinario loci, in quo est natus ille, de cuius nobilitate ex vtroque parente constare debet, etiam in partis absentia probari possit: teneanturque præfati graduati, tam simplices, quam nominati, patronis ecclesiasticis aut collatoribus ordinariis, quibus gradus aut nominationis literas huiusmodi insinuare deberent, literas suorum gradus & nominationis, certificationis, temporis studii, & attestationis nobilitatis, duplicatas dare, ac singulis annis, tempore quadragesimæ, per se vel procuratorem suum, collatoribus, nominatoribus, seu patronis ecclesiasticis, aut eorum vicariis, eorum nomina & cognomina insinuare, & eo anno quo præfatam insinuationem facere omiserint, beneficium in vim gradus aut nominationis huiusmodi petere non possint. Et si collatoribus ordinariis, aut patronis ecclesiasticis in mensibus deputatis graduatis simplicibus, aut graduatis nominatis, non esset graduatus aut nominatus, qui diligentias præfatas fecerint, collatio seu præsentatio per collatorem seu patronum ecclesiasticum etiam eisdem mensibus facta alteri quam graduato vel nominato, non propter hoc irrita censeatur, si tamen graduatus simplex aut beneficium post insinuationem gradus aut nominationis in mensibus eis assignatis vacans petierit, & inter suam insinuationem & præfatam requisitionem non superuenerit quadragesima, in qua nomen & cognomen insinuare debuerit, ad beneficium sic vacans eum capacem, ipsumque illud consequi posse & debere decernimus. Anno Christi 1516.

Statuimus quoque & ordinamus, quod collatores ordinarii & patroni ecclesiastici præfati inter graduatos, qui literas gradus cum tempore studii & attestatione nobilitatis debite insinuauerint, quoad beneficia in mensibus eis deputatis vacantia, gratificare possint illum ex eis, quem voluerint: quo vero ad beneficia in mensibus graduatis nominatis deputatis, antiquiori nominato conferre, seu antiquiorem nominatum, qui literas nominationis, temporis, studii & attestationis nobilitatis, debite

Anno Christi 1516. insinuauerit, præsentare, seu nominare teneantur. Concurrentibus autem nominatis eiusdem anni, doctores licentiatis, licentiatos baccalaureis, demptis baccalaureis formatis in theologia, quos fauore studii theologici, licentiatis in iure canonico, ciuili, aut medicina, præferendos esse decernimus: Baccalaureos iuris canonici aut ciuilis, magistris in artibus præferri volumus. Concurrentibus autem pluribus doctoribus in diuersis facultatibus, doctorem theologum, doctori in iure, doctorem in iure canonico, doctori in iure ciuili, doctorem in iure ciuili, doctori in medicina præferendos esse decernimus. Et idem in licentiatis, & baccalaureis seruari debere volumus. Et si in eisdem facultate & gradu concurrerent, ad datam nominationis seu gradus recurrendum esse volumus. Et si in omnibus his concurrerent, tunc collator ordinarius inter eosdem concurrentes gratificare possit. Volumus autem, quod nominati literas nominationis ab vniuersitatibus, in quibus studuerint, obtinentes in nominationum literis beneficia per eos possessa, & eorum verum valorem exprimere teneantur: alioquin literæ nominationis huiusmodi, eo ipso nullæ sint & esse censeantur. Si quis vero ex dictis qualificatis, graduatis simplicibus, aut nominatis, tempore vacationis beneficii in mensibus eis deputatis vacantis, duas obtineat præbendas, in cathedralibus etiam metropolitanis, aut collegiatis, seu dignitatem vel præbendam, vel aliud beneficium seu alia beneficia, quorum insimul vel cuius fructus, reditus & prouentus tempore residentiæ, & horis diuinis intereſſendo, ad summam ducentorum florenorum auri de camera ascenderent, beneficium, in vim gradus seu nominationis huiusmodi, tunc petere seu consequi non possit. Et insuper, quod tam graduati simplices, quam nominati, beneficia in mensibus eis assignatis vacantia, petere & consequi possint secundum propriæ personæ condecentiam & conformitatem, videlicet, sæculares sæcularia, & religiosi regularia beneficia ecclesiastica, ita quod sæcularis nominatus, beneficia regularia in mensibus deputatis, vacantia prætextu cuiusuis dispensationis apostolicæ, & econtra religiosus beneficia sæcularia, petere aut consequi minime possint. Quodque bene-

ficia ſimpliciter vel ex cauſa permutationis in menſibus, graduatis ſimplicibus & nominatis aſſignatis vacantia eis non ſint affecta nec debita, ſed ex cauſa permutationis cum permutantibus dumtaxat, ſimpliciter vero vacantia beneficia huiuſmodi perſonis idoneis per ipſos ordinarios libere conferri poſſint. ANNO CHRISTI 1516.

Statuimus quoque, quod parochiales eccleſiæ, in ciuitatibus aut villis muratis exiſtentes, non niſi perſonis modo præmiſſo qualificatis, aut ſaltem qui per tres annos in theologia vel altero iurium ſtuduerint, ſeu magiſtris in artibus, qui in aliqua vniuerſitate priuilegiata ſtudentes, magiſterii gradum adepti fuerint, conferantur. Monemus autem præfati regni vniuerſitates, ſub pœna priuationis omnium & ſingulorum priuilegiorum, a nobis & ſede apoſtolica obtentorum, nec collatoribus ſeu patronis eccleſiaſticis habeant aliquos nominare, niſi eos, qui ſecundum præfata tempora ſtuduerint, & ſecundum dictarum vniuerſitatum ſtatuta ad gradus, & non per ſaltum, prouecti fuerint. Quod ſi ſecus fecerint, vltra nullitatis pœnam, quam in præfatarum nominationum literis declaramus, vniuerſitates ipſas nominandi priuilegio ad tempus, ſecundum culpæ qualitatem, ſuſpendemus.

Si quis autem graduatorum aut nominatorum in menſibus deputatis a collatoribus ordinariis, aut perſonis eccleſiaſticis, beneficium vacans in vim gradus aut nominationis petierit, & collatorem ordinarium in vim præfati gradus aut nominationis in proceſſu poſuerit, & aliter moleſtauerit, illum vltra expenſarum, damnorum, & intereſſe condemnationem, a fructibus ſui gradus & nominationis priuandum eſſe decernimus: eodemque vinculo collatores ordinarios & patronos eccleſiaſticos, quibus graduati & nominati debite, vt ſupra, qualificati, ſuos gradus & nominationis literas inſinuauerint, adſtringimus, vt beneficia ad eorum collationem vel præſentationem ſpectantia, in menſibus graduatorum ſimplicium & nominatorum vacantia, ſtantibus præfatis graduatis aut nominatis debite qualificatis, illa proſequentibus, aliis, quam graduatis aut nominatis conferant, ſub pœna ſuſpenſionis poteſtatis conferendi beneficia in octo menſibus, illo anno ad collationem eorum ac præſen-

ANNO CHRISTI 1516. tationem liberam ſpectantibus. Statuimus quoque & ordinamus, quod quilibet Romanus pontifex ſemel dumtaxat tempore ſui pontificatus literas in forma mandati, iuxta formam inferius annotatam, & non vltra dare poſſit hoc modo, videlicet vnum collatorem habentem collationem decem beneficiorum in vno: habentem autem collationem quinquaginta beneficiorum & vltra, in duobus beneficiis dumtaxat grauare poſſit; ita tamen, quod in eadem eccleſia cathedrali vel collegiata collatorem vnum pro tempore in duabus præbendis non grauet. Et vt obuietur litibus quæ occaſione literarum mandatorum huiuſmodi oriri poſſent, mandata huiuſmodi ſub forma, quæ eſt inferius annotata, dari volumus, quam ad perpetuam rei memoriam in cancellaria apoſtolica publicari, & in illius quinterno regiſtrari mandamus: declarantes, proſequentes huiuſmodi mandata, quoad beneficia ſub illis comprehenſa, ordinariis collatoribus & graduatis ſimplicibus & nominatis præferendos eſſe, noſque & ſucceſſores noſtros iure præuentionis, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes & officia ceteraque beneficia eccleſiaſtica, ſæcularia, & quorumuis ordinum regularia, quæcumque & quomodocumque qualificata, tam in menſibus graduatis, ſimplicibus & nominatis, quam ordinariis collatoribus præfatis aſſignatis, vacantia, ac etiam ſub dictis mandatis comprehenſa, libere conferre.

Statuimus inſuper, quod in prouiſionibus, quas perſonis quibuſuis de beneficiis vacantibus, ſeu certo modo vacaturis, per nos & ſucceſſores noſtros, ac ſedem prædictam, etiam motu proprio, etiam promotis ad eccleſias cathedrales & metropolitanas, ac monaſteria, vt obtenta per eos beneficia retinere poſſint, fieri contigerit, illorum verus annuus per florenos, aut ducatos auri de camera, aut libras Turonenſis, ſeu alterius monetæ, valor ſecundum communem æſtimationem exprimi debeat: alioquin gratiæ ipſæ ſint ipſo iure nullæ.

Statuimus quoque & ordinamus, quod in regno, Delphinatu, & comitatu prædictis, omnes & ſingulæ cauſæ, exceptis maioribus in iure expreſſe denominatis, apud illos iudices in partibus, qui de iure aut conſuetudine præſcripta, vel priuilegio illarum cognitionem habent termi-

nari & finiri debeant. Et ne sub vmbra appellationum, quæ nimium & nonnunquam friuole interponi consueuerunt, atque etiam in eadem instantia ad prorogationem litium sæpe multiplicari, iniustis vexationibus materia præbeatur: volumus, quod si quis offensus, coram suo iudice iustitiæ complementum habere non possit, ad immediatum superiorem, etiam ad nos & successores nostros, vel sedem prædictam, omisso medio, nec a grauamine in quacumque instantia ante definitiuam sententiam quomodolibet appelletur: nisi forsitan tale grauamen extiterit, quod in definitiua reparari nequiret, & eo casu, non nisi ad immediatum superiorem liceat appellari. Si quis vero immediate subiectus sedi apostolicæ, ad eamdem sedem duxerit appellandum, causa committatur in partibus per rescriptum vsque ad finem litis, videlicet vsque ad tertiam sententiam conformem incluſiue, si ab illis appellari contigerit, nisi propter defectum denegatæ iustitiæ, aut iustum metum: & tunc committi debeat in partibus conuicinis, & cum causarum expressione, quæ etiam de illis, etiam legitime alias, quam per iuramentum coram iudicibus a sede apostolica deputandis, constare debeat. Processus autem contra præmissa attentatos, nullos & irritos esse volumus: ac rescripta contra præmissa impetrantes, in expensis, damnis & interesse condemnari debere decernimus atque declaramus. Sanctæ vero Romanæ ecclesiæ cardinales, qui pro vniuersali ecclesia continue laborant, nec non dictæ sedis officiales, officia sua actu exercentes, sub præsenti decreto non intendimus comprehendi. Statuimus etiam & ordinamus, quod iudices causas, quæ in partibus terminari debent, coram eis pro tempore pendentes, sub pœna excommunicationis & priuationis beneficiorum per eos obtentorum, eo ipso incurrenda, infra biennium terminare debeant. Pars vero diffugiens, & expeditionem ipsius causæ malitiose impediens, grauissime per eosdem iudices mulctetur, etiam vsque ad priuationem iuris in huiusmodi processu prætensi, si eis visum fuerit, super quo eorum conscientias oneramus. Ab interlocutoriis autem secundo, a definitiuis vero tertio dumtaxat prouocare licere decernimus. Volumusque secundam sententiam interlocutoriam, conformem, & tertiam definitiuam etiam

ANNO CHRISTI 1506.

Anno Christi 1516. conformem, omni mora cessante: executioni debitæ demandari debere, quacumque appellatione interposita non obstante. Statuimus quoque, quod quicumque, dummodo non sit violentus, sed habens coloratum titulum, pacifice & sine lite prælaturam, dignitatem, personatum, administrationem, vel officium, seu quodcumque beneficium ecclesiasticum triennio proximo hactenus possidet, vel pro tempore possidebit, in petitorio vel possessorio, a quoquam etiam ratione iuris nouiter reperti molestari nequeat, præterquam prætextu hostilitatis aut alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, & illud iuxta Concilium Viennense intimari debeat. Lis autem hoc casu quod ad futuras controuersias intelligatur, si ad executionem citationis, iurisque sui in iudicio exhibitionem, aut terminorum omnium obseruationem processum fuerit. Monemus etiam ordinarios, vt diligenter inquirant, ne quis sine titulo beneficium possideat: & si quem beneficium sine titulo possidere repererint, declarent, illi ius non competere, cuiusuis temporis detentione non obstante, de ipsoque beneficio possit illi, dummodo non sit intrusus, vel violentus, aut alias indignus, vel alteri idoneo prouideri. Et insuper statuimus, quod quicumque clericus cuiuscumque conditionis, status, religionis, dignitatis, etiamsi pontificalis, vel alterius præeminentiæ fuerit, qui post habitam præsentium notitiam, quam habere præsumatur post duos menses post earumdem præsentium publicationem, in ecclesiis cathedralibus factam, quam ipsi diœcesani omnino facere teneantur, postquam præsentes ad eorum notitiam peruenerint, publicus concubinarius a perceptione fructuum omnium beneficiorum suorum trium mensium spatio sit ipso facto suspensus, quos suus superior in fabricam vel aliam euidentem ecclesiarum vtilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, conuertat. Necnon huiusmodi publicum concubinarium, vt primum talem esse nouerit, mox suus superior monere teneatur, vt infra breuissimum terminum concubinam dimittat, & si illam non dimiserit, vel dimissam seu aliam publice resumpserit, iubemus, vt ipsum omnibus suis beneficiis omnino priuet. Et nihilo minus hi publici concubinarii, vsquequo cum eis per suos superiores post ipsarum concubina-

rum dimissionem, manifestamque vitæ emendationem fuerit dispensatum; ad susceptionem quorumcumque honorum, dignitatum, beneficiorum, officiorumve sint inhabiles. Qui si post dispensationem recidiuo vomitu ad huiusmodi publicum concubinatum redierint, sine spe alicuius dispensationis ad prædicta prorsus inhabiles existant. Quodque si hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, vt prædictum est, punire neglexerint, eorum superiores, tam in ipsos de neglectu, quam in illos pro concubinatu modis omnibus digna punitione animaduertant. In Conciliis etiam prouincialibus & synodalibus aduersus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per suspensionem a collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna seueriter procedatur. Et si ii, quorum destitutio ad nos & sedem prædictam spectat, per Concilia prouincialia, aut suos superiores propter concubinatum publicum reperiantur priuatione digni, statim cum processu inquisitionis ad nos deferantur. Eadem diligentia & inquisitio in quibuscumque generalibus capitulis, etiam prouincialibus, quoad eos seruetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios non publicos concubinarios a iure statutis, in suo robore permansuris. Publici autem intelligendi sunt, non solum hi, quorum concubinatus per sententiam aut confessionem in iure factam, sed per rei euidentiam, quæ nulla possit tergiuersatione celari, notorius est, sed etiam, qui mulierem de incontinentia suspectam & diffamatam tenent, & per suum superiorem admoniti, ipsam cum effectu non dimittunt. Quia vero in quibusdam regionibus nonnulli iurisdictionem ecclesiasticam habentes, pecuniarios quæstus a concubinariis percipere non erubescunt, patientes eos in tali fœditate sordescere, sub pœna maledictionis æternæ præcipimus, ne deinceps sub pacto, compositione, aut spe alterius quæstus talia quouis modo tolerent, aut dissimulent: alioquin vltra præmissam negligentiæ pœnam duplum eius, quod propterea acceperint, restituere, & ad pios vsus omnino conuertere teneantur & compellantur. Ipsas autem concubinas aut suspectas prælati omnibus modis curent a suis subditis per auxilium & brachii sæcularis inuocationem, si opus fuerit, penitus arcere, qui etiam filios ex tali concu-

ANNO CHRISTI 1514.

ANNO CHRISTI 1516. concubinatu procreatos, apud patres suos cohabitare non permittant. Iubemus insuper, quod in prædictis Synodis & capitulis præmissa publicentur, & vt quilibet suos subditos ad ipsarum concubinarum dimissionem moneat, diligenter. Iniungimus præterea omnibus sæcularibus viris, etiamsi regali præfulgeant dignitate, ne vllum qualecumque inferant impedimentum, quocumque quæsito colore prælatis, qui ratione officii sui aduersus subditos suos pro huiusmodi concubinatu, & aliis casibus sibi a iure permissis procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege diuina prohibitum, sit & sub pœna peccati mortalis necessario euitandum, monemus omnes laicos tam vxoratos quam solutos, vt similiter a concubinatu abstineant. Nimis enim reprehensibilis est, qui vxorem habet, & ad aliam vxorem seu mulierem accedit. *Qui vero solutus est*, si continere nolit iuxta Apostoli consilium, *vxorem ducat*. Pro huiusmodi autem diuini obseruantia præcepti hi, ad quos pertinet, tam salutaribus monitis, quam aliis canonicis remediis omni studio laborent. Statuimus insuper, quod ad vitandum scandala & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis, quod nemo deinceps a communicatione alicuius in sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine vel a iure generali promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel interdictum ecclesiasticum obseruare: nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi, fuerit vel contra personam collegium, vniuersitatem ecclesiasticam, aut locum certum, aut certam a iudice publicata, & denuntiata specialiter & expresse, aut si notorie in excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quod nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo iuris suffragio excusari, eum a communione illius abstinere volumus iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendimus in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari. Et quoniam ex indiscreta interdictorum promulgatione multa consueuerint scandala euenire, statuimus, quod nulla ciuitas, opidum, castrum, villa,

1. Cor. 7.

aut locus eccleſiaſtico ſupponi poſſit interdicto, niſi ex cauſa ſeu culpa ipſorum locorum, aut domini, ſeu rectoris vel officialium. Propter culpam autem ſeu cauſam alterius cuiuſcumque priuatæ perſonæ, huiuſmodi loca interdici nequaquam poſſint auctoritate quacumque ordinaria vel delegata, niſi talis perſona prius fuerit excommunicata ac denuntiata, ſeu in eccleſia publicata, aut domini ſeu rectores vel officiales ipſorum locorum, auctoritate iudicis requiſiti, huiuſmodi perſonam excommunicatam, infra biduum inde cum effectu non eiecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint, qua etiam poſt biduum eiecta, recedente vel ſatisfaciente, mox diuina reſumi poſſint. Quod etiam in pendentibus locum habere decernimus. Nec non conſtitutionem de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio edita, quam cum irritanti decreto ſtatuimus, decernimus & ordinamus, quod ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus de ceſſione regiminis & adminiſtrationis eccleſiarum & monaſteriorum, facta per eos qui eccleſiis, & monaſteriis ipſis præerunt, ſeu illa in adminiſtrationem ſeu commendam, aut vt aliis vnita, aut alias obtinebant, ſeu reſignatione aliorum quorumcumque beneficiorum eccleſiaſticorum, ſeu ceſſione iuris in eis vel ad ea quomodolibet competentis, aut priuationis vel depoſitionis, aut cenſurarum fulminationem, etiam in literis apoſtolicis, a nobis & ſede apoſtolica etiam motu proprio pro tempore emanatis, quæ in manibus Romani pontificis factæ dicerentur, contentis, etiamſi ſuper illis narrantis fundaretur intentio, conſtare & apparere deberet per publica inſtrumenta, vel documenta authentica: alioquin tam in iudicio, quam extra illud, narratiuæ, & aſſertionibus huiuſmodi in præiudicium tertii minime ſtari, nec ex illis alicui præiudicium afferri debere, niſi de huiuſmodi narratiua & aſſertione etiam in literis apoſtolicis facta, altero ex præmiſſis modis doceretur: innouamus, illamque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari mandamus. Et quia ad ſupradictam concordiam cum præfato Francorum rege, ob illius ſinceram deuotionem, erga nos & ſedem prædictam oſtenſam, cum ad præſtandam nobis reuerentiam & filialem obedientiam, ad ciuitatem

Anno Christi 1516.

Anno Christi 1516. noſtram Bononienſem perſonaliter acceſſit, conſentimus, illamque inuiolabiliter obſeruari deſideramus, illam veri contractus & obligationis inter nos & ſedem apoſtolicam prædictam ex vna, & præfatum regem & regnum ſuum ex altera partibus legitime initi vim & robur obtinere: ac illi & præſentibus in aliqua ſui parte per quaſcumque literas, & gratias, per nos & ſucceſſores noſtros deſuper concedendas, derogari: clauſulamque cum earumdem derogatione præſentium latiſſime extendenda, ac quod eædem præſentes literæ, & earum tenor pro expreſſis habeantur in quibuſuis ſupplicationibus pro tempore ſignatis, appoſitam, nihil penitus operari: & illius vigore in literis apoſtolicis ſuper ipſis ſupplicationibus conficiendis, quidquam, per quod præſentibus aut alicui particulæ de contentis in eis derogaretur, ſeu derogari videretur, narrari non poſſit: & ſic per quoſcumque iudices & commiſſarios, etiam cauſarum dicti palatii apoſtolici auditores, & præfatæ Romanæ eccleſiæ cardinales in quibuſuis cauſis ſuper præmiſſis vel eorum aliquo, pro tempore motis, iudicari, definiri & ſententiari debere, ſublata eis aliter ſententiandi & definiendi omnimoda facultate & auctoritate: nec non irritum, & inane, quidquid ſecus ſuper his, vel eorum aliquo a quoquam quauis auctoritate etiam per nos & ſucceſſores noſtros præfatos, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Volumus autem, quod ſi præfatus rex præſentes literas, ac omnia & ſingula in eis contenta, quæ in prima futura ſeſſione præſentis Concilii Lateranenſis approbari, & confirmari facere promiſimus, infra ſex menſes a die approbationis, & confirmationis computandos, non approbauerit & ratificauerit, ea & perpetuis futuris temporibus in regno ſuo, & omnibus aliis locis, & dominiis dicti regni, per omnes prælatos & alias etiam eccleſiaſticas perſonas, ac curias parlamentorum legi, publicari, iurari & regiſtrari ad inſtar aliarum conſtitutionum regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione, iuramento & regiſtratione prædictis, infra prædictum tempus per omnium & ſingulorum ſupradictorum patentes literas aut authenticas ſcripturas nobis non tranſmiſerit, aut nuntio noſtro apud ipſum regem exiſtenti, per eum ad nos

destinandas non consignauerit, & deinde singulis annis etiam legi, prout aliæ ipsius Francorum regis constitutiones & ordinationes, quæ in viridi sunt obseruantia, obseruari debent, inuiolabiliter obseruari cum effectu non fecerit, præsentes literæ & inde secuta quæcumque, sint cassa & nulla, nulliusque roboris vel momenti. Et cum omnium, quæ in regno, Delphinatu & comitatu prædictis agantur, notitiam non habeamus, consuetudines, statuta, seu vsus libertati ecclesiasticæ, & auctoritati sedis apostolicæ quomodolibet præiudicantia, si qua in regno, Delphinatu & comitatu prædictis alias, quam in præmissis existant, non intendimus nobis, & eidem sedi in aliquo præiudicare, seu illa tacite vel expresse quomodolibet approbare. Anno Christi 1516.

Et nihilo minus præfato Francisco, & pro tempore existenti Francorum regi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus per se vel alium, seu alios in dignitate ecclesiastica constitutos, præsentes literas ac omnia & singula in eis contenta, quando, & quoties opus fuerit, publicari, & ea inuiolabiliter obseruari faciant, contradictores, cuiuscumque dignitatis & præeminentiæ fuerint, per censuras ecclesiasticas & pecuniarias pœnas, aliaque iuris & facti quæuis opportuna remedia, appellatione qualibet omnino postposita, compescendo. Non obstantibus omnibus supradictis, aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Forma vero supradicti mandati apostolici sequitur & est talis:

Leo episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri episcopo N. & dilectis filiis capitulo, singulisque canonicis ecclesiæ N. salutem & apostolicam benedictionem.

Vitæ ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, super quibus dilectus filius N. apud nos fide digno commendatur testimonio, nos inducunt, vt sibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod nos cupientes vt eidem N. iuxta illius, quæ olim per felicis recordationis Gregorium papam IX. prædecessorem

Anno Christi 1516. noſtrum ad tunc epiſcopum Nouiomenſem directa extitit, quæ incipit; Mandatum; & aliarum duarum illam immediate ſequentium decretalium formas, de canonicatu & præbenda aut dignitate, perſonatu, adminiſtratione vel officio veſtræ vel alterius eccleſiæ, aut alio beneficio, cum cura vel ſine cura, etiamſi parochialis eccleſia, vel eius perpetua vicaria, aut capella, ſiue perpetua capellania ad veſtram collationem, nominationem ſeu præſentationem, & aliam quamcumque diſpoſitionem prouideri poſſit: ac volentes præfato N. meritorum ſuorum intuitu gratiam facere ſpecialem, ipſumque N. a quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, a iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutum fore cenſentes, nec non omnia & ſingula beneficia eccleſiaſtica cum cura & ſine cura, quæ præfatus N. etiam ex quibuſuis apoſtolicis diſpenſationibus obtinet & expectat, ac in quibus & ad quæ ius ſibi quomodolibet competit, quæcumque, quotcumque & qualiacumque ſint, eorumque fructuum, redituum & prouentuum veros annuos valores & huiuſmodi diſpenſationum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, motu proprio, non ad ipſius N. vel alicuius alterius pro eo nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi vobis pro alio non ſcripſerimus, qui ſimile mandatum aut ſimilem gratiam proſequatur, canonicatum & præbendam aut dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium veſtræ vel alterius eccleſiæ, aut aliud beneficium eccleſiaſticum cum cura vel ſine cura, etiamſi parochialis eccleſia, vel eius perpetua vicaria, aut capella vel perpetua capellania fuerit, ad veſtram collationem, prouiſionem, præſentationem, nominationem, ſeu quamuis aliam diſpoſitionem pertinens, etiamſi dignitati, perſonatui, adminiſtrationi, vel officio huiuſmodi cura immineat animarum, dummodo talis dignitas electiua non exiſtat, cum creatione in canonicum veſtræ vel alterius eccleſiæ, etiamſi

in eo ſtatuto & priuilegio expreſſe caueatur, quod nulli de dignitate, perſonatu, adminiſtratione vel officio prouideri non poſſit, niſi cum effectu illius eccleſiæ canonicus exiſtat, canonicatum huiuſmodi eccleſiæ cum plenitudine iuris canonici, & non obſtante de certo canonicorum numero ad effectum huiuſmodi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium dumtaxat obtinentium, & non alias, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium conferimus, & de illo etiam prouidemus, ſi quemquam vel quod poſt menſem, poſtquam præſentes literæ vobis præſentatæ fuerint, extra Romanam curiam vacare contigerit, cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus & pertinentiis ſuis eidem N. conferatis, & de illo aut illa prouideatis, ſeu ipſum ad illum, illam, vel illud præſentetis aut nominetis, ipſumque N. in canonicum & in fratrem veſtræ vel alterius eccleſiæ ad effectum tantum obtinendi dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem vel officium huiuſmodi, recipiatis, ſtallum ſibi in choro, & locum in capitulo cum plenitudine iuris canonici aſſignetis, inducentes eumdem N. vel procuratorem ſuum eius nomine, in corporalem poſſeſſionem canonicatus & præbendæ, aut dignitatis, perſonatus, adminiſtrationis vel officii, ſeu beneficii huiuſmodi, iuriumque & pertinentium vniuerſorum prædictorum, defendenteſque inductum, ac facientes N. vel pro eo procuratorem prædictum, ad præbendam aut dignitatem, perſonatum, adminiſtrationem, vel officium ſeu beneficium huiuſmodi, quodcumque fuerit, vt moris eſt, admitti, ſibique de illius, vel illorum fructibus, reditibus, prouentibus, iuribus & obuentionibus vniuerſis integre reſponderi, non obſtante de certo canonicorum numero, vt præfertur, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis, ac dictæ veſtræ vel alterius eccleſiæ iuramento, confirmatione apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus contrariis quibuſcumque, aut ſi vobis ab apoſtolica ſit ſede indultum, quod ad receptionem vel prouiſionem alicuius minime teneamini, quodque de canonicatibus & præbendis ſeu dignitatibus, perſonatibus, adminiſtrationibus vel officiis veſtræ vel alterius eccleſiæ, aut aliis beneficiis eccle-

ANNO CHRISTI 1516.

ANNO CHRISTI 1516. siasticis quibuscumque, ad vestram collationem, prouisionem, præsentationem, nominationem, seu quamuis aliam dispositionem, communiter vel diuisim pertinentibus, nulli valeat prouideri per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existant, per quam præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi gratiæ impediri valeat quomodolibet vel differri, & de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris literis mentio specialis, seu si dictus N. præsens non fuerit ad præstandum de obseruantiis, statutis & consuetudinibus vestræ vel alterius ecclesiæ solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem idoneum, & cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud præstes. Data, *&c.* Dilectis filiis N. & N. ac N. officialibus, salutem & apostolicam benedictionem. Hodie cupientes, vt dilecto filio N. clerico N. diœcesis iuxta illius, quæ olim per felicis recordationis Gregorium papam nonum prædecessorem nostrum ad tunc episcopum Nouiomensem, directa extitit, quæ incipit; Mandatum; & aliarum duarum illam immediate sequentium decretalium formas, de canonicatu & præbenda, aut dignitate, personatu, administratione, vel officio ecclesiæ N. aut alio beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura prouideri posset, motu proprio venerabili fratri nostro episcopo N. & dilectis filiis capitulo, singulisque canonicis ecclesiæ N. per alias nostras literas mandauimus, quatenus si eis communiter vel diuisim pro alio non scripsissemus, qui simile mandatum, aut similem gratiam prosequeretur, eidem N. canonicatum & præbendam, aut dignitatem, personatum, administrationem, vel officium, aut beneficium ecclesiæ N. aut aliud beneficium ecclesiasticum, ad eorum collationem, prouisionem, præsentationem, nominationem, seu quamuis aliam dispositionem, communiter vel diuisim pertinentia, si quem, quam vel quod post mensem post præsentationem earumdem literarum vacare contingeret, cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus iuribus & pertinentiis suis, prout ad eos communiter vel diuisim

pertineret, conferrent & assignarent, aut eum ad illa præ- ANNO CHRISTI 1516.
sentarent, eligerent, nominarent, seu de illis prouide-
rent, prout in eisdem literis plenius continetur. Quocir-
ca discretioni vestræ per apostolica scripta motu simili
mandamus, quatenus vos vel duo, aut vnus vestrum, per
vos, vel alium seu alios, si episcopus, capitulum & cano-
nici prædicti canonicatum & præbendam, aut dignita-
tem, personatum, administrationem vel officium, aut
beneficium huiusmodi eidem N. conferre & assignare,
ac de illis etiam prouidere recusauerint, seu distulerint,
aut negligentes fuerint, canonicatum & præbendam, aut
dignitatem, personatum, administrationem, vel officium
huiusmodi cum plenitudine iuris canonici, ac omnibus
iuribus & pertinentiis supradictis eidem N. conferre &
assignare, nec non eumdem N. ad illa, vt moris est, ad-
mittere, & in canonicum recipere & in fratrem, stallo
sibi in choro & loco in capitulo assignatis, omniaque &
singula alia in dictis literis contenta, alias iuxta earum-
dem continentiam ac formam, in omnibus & per om-
nia facere & exequi curetis, contradictores, prout iusti-
tia suadebit, ad hoc compescendo, non obstantibus om-
nibus, quæ in dictis literis voluimus non obstare. Datum,
&c. Pro regularibus autem similis forma illis conueniens
detur, *&c.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-
ginam nostrorum statuti, ordinationis, suspensionis, ad-
strictionis, declarationis, præcepti, iniectionis, nomina-
tionis, innouationis, consensus, decreti, voluntatis, pro-
missionis & mandati infringere, vel ei ausu temerario
contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, in-
dignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri &
Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarna-
tionis dominicæ millesimo quingentesimo decimosexto,
decimoquinto Kalendas Septembris, pontificatus nostri
anno quarto.

Nos igitur, vt literæ ipsæ, quæ ob id præcipue editæ
fuerunt, vt in corpore mystico, sancta videlicet ecclesia,
perpetua caritas & pax inuiolata perdurent, & si qua
membra dissentiant, ea commode suo reinserantur cor-
pori, eo magis obseruentur, quo clarius constiterit, ipsas

literas

Anno Christi 1516. literas ea matura & salubri deliberatione a nobis, dicto sacro Lateranensi approbante Concilio, approbatas & innouatas, qua statutæ & ordinatæ fuerunt, licet ad earumdem literarum subsistentiam & validitatem, alia approbatione non indigerent. Ad abundantiorem tamen cautelam, vt eo tenacius obseruentur, & difficilius tollantur, quo tantorum patrum fuerint maiore approbatione munitæ, literas prædictas cum omnibus & singulis statutis, ordinationibus, decretis, definitionibus, pactis, conuentionibus, promissione, voluntate ac pœnis, inhibitione, aliisque omnibus & singulis clausulis in eis contentis, illa præsertim, qua voluimus, quod si præfatus Francorum rex supradictas literas, ac omnia & singula in eis contenta, intra sex menses a data præsentium computandos non approbaret & ratificaret, & ea perpetuis futuris temporibus in regno suo & aliis locis & dominiis dicti regni, per omnes prælatos & alias ecclesiasticas personas ac curias parlamentorum acceptari, legi, publicari, iurari & registrari ad instar aliarum constitutionum regiarum, & de acceptatione, lectione, publicatione, iuramento & registratione prædictis intra prædictum tempus per omnium & singulorum supradictorum patentes literas, aut authenticas scripturas nobis non transmitteret, aut nuntio nostro apud ipsum regem existente, per eum ad nos destinandum non consignaret, & deinde singulis annis etiam legi, prout aliæ ipsius Francorum regis constitutiones & ordinationes, quæ in viridi sunt obseruantia, obseruari debent, inuiolabiliter obseruari cum effectu non fecerit, literæ ipsæ & inde secuta, quæcumque essent, cassa & nulla, nulliusque roboris vel momenti, sacro Lateranensi Concilio approbante, apostolica auctoritate, & potestatis plenitudine approbamus, & innouamus, easque inuiolabiliter & irrefragabiliter obseruari & custodiri mandamus, roburque perpetuæ firmitatis in euentum dictarum approbationis & ratificationis, & non aliter, nec alio modo obtinere, omnesque in dictis literis comprehensos, ad ipsarum literarum ac omnium & singulorum in eis expressorum obseruationem, sub censuris & pœnis ac aliis in eis contentis, iuxta earumdem literarum tenorem & formam, teneri & obli-

gatos esse decernimus & declaramus, non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, mandati, decreti, declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Anno Christi 1516.

Datum Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimosexto, quarto Kalendas Ianuarii, pōtificatus nostri anno quarto.

Visa. Ie. Saluius.
Bembus.
A. de Castillo.

Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnibus placuerunt simpliciter, excepto reuerendo patre domino Dominico episcopo Lucerino, qui dixit quod placebant sibi contenta in bulla, dummodo Galli acceptent bullam reuocationis pragmaticæ sanctionis. Et in eodem voto fuit reuerendus pater dominus Philippus episcopus Brugnatensis, & etiam reuerendus dominus Petrus episcopus Castelli maris. Reuerendo patri domino Benedicto Chiensi placuerunt omnia, excepto quod in quantum disponitur circa resignationes factas in curia, quod requiratur consensus regis, hoc non placuit. Nec etiam placuit eidem Benedicto, quod appellationes non admittantur, sed placere ei, quod appellationes admitterentur. Reuerendo patri domino Ioanni Dominico Terdonensi non placuit consuetudo parlamentorum, quod habeant iurisdictionem in personas ecclesiasticas. Et in quantum suprascripta bulla tribuit iurisdictionem sæcularibus in personas ecclesiasticas, non placet ei. Reuerendo patri domino Hieronymo episcopo Asculano placent contenta in schedula, dummodo acceptentur per partes hinc inde.

Deinde reuerendus pater dominus Ioannes Baptista episcopus Cauallicensis ascendit ambonem, & legit sche-

ANNO CHRISTI 1516. dulam abrogationis pragmaticæ sanctionis, seu corruptelæ, cuius tenor sequitur & est talis:

Leo episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Pastor æternus gregem suum vsque ad consummationem sæculi nunquam deserturus, ita, Apostolo teste, obedientiam dilexit, vt pro expiando primi parentis inobedientiæ peccato seipsum humiliauerit, factus obediens vsque ad mortem: migraturus vero ex mundo ad Patrem, in soliditate petræ Petrum eiusque successores vicarios suos instituit, quibus ex libri regum testimonio ita obedire necesse est, vt qui non obedierit, morte moriatur. Et vt alibi legitur, in ecclesia esse non potest, qui Romani pontificis cathedram deserit: quoniam Augustino Gregorioque auctoribus, sola obedientia est mater custosque omnium virtutum, sola fidei meritum possidens: sine qua, quisque infidelis conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Itaque nos, eodem Petro docente, soliciti esse debemus, vt quæ a Romanis pontificibus prædecessoribus nostris, præsertim in sacris Conciliis pro obedientiæ huiusmodi, auctoritatis, libertatisque ecclesiasticæ, & sedis apostolicæ defensione, mature & ex legitimis causis inchoata sunt, nostris studio, & cura & diligentia debite absoluantur, & ad optatum finem perducantur: simplicium quoque animæ, quarum etiam rationem Deo reddituri sumus, a dolis & laqueis tenebrarum principis liberentur. Sane felicis recordationis Iulius papa secundus prædecessor noster, post indictum ex legitimis tunc expressis causis, de venerabilium fratrum suorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio & assensu, sacrum Lateranense Concilium, prouide considerans cum eodem sacro Lateranensi Concilio Bituricensem regni Franciæ corruptelam, quam illi pragmaticam sanctionem vocant, cum maximo animarum periculo & scandalo, ac dignitatis sedis apostolicæ detrimento & vilipendio, retroactis temporibus viguisse & adhuc vigere, eiusdem pragmaticæ sanctionis negotium, eodem approbante Concilio, discutiendum certis tunc nominatim deputatis cardinalibus & prælatis certæ con- *Philipp. 2.*

gregationis commisit. Et quamquam sanctio præfata ex multis nullitati notorie subiaceret, schismaque manifestum foueret & contineret, & propterea citatione aliqua minime præcedente, per se irrita, nulla & inualida declarari potuisset, ex abundanti tamen cautela idem Iulius prædecessor Gallicos prælatos, capitula ecclesiarum & monasteriorum, parlamenta, & laicos illis fauentes, & dicta sanctione vtentes, omnesque & singulos alios in præmissis sua communiter vel diuisim interesse putantes, per edictum publicum, cum ad partes illas tutus tunc non pateret accessus, in Mediolanensis, Astensis & Papiensis ecclesiarum valuis affigendum, monuit & citauit, vt infra tunc expressum terminum, coram eo & dicto Concilio comparerent, causasque dicerent, quare sanctio præfata, illiusque corruptela & abusio in concernentibus auctoritatem Romanæ ecclesiæ, & sacrorum Canonum, ac ecclesiasticæ libertatis violationem, nulla & inualida declarari non deberet. Cumque dicto Iulio prædecessore in humanis agente, diuersis impedimentis causantibus, citatio exequi & reproduci, ac negotium abrogationis huiusmodi plene discuti, vt intentio ipsius Iulii prædecessoris fuerat, non potuisset, sed eodem Iulio prædecessore rebus humanis exempto, citatio ipsa legitime executa, & per procuratorem fiscalem sacri Concilii promotorem reproducta, ipsorumque citatorum non comparentium contumacia accusata, & ad vlteriora procedi petitum fuisset: nos diuina fauente clementia, ad summi apostolatus apicem assumpti, omnibus rite pensatis, petitionis prædictæ ex certis causis nullum tunc responsum dedimus. Ac deinde cum per dictos monitos & citatos diuersa impedimenta allegarentur, quare in termino eis, vt præfertur, præfixo comparere non potuissent, vt omnis iustæ excusationis & querelæ occasio eis auferretur, terminum citationis & monitionis huiusmodi præfixum, eodem sacro approbante Concilio, ad alium tunc expressum terminum iam diu effluxum, in diuersis sessionibus pluries prorogauimus. Cum autem moniti & citati prædicti, sublatis iam omnibus impedimentis, effluxisque omnibus terminis, coram nobis & dicto Concilio non comparuerint, nec comparere curauerint, ad allegandam causam, quare san-

ANNO CHRISTI 1516.

ANNO CHRISTI 1516. ctio prædicta nulla declarari non debeat, ita vt executioni vltra locus non sit, possintque merito contumaces reputari, prout eos exigente iustitia reputamus: nos mature attendentes pragmaticam sanctionem vel potius, vt dictum est, corruptelam, schismatis tempore a non habentibus potestatem, editam, reliquæ Christianæ reipublicæ ecclesiæque sanctæ Dei nullatenus conformem, & a claræ memoriæ Ludouico XI. Francorum rege Christianissimo reuocatam, cassatam, atque abolitam, auctoritatem, libertatem, ac dignitatem dictæ sedis violare ac diminuere, facultatemque Romani pontificis pro tempore existentis de sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium pro vniuersali ecclesia assidue laborantium, virorumque doctorum personis, quibus abundat curia, & quorum consiliis sedis apostolicæ & Romani pontificis atque vniuersalis ecclesiæ auctoritas & potestas conseruantur, negotiaque diriguntur, & in prospero statu confouentur, ecclesiis & monasteriis, eisdemque personis de reliquis beneficiis ecclesiasticis iuxta eorum status exigentiam prouidendi, penitus auferre, prælatis vero ecclesiasticis illarum partium causam præbere, vt ipsi neruum ecclesiasticæ disciplinæ obedientiæ sanctum frangant & violent, ac contra nos & sedem prædictam eorum matrem cornua erigant, & eis ad præmissa audendum viam aperire, ipsamque notorie nullitati subiacere, nulloque nisi alicuius temporis seu potius tolerantiæ cuiusdam adminiculo fulciri, & si Romani pontifices prædecessores nostri præfati, prout ipsi suo tempore summopere optare demonstrarunt, corruptelam & abusionem huiusmodi, vel malignitate temporum, vel alias illi prouidere, & in totum occurrere non valentes, suis temporibus tolerasse visi fuerunt, considerantes tamen ab ipsius Bituricensis sanctionis editione vix annos septuaginta fluxisse, nullumque infra hoc temporis spatium præter hoc Lateranense Concilium legitime fuisse celebratum, in quo cum (disponente Domino) constituti simus, ab eiusdem improbæ sanctionis extirpatione & totali annullatione, sine nostra & tantorum patrum in præsenti Concilio congregatorum nota, ac nostræ & dictorum illa vtentium animarum periculo, abstinere seu desistere non posse, Augustino teste, iudicamus atque censemus. Et

ſicut piæ memoriæ Leo papa I. prædeceſſor noſter, cuius in hoc libenter, quoad poſſumus, veſtigia imitamur, ea quæ in ſecunda Epheſina Synodo temere contra iuſtitiam & catholicam fidem geſta fuerunt, poſtmodum in Calchedonenſi Concilio mandauit ac fecit, pro dictæ fidei firmitate reuocari: ita & nos a tam nefariæ ſanctionis & contentorum in ea reuocatione, retrahi aut deſiſtere, ſalua conſcientia, ac noſtro & ipſius eccleſiæ honore, non poſſe, aut debere, cenſemus. Nec illud nos mouere debet, quod ſanctio ipſa, & in ea contenta, in Baſileenſi Concilio edita, & ipſo Concilio inſtante, a Bituricenſi congregatione recepta & acceptata fuerunt, cum ea omnia poſt tranſlationem eiuſdem Baſileenſis Concilii, per felicis memoriæ Eugenium papam quartum, etiam prædeceſſorem noſtrum factam, a Baſileenſi Conciliabulo, ſeu potius conuenticula, quæ præſertim poſt huiuſmodi tranſlationem Concilium amplius appellari non merebatur, facta extiterint, ac propterea nullum robur habere potuerint: cum etiam ſolum Romanum pontificem pro tempore exiſtentem, tamquam auctoritatem ſuper omnia Concilia habentem, tam Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius & poteſtatem habere, nedum ex ſacræ ſcripturæ teſtimonio, dictis ſanctorum patrum, ac aliorum Romanorum pontificum etiam prædeceſſorum noſtrorum, ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtet: quorum aliqua referre placuit, reliqua vero, vt pote notoria, ſilentio præterire. In Alexandrina enim Synodo Athanaſio ibidem exiſtente, Felici Romano pontifici ab eadem Synodo ſcriptum fuiſſe legimus, Nicænam Synodum ſtatuiſſe non debere abſque Romani pontificis auctoritate Concilia celebrari. Neque nos latet, etiam eumdem Leonem pontificem Epheſinam ſecundam Synodum ad Calchedonem tranſtuliſſe; Martinum etiam papam V. præſidentibus ſuis in Concilio Senenſi poteſtatem transferendi Concilium nulla conſenſus ipſius Concilii mentione habita dediſſe; Epheſinam quoque primam Synodum Cæleſtino, ac Calchedonenſem eidem Leoni, ſextam Agathoni, ſeptimam Hadriano, octauam Nicolao, octauam etiam Conſtantinopolitanam Synodum Hadria- ANNO CHRISTI 1516.

ANNO CHRISTI 1516. no Romano pontifici prædeceſſoribus noſtris maximam reuerentiam exhibuiſſe, eorumdemque pontificum inſtitutionibus & mandatis in ſacris Conciliis per eos editis & factis, reuerenter & humiliter obtemperaſſe. Vnde Damaſus papa & ceteri epiſcopi Romæ congregati ſcribentes de Concilio Ariminenſi epiſcopis in Illyrico conſtitutis, præiudicium aliquod per numerum epiſcoporum Arimini congregatorum fieri non potuiſſe teſtantur: quandoquidem conſtet, Romanum pontificem, cuius ante omnia decebat ſpectari decretum, talibus non præbuiſſe conſenſum: eumdemque Leonem pontificem, vniuerſis Siciliæ epiſcopis ſcribentem, idem voluiſſe apparet. Conſueueruntque antiquorum Conciliorum patres, pro eorum, quæ in ſuis Conciliis geſta fuerunt, corroboratione a Romano pontifice ſubſcriptionem, approbationemque humiliter petere & obtinere, prout ex Nicæna & Epheſina ac Calchedonenſi huiuſmodi, & ſexta Conſtantinopolitana, & ſeptima eadem Nicæna, & Romana ſub Symmacho Synodis habitis, earumque geſtis, nec non in Aimari libro de Synodis manifeſte colligitur, quod etiam nouiſſime Conſtantienſes patres feciſſe conſtat. Quam laudabilem conſuetudinem ſi Bituricenſes & Baſileenſes ſecuti fuiſſent, huiuſmodi moleſtia procul dubio careremus. Cupientes quoque huiuſmodi negotium ad debitum finem perduci, ac tam vigore citationum hactenus a nobis, & præfato Iulio prædeceſſore ex abundanti emanatarum, quam aliorum præmiſſorum, quæ ita notoria ſunt, vt nulla valeant excuſatione aut tergiuerſatione celari, etiam ex noſtro paſtorali officio procedentes, omneſque & ſingulos, tam iuris quam facti defectus, ſi qui forſan in præmiſſis interuenerint, ſupplentes, ex certa noſtra ſcientia, & de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, eodem ſacro approbante Concilio, tenore præſentium præfatam pragmaticam ſanctionem ſeu corruptelam, eiuſque approbationem quomodolibet emanatam, omniaque & ſingula decreta, capitula, ſtatuta, conſtitutiones, ſiue ordinationes in eodem quomodolibet contentas, ſeu etiam inſertas, ac ab aliis prius editas, nec non conſuetudines, ſtylum, vſus, ſiue potius abuſum, ex ea in hanc vſque diem quomodolibet emanatos ſeu obſeruatos, nullius roboris vel momenti fuiſſe

& esse decernimus & declaramus. Nec non ad abundantiorem cautelam eamdem Bituricensem sanctionem siue corruptelam, eiusque approbationem tacitam vel expressam, vt præfertur, & in ea contenta omnia & singula, etiam inserta quæcumque reuocamus, cassamus, abrogamus, irritamus, annullamus ac damnamus, & pro infectis, reuocatis, cassatis, abrogatis, irritatis, annullatis, & damnatis haberi volumus, decernimus & declaramus. Et cum de necessitate salutis existat omnes Christi fideles Romano pontifici subesse prout diuinæ scripturæ & sanctorum patrum testimonio edocemur, ac constitutione felicis memoriæ Bonifacii papæ VIII. similiter prædecessoris nostri, quæ incipit, Vnam sanctam; declaratur: pro eorumdem fidelium animarum salute, ac Romani pontificis & huius sanctæ sedis suprema auctoritate, & ecclesiæ sponsæ suæ vnitate & potestate, constitutionem ipsam, sacro præsente Concilio approbante, innouamus & approbamus, sine tamen præiudicio declarationis sanctæ memoriæ Clementis papæ V. quæ incipit, Meruit; inhibentes in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis & censuris infra dicendis, omnibus & singulis Christi fidelibus, tam laicis quam clericis sæcularibus, & quorumuis ordinum etiam mendicantium regularibus, & aliis quibuscumque personis, cuiuscumque status, & gradus, & conditionis existant, etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, & quibusuis aliis ecclesiastica vel mundana, vel quauis alia dignitate fulgentibus, omnibusque aliis & singulis prælatis, clericis, capitulis, & conuentibus sæcularibus, & ordinum prædictorum regularibus, etiam monasteriorum abbatibus, prioribus, ducibus, comitibus, principibus, baronibus, parlamentis, officialibus etiam regiis, iudicibus, aduocatis, notariis & tabellionibus ecclesiasticis vel sæcularibus, & quibusuis aliis personis ecclesiasticis regularibus & sæcularibus, vt præfertur, quacumque dignitate fulgentibus, in præfato regno Franciæ, Delphinatu, & vbicumque prædicta pragmatica directe vel indirecte, tacite vel expresse vigeret, quomodolibet existentibus, vel pro tempore futuris, ne de cetero præfata pragmatica sanctione, seu potius corruptela, quomodolibet ex quauis causa, tacite

Anno Christi 1516.

Anno Christi 1516. cite vel expreſſe, directe vel indirecte, aut quouis alio quæſito colore vel ingenio, in quibuſque actibus iudicialibus vel extraiudicialibus vti, ſeu etiam eam allegare, vel ſecundum eam iudicare, aut quoſuis actus iudiciales vel extraiudiciales, ſecundum dictæ pragmaticæ tenorem vel capitula in ea contenta, per ſe vel alium ſeu alios nullatenus facere præſumant, aut per alios fieri permittant ſeu mandent, nec præfatam pragmaticam ſanctionem, aut in ea contenta capitula ſeu decreta, vlterius in domibus ſuis, aut aliis locis publicis vel priuatis teneant: quinimo illam ex quibuſuis archiuis etiam regiis, ſeu capitularibus, & locis prædictis, infra ſex menſes a data præſentium computandos, deleant ſeu deleri faciant, ſub maioris excommunicationis latæ ſententiæ, nec non quo ad eccleſiaſticas, & regulares perſonas prædictas, omnium etiam patriarchalium, metropolitanarum, & aliarum cathedralium eccleſiarum, monaſteriorum quoque & prioratuum, etiam conuentualium, & quarumcumque dignitatum aut beneficiorum eccleſiaſticorum ſæcularium, & quorumuis ordinum regularium priuationis, & inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda: quo vero ad ſæculares, præfatæ excommunicationis, nec non amiſſionis quorumcumque feudorum, tam a Romana quam alia eccleſia ex quauis cauſa obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda, inhabilitatiſque ad omnes & ſingulos actus legitimos quomodolibet faciendos, infameſque ac criminis læſæ maieſtatis in iure expreſſis pœnis, eo ipſo, & abſque vlteriori declaratione per omnes & ſingulos ſupradictos, ſi (quod abſit) contra fecerint, incurrendis: a quibus vigore cuiuſcumque facultatis, ac clauſularum etiam in confeſſionalibus, quibuſuis perſonis ſub quibuſuis verborum formis conceſſis, contentarum, niſi a Romano pontifice canonice intrante, vel alio ab eo ad id in ſpecie facultatem habente, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolui nequeant; non obſtantibus præmiſſis, nec non conſtitutionibus & ordinationibus, decretis ac ſtatutis, apoſtolica, ſeu quacumque alia etiam conciliari auctoritate quomodolibet, etiam ex certa ſcientia & apoſtolicæ poteſtatis plenitudine editis & ema-

natis, & sæpius innouatis, repetitis, confirmatis & approbatis: quibus illorum omnium & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, ad effectum præmissorum, pro sufficienter expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, scientia, potestate & tenore præmissis, specialiter & expresse derogamus contrariis quibuscumque: aut si communitatibus, vniuersitatibus, & personis singulis supranominatis, etiam cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, marchionibus, & ducibus præfatis, vel quibusuis aliis, communiter vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari, aut propterea priuari, & inhabiles reddi non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem: & quibuscumque aliis priuilegiis, indulgentiis & literis apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectum earumdem impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, quorumque tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri supplementi, decreti, declarationis, reuocationis, cassationis, abrogationis, irritationis, annullationis, damnationis, voluntatis, constitutionis, innouationis, approbationis, inhibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. ANNO CHRISTI 1516.

Data Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ 1516. quartodecimo Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

Visa. I. Saluius.

F. de S. Ioanne.

Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnibus placuerunt simpliciter, excepto reuerendo domino episcopo Terdonensi qui dixit, quod non placebat sibi reuocatio illorum,

Anno Christi 1516. quæ habuerint originem a Basileensi & Bituricensi Conciliis, seu conuenticulis.

Postremo reuerendus pater dominus Ioannes episcopus Sibinicensis ascendit ambonem, & legit schedulam disponentem circa religiosos & eorum priuilegia; cuius tenor talis est:

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Dum intra mentis arcana reuoluimus, & diligenti consideratione pensamus operosa solicitudinis studia, continuosque labores pro diuini nominis gloria, exaltatione catholicæ fidei, ecclesiæ vnitate seruanda, & institutione ac salute fidelium animarum per coepiscopos eorumque superiores, in diuersis orbis partibus, ad regimen suarum ecclesiarum a sede apostolica constitutos, nec non per fratres diuersorum ordinum, præsertim mendicantium, indefesse & indesinenter impensos, tanta ex eorum in vinea Domini fructuosis operibus, & opportune ac laudabiliter gestis, cordi nostro prouenit satisfactio, vt iis quæ ad pacem & quietem inter eos conseruandam conducere cognoscimus, omni studio intendamus. Nouimus enim episcopos ipsos in partem solicitudinis nostræ assumptos fuisse, quorum honor & sublimitas, teste Ambrosio, nullis potest comparationibus adæquari. Religiosos etiam in agro dominico pro Christianæ religionis defensione & ampliatione complura fecisse, ac vberes fructus protulisse, & in dies singulos proferre, ita vt eorumdem episcoporum ac religiosorum bonis operibus orthodoxam fidem incrementa sumpsisse, & per orbem terrarum vndique dilatatam fuisse, fidelium nullus ignoret. Et sicut ipsi sæpenumero vigilantissima & solerti cura schismata in Dei ecclesia extinguere, & ecclesiæ vnitatem reddere, & vt eidem ecclesiæ pacis tranquillitas daretur, innumeros labores subire non dubitarunt: ita quoque par est, eos inter se, nostris prouisionibus, pacis vinculo, ac fraterna caritate & vnitate coniungi, vt eorum concordi doctrina & mutuis operibus vberiores in ecclesia Dei fructus proueniant. Sane cupientes, vt iura spiritualia, quæ ad Dei laudem & Christi fide-

lium animarum ſalutem pertinent, & quorum exercitium præfatis epiſcopis & eorum ſuperioribus in ſuis diœceſibus, cum ipſi in partem ſolicitudinis, vt præfertur, aſſumpti, ac diœceſes diſtinctæ, & cuilibet eorumdem epiſcoporum aſſignatæ fuerunt, commiſſum extitit, vt per ipſos epiſcopos exerceantur, & ius illa libere exercendi, quantum fieri poteſt, eis illæſum præſeruetur: & ſi aliqua dictis fratribus mendicantibus in eorumdem epiſcoporum læſionem per Romanos pontifices prædeceſſores noſtros & ſedem apoſtolicam conceſſa fuerint, conceſſiones huiuſmodi eiſdem religioſis factas, in ſubſequentibus duximus moderandas, vt ipſi fratres potius ab eiſdem epiſcopis omni cum caritate foueantur, quam aliquo modo moleſtentur & inquietentur. Vna enim eſt regularium & ſæcularium, prælatorum & ſubditorum, exemptorum & non exemptorum vniuerſalis eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur, eorumque omnium vnus Dominus, vna fides: & propterea decet eos, qui eiuſdem ſunt corporis, vnius etiam eſſe voluntatis. Et ſicut fratres nexu inuicem caritatis adſtricti ſunt, ſic non conuenit alterum in alterius iniuriam ſeu iacturam proſilire, dicente Saluatore: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Ad conſeruandam igitur inter epiſcopos & eorum ſuperiores, ac prælatos & fratres huiuſmodi mutuam caritatem & beneuolentiam, diuini quoque cultus augmentum, pacemque & tranquillitatem vniuerſalis eccleſiæ ſtatus, quod ita demum fieri poſſe cognoſcimus, ſi vnicuique quantum fieri poteſt, ſua iuriſdictio conſeruetur, ſacro approbante Concilio ſtatuimus & ordinamus, quod epiſcopi & eorum ſuperiores & alii prælati præfati, parochiales eccleſias ad eoſdem fratres ratione locorum ſuorum legitime ſpectantes, quo ad ea, quæ ad parochianorum curam, & ſacramentorum conſeruationem, adminiſtrationemque pertinent, ſine tamen viſitatorum inſolito grauamine vel impenſa, viſitare, & illarum curam gerentes, & circa illam delinquentes, ſi religioſi fuerint, iuxta ipſius ordinis regularia inſtituta intra ſepta regularis loci: ſæculares vero presbyteros, & fratres huiuſmodi beneficia obtinentes, libere tamquam ſuæ iuriſdictioni ſubiectos punire. Ac tam prælati quam presbyteri ſæculares, qui vinculo

ANNO CHRISTI 1516.

Ioan. 16.

ANNO CHRISTI 1516. excommunicationis ligati non fuerint, Missas in ecclesiis domorum eorumdem deuotionis causa celebrare volentes, celebrare possint: ipsique fratres tales celebrare volentes libenter recipere debeant; ac ab eisdem prælatis ad processiones solennes pro tempore faciendas requisiti, dummodo eorum loca suburbana vltra vnum milliare a ciuitatibus respectiue non sint remota, accedere: nec non superiores eorumdem fratrum fratres, quos ad audiendas confessiones subditorum eorumdem prælatorum pro tempore elegerint, eisdem prælatis personaliter exhibere ac præsentare, si eos sibi exhiberi & præsentari petierint: alioquin eorum vicariis, dummodo ad prælatos vltra duas diætas accedere non cogantur, omnino non teneantur. Possintque illi per eosdem episcopos & prælatos super sufficienti literatura & aliqua saltem huiusmodi sacramenti peritia dumtaxat examinari: talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebite recusatis, confitentes constitutioni, quæ incipit: Omnis vtriusque sexus; quoad confessionem dumtaxat satisfeciſſe censeantur, ipsique fratres etiam forensium confessiones audire valeant. Laicos tamen & clericos sæculares, a sententiis ab homine latis, nullatenus absoluere possint. Eucharistiæ vero & extremæ vnctionis, aliaque ecclesiastica sacramenta illis, quorum etiam infirmorum ac decedentium confessiones audierint, dicentibus proprium sacerdotem illa sibi dare denegasse, dare nequeant: nisi denegatio sine legitima causa facta, vicinorum testimonio probata, aut requisitio coram notario publico facta, doceretur. Eorumdem vero fratrum obsequio insistentibus, sacramenta huiusmodi nullatenus ministrare valeant, nisi illorum durante obsequio. Pacta autem & conuentiones inter eosdem fratres & prælatos atque curatos pro tempore inita, valeant, nisi per subsecutum capitulum proximum generale vel prouinciale refutata, ac per eos refutatio huiusmodi intimata debito tempore fuerint. Parochias autem cum cruce ad leuanda funera eorum, qui apud ecclesias domorum & locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius præmonito & requisito, ac non recusante parochiano presbytero, & tunc sine eius ac ordinarii præiudicio: nisi eisdem fratribus su-

per hoc antiqua consuetudo, quæ sit in viridi obseruantia, & cum pacifica possessione suffragetur. Volentes quoque sepeliri in habitu eorumdem fratrum in claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum vltima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint. Quodque fratres ipsi ad ordines promouendi, per ordinarios de grammatica & sufficientia examinari, & dummodo competenter respondeant, per eosdem ordinarios libere admitti, ac nullatenus in eorum ecclesiis seu domibus, aut aliis eorum locis, ab alio quam a diœcesano episcopo, vel eius vicario, super hoc cum debita reuerentia requisito, & absque rationabili causa contradicente, vel eo a diœcesi absente, ad dictos ordines promoueri debeant. Nec ab alio episcopo consecrationem ecclesiæ, vel altaris, aut cœmeterii benedictionem petere, seu in ecclesiis per eos pro tempore ædificandis, primum lapidem per alienum episcopum poni facere possint, nisi vbi ordinarius bis aut ter cum debitis reuerentia & instantia requisitus, sine legitima causa id recusauerit. Et absque curatorum consensu sponsum & sponsam benedicere nequeant. Et vt debitus honor matrici ecclesiæ reddatur, tam ipsi fratres, quam alii clerici sæculares, etiam super hoc apostolicæ sedis priuilegio muniti, die sabbati maioris hebdomadæ, antequam campana cathedralis vel matricis ecclesiæ pulsauerit, campanas in ecclesiis suis pulsare minime possint. Contra facientes pœnam centum ducatorum incurrant. Censuras autem per eosdem ordinarios latas & promulgatas, ac in matrici ecclesia ciuitatum, nec non in collegiatis & parochialibus ecclesiis castrorum & opidorum respectiue solenniter publicatas, quando super hoc ab eisdem ordinariis requisiti fuerint, in ecclesiis domorum suarum publicare ac seruare. Et vt animarum vtriusque sexus Christi fidelium saluti vberius consulatur, illos, quorum confessiones pro tempore audierint, cuiuscumque status & conditionis fuerint, ad soluendum decimas, siue aliam bonorum seu fructuum quotam in locis, in quibus decimæ ipsæ aut similia solui consueuerunt, etiam sub onere conscientiarum suarum monere & hortari, ipsisque etiam illas soluere recusantibus, absolutionem denegare, & super

Anno Christi 1516.

ANNO CHRISTI 1516. hoc requisiti, id populo etiam publice prædicare & persuadere teneantur. Conseruatores autem eisdem fratribus pro tempore a sede apostolica deputandi, doctrina & probitate præstantes, & in ecclesiastica dignitate constituti esse debeant : & coram eis per eosdem fratres, quibus dati fuerint, vltra duas diætas a loco suæ solitæ habitationis nullus trahi possit, priuilegiis super hoc alias eis concessis nullatenus suffragantibus. Excommunicati quoque, ordinem mendicantium profiteri volentes, vbi de interesse tertii agetur, absolui non possint, nisi præuia satisfactione. Procuratores quoque & negotiorum gestores ac operarii eorumdem fratrum seruitiis insistentes, sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus consilium, auxilium vel fauorem præstiterint. Fratres autem & sorores tertii ordinis, nec non mantellati, corrigiati, pizochatæ, chordellati, & alii quocumque nomine nuncupati, in propriis domibus habitantes, sepulturam, vbi voluerint, eligere valeant : sed die paschatis tantum eucharistiam, nec non extremam vnctionem, ceteraque ecclesiastica sacramenta, pœnitentiæ sacramento dumtaxat excepto, a proprio sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro sæculari coram iudicibus sæcularibus conueniri possint. Et ne censura vilescat ecclesiastica, & minoris auctoritatis interdicti sententia reputetur, iidem dicti tertii ordinis, ad diuina audienda in ecclesiis suorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant seu foueant, aut dantibus auxilium, consilium vel fauorem quoquo modo præstiterint. Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem seu cælibem, aut castam vidualem (expresso voto & sub dicto habitu) vitam ducentes, priuilegiis, quibus fratres ordinis, cuius tertiæ regulæ habitum gestant, gaudere debeant. Omnia etiam singula supradicta ad reliquos religiosos ordinum quorumcumque extendi, & per eos etiam seruari debere volumus atque decernimus. Saluis tamen in reliquis desuper non expressis, tam episcoporum quam fratrum & aliorum religiosorum

prædictorum iuribus, quibus per præmissa in aliquo præiudicare, seu quidquam innouare non intendimus; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus apostolicis, ac statutis & consuetudinibus dictorum ordinum, iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis, priuilegiis quoque & indultis, ac literis apostolicis, contra præmissa, seu aliquod præmissorum eisdem ordinibus concessis, etiam in Mari magno contentis, quibus, etiamsi ad illorum derogationem, de eis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per generales clausulas id importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis & insertis habentes, specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, decernentes exnunc irritum & inane, si secus super his a quoquam quauis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Eosdem insuper fratres in virtute sanctæ obedientiæ monemus, vt eosdem episcopos, loco sanctorum apostolorum subrogatos, pro debita & nostra ac apostolicæ sedis reuerentia, congruo honore & conuenienti obseruantia venerentur. Ipsos quoque episcopos hortamur, ac per viscera misericordiæ Dei nostri requirimus, vt fratres ipsos affectu beneuolo prosequentes, caritatiue tractent ac benigne foueant, seque illis minime difficiles, aut duros vel morosos, sed potius faciles, mites, propitios, piaque munificentia liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tamquam in agro dominico cooperatores, eorumque laborum participes prompta benignitate recipiant, eorumque iura omni cum caritate custodiant, atque defendant, vt tam episcopi quam fratres præfati, quorum opera veluti lucernæ ardentes supra montem positæ, omnibus Christi fidelibus lumen præbere debent, ad Dei laudem, fidei catholicæ exaltationem, populorumque salutem, de virtute in virtutem proficiant, ac exinde a largissimo bonorum omnium retributore Domino perennis vitæ præmium consequi mereantur. ANNO CHRISTI 1516.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinationis, voluntatis, derogationis, decreti,

ANNO CHRISTI 1516. decreti, monitionis, exhortationis, & requisitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum.

Data Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimosexto, decimonono Decembris, pontificatus nostri anno quarto.

Qua perlecta, idem episcopus legit indictionem duodecimæ sessionis, videlicet sexto Nonas Martii proxime futuri. Et petiit, an placerent lecta in dictis schedulis paternitatibus suis. Et fuerunt vota infrascripta aliqualiter discrepantia, aliis ceteris respondentibus per verbum, Placet. Nam reuerendus dominus Iacobus episcopus Potentinus dixit, quod non fuerat vocatus nec informatus; & ea de causa remittit se ad sanctissimum dominum nostrum, a quo bona cuncta procedunt.

Cumanus & Taruisinus dixerunt, quod videbatur eis, quod esset adimenda illa clausula, Saluis, &c. & quod poneretur, Approbare, vbi dicit, Innouare.

Cauallicensi etiam non placuit illa clausula, Saluis, &c.

Melfitanus dixit, placere sibi quoad ea, quæ restituuntur ordinariis, in alio vero sine præiudicio ordinariorum & successorum suorum.

Hipporegiensi placuerunt sine approbatione priuilegiorum. Et in eodem voto fuit Bellunensis.

Terdonensi placuerunt, exceptis duobus, videlicet de conseruatoribus, quibus dari deberent assessores, & sine approbatione priuilegiorum, quia vnius inclusio est alterius exclusio.

Cæsenatensi placuerunt sine approbatione priuilegiorum.

Brumatensi placuerunt, dummodo tollatur clausula, Saluis, aut verbum, Innouare, deponatur, & ponatur, Approbare.

Vincensi, Ferentino, & Senogallensi placuerunt sine approbatione priuilegiorum fratrum.

Allegariensi placuerunt pro se, sed pro aliis, qui-

bus est procurator, dicit se nihil velle dicere. ANNO CHRISTI 1516.

Dignienſi placuerunt, ſine præiudicio eccleſiæ ſuæ.

Fuerunt inſuper data mandata prælatorum abſentium; & primo, reuerendus dominus Zutfeldus Vverdemberg dedit mandatum reuerendi patris domini Henrici epiſcopi Coronienſis. Et dominus Petrus de Candia dedit mandatum reuerendi patris domini Auguſtini epiſcopi Graſſenſis.

Reuerendus dominus Ioannes Noendommanus dedit mandatum reuerendi patris domini Theodorici epiſcopi Lubecenſis.

Reuerendus dominus Benedictus epiſcopus Chienſis dedit mandatum reuerendi domini Iacobi epiſcopi Fauentini.

Reuerendus dominus Ioannes de Treda nomine epiſcopi Caietani, ſiue de Lipari, dedit mandatum reuerendi patris domini Petri epiſcopi Lucan.

Reuerendus dominus Hieronymus epiſcopus Aſculanus dedit mandatum reuerendi domini epiſcopi Ioannis Antonii Calinenſis.

Reuerendus dominus Alexius epiſcopus Melfitanus dedit mandatum reuerendi domini Iuliani Cibo epiſcopi Agrigentini.

Reuerendus dominus Ioannes epiſcopus Algarenſis dedit mandatum reuerendi domini Guillelmi epiſcopi Tyraſonenſis.

Reuerendus dominus Petrus epiſcopus Caſtelli maris dedit mandatum reuerendi domini Franciſci epiſcopi Spoletani.

Reuerendiſſimus dominus cardinalis ſancti Georgii dedit mandatum reuerendi domini Alberti Magdeburgenſis, & Moguntini archiepiſcopi, ac marchionis Brandeburgenſis.

Reuerendus dominus Ioannes Ingenvinkel, dedit mandatum reuerendi domini Friderici epiſcopi Traiectenſis.

Reuerendus dominus Ioannes epiſcopus Vrgellenſis, dedit mandatum reuerendi domini Petri Conceptionis in inſula Hiſpan.

Reuerendus pater dominus Georgius archiepiſcopus

Anno Christi 1517. Nazarenus dedit mandatum reuerendi domini episcopi Tribunienſis & Macharienſis.

Et dominus Zutfeldus Noiodeburgenſis dedit mandatum pro reuerendo domino Ioanne episcopo Haruerbergenſi.

Et dominus Petrus de Soto dedit mandatum reuerendi domini Alphonſi archiepiſcopi Compoſtellani.

Reuerendus dominus Alexius episcopus Melfitanus præfatus excuſauit reuerendum dominum Nicolaum episcopum Bergomenſem.

Reuerendus dominus Ioannes Pels dedit mandatum reuerendi domini Medardi abbatis ſancti Adalberti in Egmonda, ordinis ſancti Benedicti Traiectenſis diœceſis.

Quibus finitis cantores inceperunt Te Deum laudamus. Quo finito, ſanctiſſimus dominus noſter, comitantibus reuerendiſſimis dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis & episcopis, & aliis prælatis & nobilibus viris, equitando rediit ad ſacrum palatium apoſtolicum in Vaticano.

PROROGATIO SESSIONIS DVODECIMÆ.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, indictione quinta, die vero vigeſima ſeptima menſis Februarii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno quarto, præfatus ſanctiſſimus dominus noſter de ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio, duodecimam ſeſſionem ex certis rationabilibus cauſis & legitimis prorogandam duxit & prorogauit, prout in ſchedula per curſores in baſilicæ principis apoſtolorum de Vrbe, & ſancti Ioannis Lateranenſis eccleſiarum valuis, ac cancellariæ & audientiæ apoſtolicæ portis affixa apparuit.

Tenor vero ſchedulæ & executionis earum ſequitur & eſt talis:

Leo epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.

Duodecimam ſeſſionem Spiritu ſancto fauente, legitime congregandam, quam alias ſexto Nonas Martii

proxime futuri faciendam in vndecima seſſione indixeramus, de venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio, vnanimique conſenſu, ex certis rationabilibus & legitimis cauſis, ad decimamſextam diem dicti menſis Martii, quæ erit decimaſexta Kalendas Aprilis, pontificatus noſtri anno quarto, prorogamus pariter & extendimus. ANNO CHRISTI 1517.

Data Romæ apud ſanctum Petrum tertio Kalendas Martii, pontificatus noſtri anno quarto.

Fiat.

Tenor executionis ſequitur & eſt talis:

Die vigeſimaſeptima Februarii anno milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, præſentes literæ fuerunt affixæ ad valuas audientiæ per me Michaelem de Billeno curſorem.

Anno, menſe, die & pontificatu ſupradictis, præſentes literæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis ſeu portis baſilicæ principis apoſtolorum de Vrbe, & ſancti Ioannis Lateranenſis, ac cancellariæ apoſtolicæ, nec non in acie campi Floræ per me Michaelem de Billeno curſorem.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, indictione quinta, die vero decimatertia menſis Martii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi, anno quarto, fuit congregatio prælatorum in ſuperiori capella palatii apoſtolici, in qua interfuerunt infraſcripti reuerendiſſimi cardinales, & reuerendi patres archiepiſcopi & epiſcopi. Et quia fuerat differentia in quadam congregatione priuata inter reuerendum patrem dominum Petrum epiſcopum Syracuſanum, Catholici Hiſpaniarum regis oratorem ex vna, & reuerendum patrem dominum Marinum patriarcham Aquileienſem ex alia, ſuper anteſedentia, hoc eſt, quis eorum in priori loco ſedere deberet, ex ordinatione reuerendiſſimorum dominorum cardinalium infraſcriptorum, in hac congregatione prælati ſederunt non ordine conſueto, ſed vnuſquiſque prout ingrediebatur capellam, ad libitum voluntatis:

Reuerendiſſimorum dominorum cardinalium nomina ſunt hæc:

Anno Christi 1517.

Cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Antonius tituli ſanctæ Praxedis.
Reuerendiſſimus dominus Petrus tituli ſancti Euſebii Ançonitan.
Reuerendiſſimus dominus Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

Patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, & oratores.

Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus.
Reuerendus pater dominus Dominicus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Bertrandus epiſcopus Adrienſis, orator ducis Ferrariæ.
Reuerendus pater dominus Petrus epiſcopus Syracuſanus, orator Catholici regis Hiſpaniarum.
Reuerendus pater dominus Stephanus Gabriel archiepiſcopus Barenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Cauallicenſis.
Reuerendus pater dominus Amadeus Auguſtenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius archiepiſcopus Senenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Militenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Octotienſis.
Reuerendus pater dominus Altobellus Polenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Budenſis.
Reuerendus pater dominus Gabriel archiepiſcopus Dyrrhachienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Salamantinus.
Reuerendus pater dominus Petrus Ceruienſis.
Reuerendus pater dominus Philippus Brumatenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Reualienſis.
Reuerendus pater dominus Maximus Iſernienſis.
Reuerendus pater dominus Georgius archiepiſcopus Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Chriſtophorus Cæſenatenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Vincienſis.
Reuerendus pater dominus Galeſius Bellunenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Dominicus Terdonenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes archiepiſcopus Traiocenſis.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Ciuitatis ducalis.
Reuerendus pater dominus Paulus Foroſempronienſis.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbienſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Lauellenſis.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Simon Andrenſis.
Reuerendus pater dominus Zacharias Sebaſtenſis.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Nebienſis.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Dignienſis.

Anno Christi 1517.

Reuerendus pater dominus Laurentius Dulcinenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Sarnenſis.
Reuerendus pater dominus Valentinus Pennenſis.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Graſſenſis.
Reuerendus pater dominus Archangelus Auellinenſis.
Reuerendus pater dominus Baltaſſar ciuitatis Caſtellanæ.
Reuerendus pater dominus Angelus Lauſanenſis.
Reuerendus pater dominus Simon Modruſienſis.
Reuerendus pater dominus Marcus archiepiſopus Monembaſienſis.
Reuerendus pater dominus Camillus Tiburtinus.
Reuerendus pater dominus Guarinus Nucerinus.
Reuerendus pater dominus Theſeus Racanatenus.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Montis viridis.
Reuerendus pater dominus Tryphon Catarenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Arbenſis.
Reuerendus pater dominus Paulus Nimoſienſis.
Reuerendus pater dominus Paris Piſaurienſis.
Reuerendus pater dominus Scaramuza Cumanus.
Reuerendus pater dominus Petrus Caſtelli maris.
Reuerendus pater dominus Petrus Acerranenſis.
Reuerendus pater dominus Baſilius Tudertinenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Caſertanus.
Reuerendus pater dominus Georgius Caſtrenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes archiepiſcopus Corinthienſis.
Reuerendus pater dominus Scabonius Imolenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Signinus.
Reuerendus pater dominus Philippus Philadelphienſis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Salutiarum.
Reuerendus pater dominus Ieremias archiepiſcopus Tranenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes archiepiſcopus Thebanus.
Reuerendus pater dominus Marcus Senogallienſis.
Reuerendus pater dominus Hippolytus Albenſis. Nec non ſancti Dominici, ſancti Auguſtini ordinum generales.

De mandato reuerendiſſimi domini Antonii tituli ſanctæ Praxedis presbyteri cardinalis, de Monte nuncupati, & aliorum cardinalium ibidem præſentium ſupra nominatorum, dominus Andreas Piperarius ſecretarius Concilii legit tres ſchedulas, vnam videlicet ſuper confirmatione & extenſione Paulinæ de rebus eccleſiæ non alienandis, aliam vero ſuper punitione inuadentium domos cardinalium, ac aliam ſuper impoſitione decimarum, ac abſolutione ſacri Lateranenſis Concilii.

Quibus perlectis petiit, an placerent contenta in dictis ſchedulis paternitatibus ſuis. Et ſuper ſchedula Paulina

ANNO CHRISTI 1517. fuerunt diuersæ opiniones, & variæ altercationes, propter quas visum fuit præfatis reuerendissimis dominis cardinalibus quod dicta schedula omitteretur, & quod Paulina remaneret in eodem statu, in quo tunc existebat.

Super schedula impositionis decimarum, & absolutionis Concilii, fuerunt opiniones infrascriptæ, videlicet:

Salamantino non placuit, quod clauderetur Concilium, imo fuit opinionis, quod de nouo vocentur prælati, ex quo non est pax generalis, vt possint secure venire. Quo ad approbationem gestorum, dixit quod approbat ea, quæ approbauerat: & quo ad decimas, quod apponatur clausula in schedula, quod exigantur postquam fuerit indictum bellum contra Turcas.

Adriensi placuit, excepto quod cupiebat, quod vbi dicit in schedula, esse relatum a cardinalibus & prælatis, nulla remanere indiscussa & inexaminata, placeret quod adderentur ista verba, Ex deductis seu propositis.

Budensi non placuit, quod approbentur omnia hactenus gesta per Concilium.

Imolensi non placuit, quod soluatur Concilium cum impositione decimarum.

Et sic post varias & diuersas discussiones fuit absoluta prædicta congregatio.

SESSIO DVODECIMA.

ANNO a natiuitate Domini 1517. indictione quinta, die vero decimasexta mensis Martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Leonis diuina prouidentia papæ decimi anno quarto, fuit celebrata duodecima & vltima sessio sacrosancti Concilii generalis in ecclesia Lateranensi in loco solito; in qua fuit præsens præfatus sanctissimus dominus noster. Et fuerunt præsentes infrascripti reuerendissimi domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, & episcopi, nec non principum oratores, & illustres domini & barones, & alii quamplurimi doctores & nobiles, videlicet:

Episcopi cardinales.

Reuerendissimus dominus Raphael Ostiensis.
Reuerendissimus dominus Bernardinus Sabinensis.
Reuerendissimus dominus Dominicus Portuensis.

Reuerendiſſimus dominus Franciſcus Albanenſis. Anno Christi 1517.

Presbyteri cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Nicolaus tituli ſanctæ Priſcæ, de Fliſco.
Reuerendiſſimus dominus Hadrianus tituli ſancti Chryſogoni.
Reuerendiſſimus dominus Leonardus tituli ſanctæ Suſannæ, Agennenſis.
Reuerendiſſimus dominus Antonius ſanctæ Praxedis.
Reuerendiſſimus dominus Petrus tituli ſancti Euſebii, Anconitanus.
Reuerendiſſimus dominus Achilles tituli ſancti Sixti.
Reuerendiſſimus dominus Bandinellus tituli S. Sabinæ, de Saulis.
Reuerendiſſimus dominus Laurentius tituli ſanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconi cardinales.

Reuerendiſſimus dominus Alexander ſancti Euſtachii, Farneſius.
Reuerendiſſimus dominus Ludouicus ſanctæ Mariæ in Coſmedin, de Aragonia.
Reuerendiſſimus dominus Marcus ſanctæ Mariæ in Via lata, de Corneliis.
Reuerendiſſimus dominus Iulius ſanctæ Mariæ de nauicula.
Reuerendiſſimus dominus Bernardus ſanctæ Mariæ in porticu.
Reuerendiſſimus dominus Innocentius ſanctorum Coſmæ & Damiani.

Patriarchæ, aſsiſtentes papæ, & oratores.

Reuerendus pater dominus Alphonſus Antiochenus.
Reuerendus pater dominus Cæſar Alexandrinus.
Reuerendus pater dominus Marinus Aquileienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Vincentius Senenſis.
Reuerendus pater dominus Latinus Rhegienſis.
Reuerendus pater dominus Gabriel Dyrrachienſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Taruiſinus.
Reuerendus pater dominus Franciſcus Salamantinenſis.
Reuerendiſſimus dominus Dominicus epiſcopus Lucerinus.
Reuerendus pater dominus Vincentius Neapolitanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Cauallicenſis.
Reuerendus pater dominus Andreas Militenſis.
Reuerendus pater dominus Amadeus Auguſtenſis gubernator.
Reuerendus pater dominus Petrus epiſcopus Cæſarauguſtenſis, orator regis Hiſpaniarum.
Reuerendus pater dominus Ioannes Reualienſis epiſcopus, orator marchionis Brandeburgenſis.
Reuerendus pater dominus Bertrandus Adrienſis epiſcopus, orator ducis Ferrariæ.

Archi-

Anno Christi 1517.

Archiepiscopi.

Reuerendus pater dominus Aldronandinus Nicosiensis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Antibarensis.
Reuerendus pater dominus Ieremias Tranensis.
Reuerendus pater dominus Clemens Colossensis.
Reuerendus pater dominus Georgius Nazarenus.
Reuerendus pater dominus Stephanus Gabriel Barensis.
Reuerendus pater dominus Andreas Spalatensis.
Reuerendus pater dominus Alexander Viennensis.
Reuerendus pater dominus Marcus Monembasiensis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Thebanus.

Episcopi.

Reuerendus pater dominus Altobellus Polensis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Budensis.
Reuerendus pater dominus Simon Ariminensis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Potentinus.
Reuerendus pater dominus Iacobus ciuitatis Ducalis.
Reuerendus pater dominus Georgius Castrensis.
Reuerendus pater dominus Iulianus Salutiarum.
Reuerendus pater dominus Vincentius Signiensis.
Reuerendus pater dominus Theseus Maceratensis.
Reuerendus pater dominus Marcus Senogallensis.
Reuerendus pater dominus Hugolinus Lycensis.
Reuerendus pater dominus Scabonius Imolensis.
Reuerendus pater dominus Laurentius Dulcinensis.
Reuerendus pater dominus Iannotius Troianus.
Reuerendus pater dominus Paulus Forosempronensis.
Reuerendus pater dominus Octauianus Viterbiensis.
Reuerendus pater dominus Bartholomæus Montis viridis.
Reuerendus pater dominus Christophorus Polignianensis.
Reuerendus pater dominus Galesius Bellunensis.
Reuerendus pater dominus Maximus Isernensis.
Reuerendus pater dominus Philippus Brugnatensis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Asculanus.
Reuerendus pater dominus Petrus Ceruiensis.
Reuerendus pater dominus Franciscus Dignensis.
Reuerendus pater dominus Augustinus Nobiensis.
Reuerendus pater dominus Petrus Paulus Esinus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptista Casertanensis.
Reuerendus pater dominus Basilius Tudertinus.
Reuerendus pater dominus Iacobus Antonius Sutrinus.
Reuerendus pater dominus Baltassar ciuitatis Castellanæ.
Reuerendus pater dominus Angelus Lausanensis.
Reuerendus pater dominus Gratianus Aletrinus.
Reuerendus pater dominus Simon Andrensis.

ANNO CHRISTI 1517.

Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Auximanus.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Sulmonenſis.
Reuerendus pater dominus Hieronymus Aretinenſis.
Reuerendus pater dominus Ludouicus Sarnenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Lauellinus.
Reuerendus pater dominus Zacharias Sebaſtenſis.
Reuerendus pater dominus Paulus Nimoſienſis.
Reuerendus pater dominus Blaſius Theleſinus.
Reuerendus pater dominus Tryphon Catarenſis.
Reuerendus pater dominus Vincentius Octotienſis.
Reuerendus pater dominus Bonifacius Hipporegienſis.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Graſſenſis.
Reuerendus pater dominus Benedictus Chienſis.
Reuerendus pater dominus Iacobus Marſicanenſis.
Reuerendus pater dominus Chriſtophorus Cæſenatenſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Vincienſis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Baptiſta Marianenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Caſtelli maris, & pro Spoletano.
Reuerendus pater dominus Marius Aquinatenſis.
Reuerendus pater dominus Tranquillus Ferentinus.
Reuerendus pater dominus Auguſtinus Peruſinenſis.
Reuerendus pater dominus Bernardus Soranus.
Reuerendus pater dominus Valentinus Pennenſis.
Reuerendus pater dominus Matthæus ſancti Leonis.
Reuerendus pater dominus Ioannes Algarenſis.
Reuerendus pater dominus Hippolytus Albenſis.
Reuerendus pater dominus Archangelus Auellinenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Acerranenſis.
Reuerendus pater dominus Petrus Ioannes Montis marini.
Reuerendus pater dominus Giſbertus Rapollanus.
Reuerendus pater dominus Thomas Saonenſis.

Abbates, & generales ordinum.

Generales ordinum Vallis vmbroſæ, Carmelitarum, ac Minorum, & ſancti Dominici.
Abbas ſancti Sebaſtiani, abbas ſancti Gregorii.

Oratores & illuſtris ſenator Vrbis.

Illuſtris dominus Albertus de Carpi, Maximiliani Romanorum imperatoris electi orator.
Magnificus dominus Ioannes Baptiſta ſenator Vrbis.
Magnificus dominus Hieronymus Vich, orator Catholici regis Hiſpaniarum.
Magnificus dominus Michael Siluius, orator regis Portugalliæ.
Magnificus dominus Marcus Minius, orator dominii Venetorum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1517. Reuerendiſſimus dominus Alexander archidiaconus Mantuanus, orator marchionis Mantuani.
Magnificus dominus Virgilius de Poetis, orator Bononienſis.

Illuſtriſſimi domini temporales.

Honoratus dux Traiecti.
Illuſtriſſimus dominus Franciottus de Vrſinis.

Celebrata Miſſa per reuerendiſſimum dominum Bernardinum epiſcopum Sabinenſem cardinalem ſanctæ Crucis, & facta oratione per reuerendum patrem dominum Maximum epiſcopum Iſernienſem, cuius tenor ex more conſueto ponetur in fine ſeſſionis præſentis; & cantato euangelio ſecundum Matthæum per reuerendiſſimum dominum Bernardum ſanctæ Mariæ in Porticu diaconum cardinalem, quod incipit, *Aſcendens Ieſus in nauiculam*, &c. cantatiſque orationibus & litaniis conſuetis, ſanctiſſimus dominus noſter incepit hymnum, Veni creator Spiritus. Quo finito, dominus Andreas ſecretarius Concilii aſcendit ambonem, & legit quaſdam literas ſereniſſimi domini Maximiliani electi imperatoris, quarum tenor talis eſt:

Beatiſſime pater, domine reuerendiſſime, nuntius beatitudinis veſtræ apud nos reddidit nobis breue ſanctitatis veſtræ in quo nobis ſignificat illuſtrem victoriam Turcarum tyranni aduerſus Sultanum Ægypti dominum; noſque toto animo hortatur, rogat, obteſtatur, vt ſanctam expeditionem aduerſus tam impium Chriſtiani nominis hoſtem ſumere velimus, & vna cum beatitudine veſtra illius furorem comprimere, & Chriſtianæ reipublicæ pariter conſulere. Idque etiam ex relatione præfati nuntii ſui intelleximus, & quo fidei amore, qua pietate optet animam ſuam pro ouibus ſibi commiſſis ponere. Quæ quidem res gratiſſima nobis, ſed & moleſtiſſima fuit. Quippe non potuimus non efflictim dolere Chriſtiano nomini inimiciſſimi tyranni tantam & tam nobilem victoriam: cui vbi ille quem optat finem impoſuerit, ac ſuam ſibi potentiam firmauerit, in quos potius aut libentius debachabitur, quam in miſeros Chriſtianos? Miſeros eos appellamus, qui cum opibus florentiſſimi ſint viribus & animi

magnitudine egregii: quorum virtuti non Asia solum cederet, sed & si alter terrarum orbis reperiretur: quasi tamen nullibi locorum diuitiæ extent nisi inter ipsos Christianos, nullibi ciuitates, sese inuicem absumunt, perfidos autem Christi hostes hac & illac victores impune vagari permittunt; quin &, si Deo placet, de semet triumphum referre sinunt. Ceterum cum animo nostro repetimus, quod nullus Deus fortis est, præter Deum nostrum, nullus porro alius, qui conuinciat gentes in fortitudine brachii sui: in eam sententiam deuenimus, vt pro certo habeamus, Turcarum victoriam Christianis salutarem fore. Voluit enim diuina maiestas per hanc cæcas Christianorum aliquorum mentes illuminare, & dormientes excitare, ac ianuam pulsare, tempus iam esse ex somno surgere. Quæ nobis cogitantibus omnis mœror ille a nobis recedit, & in lætitiam potius vertitur. Speramus enim iam prope futurum, cum externæ & infidæ gentes agnoscent Christum Dominum Deum suum: neque Turcarum tanta victoria nobis formidolosa esse debet: scimus enim quoties omnipotens Deus hostibus suis vires dederit, vt suorum scelera ac peccata vlcisceretur. Nouimus etiam, quoties voluerit fidos numinis sui cultores parua manu ingentes hostium copias fundere. *Psal. 21.* Sperauerunt in eo patres nostri, sperauerunt, & liberauit eos. Quod si tam cæcæ aliquorum mentes erunt, quæ tam certis futuri exitii nuntiis nondum resipiscant, non tamen nobis desperandum erit tali pontifice, qualem multa sæcula non tulerunt. Scimus egregias virtutes, inclytas animi dotes beatitudinis vestræ, & nunc cernimus, quo feruore, qua pietate pro commisso sibi grege insudet. Quæ quamquam nobis gratissima sunt, vnum tamen nobis summæ admirationi fuit, admirationine an potius mœrori? quod sanctitas vestra optat, vt Deus aures nostras aperiat ad audiendam aliquando veritatis vocem: quasi vero veritati aures hactenus occluserimus. Atqui ita de nobis respondemus, nos non tam profundo somno sopitos in hanc vsque horam obdormiuisse, vt hæc demum Turcarum victoria nos excitaret, sed diu ante præuidimus ea, quæ nunc ante oculos habemus, sanctissimæque memoriæ prædecessores sanctitatis vestræ qui ætate nostra vixerunt, monuimus, rogauimusque, & per

Anno Christi 1517.

ANNO CHRISTI 1517. viscera misericordiæ Dei obtestati sumus, vt Christianæ reipublicæ consulerent. Quorum aliqui nobiscum consenserunt, sed tamen semper reperti sunt, qui tam glorioſæ, & tam Deo acceptæ expeditioni inuiderent, & omni nixu nobis aduersarentur. Quod si illi iidem sanctitatis vestræ prædecessores viuerent, qui ætate nostra fuere, redderent veritatis testimonium, & nobiscum vna Christianæ reipublicæ tam lugubrem hostium victoriam ingemiscerent, & sponte sua faterentur expeditionem istam non hac tempestate magis, quam semper, necessariam fuisse. Verum Deo optimo maximo gratias agimus, quod maiestas sua nos potissimum excitare voluit, beatitudine vestra eius vicem gerente, & gregem ouium suarum egregie tutante. Quæ si cœptum iter peregerit, duce virtute sua, nullum discrimen, nulla calamitas Christianæ reipublicæ subeunda, aut pertimescenda est. Nosque, quoad vita supererit, nunquam deseremus tam glorioſam prouinciam, tam necessariam, tam ipsi Deo acceptam: sed opes, vires, sanguinem nostrum etiam ad certum exitium pro Christi fide conferemus. Non laboret in nobis itaque sanctitas vestra, qui a teneris annis, cum adhuc quid esset bella gerere per ætatem nescirem, cum tamen audiremus esse Turcas, qui Christi religionem negligerent, odissent, persequerentur, eos potissimum cum primum licuisset, radicitus euertere optabamus. Non laboret in nobis, qui vbi adoleuimus, & militarem artem didicimus, non eam scire voluimus ad Christianorum ciuitates occupandas, sed potius ad eas vindicandas e manibus tyrannorum: non ad fines adimendos, sed tuendos: non ad eorum dedecus, sed laudem: non ad perniciem denique, sed ad custodiam: huiusque rei testes erunt cuncta bella quæ gessimus semper inuiti, semper lacessiti, semper coacti. Et nunc cum videremus beatitudinem vestram tot persuasionibus nos ad pacem & concordiam cohortari, & ita velle, pro bono Christianitatis flecti nos permisimus, & conditiones quascumque suscepimus, ne mora vlla in nobis esset, ne per nos defuisse videretur, quin labanti fidei Christianæ opitularemur: neve vnquam vox iusti coram Deo super nos clamaret. Neque vero nos cohortetur sanctitas ve-

ANNO CHRISTI 1517.

ſtra, qui poſtquam imperii ſceptrum ſuſcepimus, ipſi nunquam deſtitimus, cum quocumque pontifice agere, vt ſanctam hanc expeditionem ſuſciperet. Scimus enim eam & neceſſariam, & vtilem & glorioſam fore. Excitet modo ſe beatitudo veſtra, & Chriſti vexillum erigat, & cum reuerendiſſimis illis patribus iter feliciſſime aduerſus hoſtes arripiat: nos comitabimur eam, & opes ac vires noſtras omnes conferemus. Neque ætas noſtra, quæ iam celeri gradu ad ſenectutem feſtinat, nos tantillum morabitur: quin ſi mors illa pro Chriſti nomine optatiſſima obtigerit, reuiuiſcere nos ad æternam gloriam ſperamus. Sed quid de nobis dicimus? Nemo tam impudens erit, aut tam Chriſtiano nomini inimicus, qui ſi viderit Dei vicarium cum reuerendiſſimis cardinalibus bellum in Turcas mouentem, ac * met in expeditionem euntem, non omni renuntiata * merce, etiam ad certam mortem conuolet. Imbecillis nimirum ſexus, & infirma ætas beatitudinem veſtram ſequetur. Quare nos itidem rogamus ſanctitatem veſtram, imploramus, obteſtamur, vt prouideat, ne quid detrimenti Chriſtiana reſpublica capiat. Confirmet opinionem, quam omnes de ea conceperunt, ſuccurrat nutanti reipublicæ Chriſtianæ, liberet e faucibus ſæuiſſimorum luporum oues ſibi commiſſas; neque expectet, quod Chriſtiani principes congregentur, quippe longum illud eſſet, & fortaſſe periculoſum, ſed ſanctitas veſtra, gladio Domini ſuper femur potentiſſimum cincta, iter auſpicatiſſimum ingrediatur. Quæ quanto magis ab aliis principibus derelicta erit, tanto erit glorioſior, tantoque magis immenſa Chriſtianorum multitudo confluet, Deo victimas gratas offerri optantium. Nos vero qui, aut vbi ſanctitatem veſtram deſeremus, qui vltro cupimus hanc fragilem & corruptibilem coronam, quam gerimus, cum illa precioſiſſima & æterna martyrii corona permutare? Neque vero ſubuereatur beatitudo veſtra Turcarum potentiam; non tot apparatibus, non tanta bellatorum copia indigemus. Ipſe namque Deus eſt pro quo certaturi ſumus. Ipſe docebit manus noſtras ad prælium, & ponet vt arcum æreum brachia noſtra, ipſe dabit nobis protectionem ſalutis ſuæ, & dextera eius ſuſcipiet nos. Quod ſi hæc tam

* Ipſummet merce de,

Anno Christi 1517. sancta deliberatio in auras euanescat, prout aliæ hactenus fecerunt, neque aliqua expeditio fiat, tunc summum illum rerum opificem obtestamur, per nos non defuisse, quin vita & sanguine nostro Christianæ reipublicæ consuleremus: videbuntque gentes, & ipse, cui nihil ignotum est, Deus, nos nulla alia pro re magis vnquam elaborasse. Per quem vero deerit, is sciat se rationem ante tribunal Dei redditurum. Cetera intelliget sanctitas vestra ab oratore nostro, cui latius scribimus.

Datum in opido nostro Mechliniæ, die vltima mensis Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo decimoseptimo: regnorum nostrorum, Romani trigesimosecundo, Hungariæ vero vigesimoseptimo.

Maximilianus diuina fauente clementia Romanorum imperator, semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, *&c.* rex, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, *&c.* comes palatinus, *&c.*

Maximilianus.

Ad mandatum Cæsareæ maiestatis proprium.

Ia. de Banniſſis.

A tergo.

Sanctissimo in Christo patri & domino domino Leoni decimo diuina prouidentia sacrosanctæ Romanæ ac vniuersalis ecclesiæ summo pontifici, domino nostro reuerendissimo.

Quo finito, reuerendus pater dominus Andreas episcopus Militensis ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam contra inuadentes domos cardinalium. Qua perlecta, petiit an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et reuerendo domino Francisco episcopo Albanensi non placuit narratiua, in quantum narrabantur casus particulares. Reuerendissimo domino Antonio cardinali sanctæ Praxedis placuit, quoad extensiones Canonum Bonifacii, & aliorum Romanorum pontificum, disponentes contra contemnentes reuerendissimos dominos cardinales, & in eorum res & bona manus violentas imponentes; alia vero non placuerunt. Et in eodem voto fuerunt Petrus tituli sancti Eusebii, & Ha-

drianus tituli sancti Chrysogoni, & Leonardus sancti Petri Ad vincula. Reuerendo patri domino Amedeo episcopo Augustensi placuit, dummodo extendatur ad prælatos existentes in ecclesiis eorum, qui patiuntur multas insidias. Et in eadem opinione fuerunt Barensis, Spalatensis, Viennensis, ac Monembasiensis archiepiscopi, nec non Ariminensis, Potentinus & Polensis episcopi. Et propter vota reuerendissimorum dominorum cardinalium supradictorum, schedula fuit aptata in hunc qui sequitur modum: ANNO CHRISTI 1517.

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Temerariorum quorumdam, qui sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales præcipuas catholicæ ecclesiæ columnas, qua conuenit reuerentia obseruare contemnunt, & in eorum res & bona manus violentas ausu sacrilego iniicere non verentur, effrenata libido nos admonet & inducit, vt ad eorum audaciam, antequam longius prorepat, comprimendam, ea quæ a prædecessoribus nostris in dictorum cardinalium dignitatis conseruationem prouida sunt consideratione statuta, pro illorum obseruantia firmiori nostræ innouationis munimine roboremus, extendamus & ampliemus, prout temporum qualitas exigit, & tam eminenti in ecclesia Dei dignitati conspicimus in Domino solenniter expedire. Sane ab aliquibus citra temporibus damnabilis quidam in Vrbe inoleuit abusus & licentia delinquendi, quo, dum apostolica sede vacante, per cardinales in conclaui existentes de futuri Romani pontificis electione tractatur, si qua de vno ex eisdem cardinalibus quod in pontificem sit electus, vox prodeat, etiam non vera, illius domum vulgus armis aggreditur, & super ea diripienda, cum ipsius cardinalis conclaue nondum eggressi familiaribus eam custodientibus, vi contendit: & si etiam effractis foribus, aut pariete effosso, aditus pateat, in prædam omnium bonorum, quæ ibi extant, hostiliter corruit, nisi armatorum præsidio defendatur. Nonnullique quandoque reperiuntur ita temerarii & audaces, vt aliis etiam temporibus prætextu rixarum, domos cardinalium hostiliter & cum armis aggredi

Anno Christi 1517. gredi non vereantur: in eaque morantes offendere & vulnerare, ex quibus cardinalium honori, quibus ſacroſancta militans eccleſia, tamquam purpureo tota decoratur amictu, non parum detrahitur, & eorum generatur contemptus, & homicidiorum & aliorum ſcandalorum occaſio exhibetur. Nos igitur huiuſmodi temerarios conatus debita volentes animaduerſione reprimere, ſacro approbante Concilio, felicis recordationis Honorii tertii & Bonifacii octaui Romanorum pontificum prædeceſſorum noſtrorum, contra aliquem dictæ eccleſiæ cardinalem hoſtiliter inſequentes, & illis præſentia, conſilio, aut fauore aſſiſtentes, eoſve ſcienter receptantes aut defendentes, & eorum domos & ædes, vt ſupra, inuadentes, & eorum poſteros, bona, editas conſtitutiones, auctoritate apoſtolica tenore præſentium innouamus, decernentes eas vbique debere perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari. Et nihilo minus conſtitutiones eaſdem cum omnibus & ſingulis in eis contentis cenſuris & pœnis, ad omnes & ſingulas perſonas cuiuſcumque ſtatus, conditionis & excellentiæ exiſtentes, qui alicuius dictorum cardinalium domum, tam tempore dicti conclauis, etiamſi in Romanum tunc pontificem ſit electus, quam alias quandocumque & ex quacumque cauſa armata manu inuadentes, & in ea violenter aut hoſtiliter aliquid diripientes, aut quemquam ex inibi exiſtentibus vulnerantes, & eorum ſocios & qui id fieri mandauerint, vel factum eius nomine ratum habuerint, ac ipſis inuaſoribus conſilium in præmiſſis vel fauorem præſtiterint & defenderint, extendimus & ampliamus; non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus apoſtolicis ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innouationis, decreti, extenſionis & ampliationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Data Romæ in publica ſeſſione, in Lateranenſi ſacroſancta baſilica ſolenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo decimoſeptimo, de-

cimoseptimo Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno quarto. Anno Christi 1517.

Deinde reuerendus pater dominus Marinus patriarcha Aquileiensis ascendit ambonem, & legit schedulam impositionis decimarum & absolutionis Concilii: cuius tenor talis est:

Leo episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, sacro approbante Concilio.

Constituti iuxta verbum prophetæ, meritis licet imparibus, super gentes & regna, officii nostri debitum decenter exequimur, cum vniuersi status ecclesiastici, ac vniuersalis ecclesiæ, eorumque negotiorum reformationem per nos vtiliter factam innouamus, & pro illius inuiolabili obseruatione opportuna remedia adhibere, & ecclesiis cathedralibus ac etiam metropolitanis, ne diutius suis pastoribus careant, prouidere cogitamus, ac ad illa curis assiduis vigilamus, & operibus intendimus indefessis, per quæ dominicum gregem curæ nostræ commissum, in conspectu diuinæ maiestatis acceptum & obsequentem reddere valeamus; Turcas vero & infideles alios, tam in orientalibus, quam in meridionalibus partibus consistentes, qui veri luminis veræque salutis iter pertinacissima mentium caligine contemnentes, viuificæ cruci, in qua Saluator noster mortem vltro suscipere voluit, vt mortem nostram moriendo destrueret, ac vitam sacratissimæ vitæ suæ ineffabili mysterio repararet, insidiantes & hostes Deo odibiles, ac Christianæ religionis persecutores acerrimos sese reddunt, reprimere, ac infestissimis crebrisque eorum insultibus, quibus in Christianum sanguinem crudeliter debacchantur, non solum spiritualibus, verum etiam temporalibus muniti præsidiis, possimus auctore & fautore Domino contraire. Sane cum felicis recordationis Iulius papa secundus prædecessor noster, sacrum generale Lateranense Concilium, de venerabilium fratrum suorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, de quorum numero tunc eramus, consilio & assensu, laudabiliter, legitime, & ex rationabilibus causis, Spiritu sancto cooperante, conuocasset, & in eo quinque sessiones tenuisset, ac sextam sessionem indixis-

ANNO CHRISTI 1517. set : nos , quibus etiam in minoribus constitutis insitum cordi desiderium semper fuerat, generale Concilium, vtpote agri dominici culturam præcipuam , celebrari videndi, dicto Iulio prædecessore humanis rebus exempto, diuina fauente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti, honesto, vtilique desiderio nostro debitum, ex iuncto nobis curæ pastoralis officio, accessisse conspicientes, rem hanc ardentiori voto, & tota animi alacritate susceptimus, ac in dicta sessione illius prorogationem, extunc expressis, & aliis causis nostrum & dictorum fratrum animum mouentibus, de eorumdem fratrum consilio & assensu, ad certum tunc expressum tempus per nos factæ, approbante eodem sacro Lateranensi Concilio, approbauimus, & Concilium ipsum vsque ad perfectionem causarum, propter quas indictum extiterat, & præsertim inter principes & potentatus Christianos bellis atrocibus pacatis, hostilibusque armis depositis, vniuersalis & firma pax componi valeret, pro qua tamquam pro saluberrimo bono , intactum nihil relinquendo, conatus omnes nostros adhibere intendebamus, prosequi & fine debito terminare velle : nostrique incommutabilis animi, & intentionis fore & esse declarauimus, vt his, quæ ad Dei laudem ecclesiæque præfatæ exaltationem , & Christi fidelium concordiam pertinent, absolutis, sancta & perneccssaria expeditio contra catholicæ fidei hostes fieri, feliciterque de illis, Altissimo fauente, triumphari posset : & vt ad tam perutile Concilium accedere debentes, ab accessu huiusmodi nullatenus retraherentur, nullamque omnino causam prætendere possent, omnibus & singulis ad celebrationem Concilii per Iulium prædecessorem conuocatis, & ad dictum Concilium Lateranense venientibus, ipsorumque venientium seruitoribus ad Concilium Lateranense, ad Vrbem huiusmodi veniendi, & in ea libere commorandi saluumconductum, dicto sacro Lateranensi approbante Concilio, dedimus & concessimus, ac reges & principes hortati sumus, vt pro sedis apostolicæ reuerentia venientes huiusmodi non molestarent , sed eos libere venire permitterent: ac septimam sessionem indiximus, in qua cum nihil magis affectaremus , quam vt causæ vtiles & necessariæ, propter quas dictum Concilium Lateranen-

se indictum fuerat, vt desiderii nostri erat, ad finem debitum perducerentur, tres cardinalium aliorumque prælatorum, qui causas huiusmodi & alias conciliares materias audirent & discuterent, auditaque & discussa in eodem Concilio referrent, particulares deputationes fecimus, atque mandauimus: quarum quidem deputationum vna pacis vniuersalis componendæ inter reges ac principes Christianos, quæ vna ex principalioribus congregationis Concilii præfati causa fuerat, & schismatis extirpationis. Altera, generalis reformationis, etiam curiæ: reliqua vero, discussionis & abrogationis pragmaticæ sanctionis, & rerum orthodoxam fidem concernentium, peculiarem curam haberent. Et cum vnaquæque deputatio, quamplura vtilia & necessaria diligenter examinauerint, & accurate nobis retulerint, ac per eos discussa & examinata in aliis quinque sessionibus successiue per nos tentis, sacro approbante Concilio, per nos, fauente Domino, absoluta & terminata fuerint, procul dubio cognoscimus, Deum ipsum bonorum datorem piis nostris, & non nisi ad commune bonum tendentibus desideriis, pro sua immensa pietate & misericordia plurimum fauisse, ac nobis, vt quæ mente nostra gessimus, & circa quæ plurimum laborauimus, videlicet vt Concilium ipsum causis, propter quas indictū fuerat, iuxta votum terminatis, feliciter claudi & absolui posset, concessisse. Carissimus namque in Christo filius noster Maximilianus in imperatorem electus, Iulii prædecessoris præfati, nostro vero tempore claræ memoriæ Ludouicus Francorum rex, & ceteri reges & principes Christiani summo cum omnium gaudio, Lateranensi Concilio in Spiritu sancto legitime congregato adhæserunt, ac Pisanum Conciliabulum per quosdam nullam potestatem habentes indictum, & per eumdem Iulium prædecessorem damnatum, iuxta ipsius Iulii prædecessoris sententiam pro damnato habuerunt, & schisma ex his pullulare cœptum (quod semper dum viguit, quamplurimas calamitates prælatis, & aliis Christi fidelibus ex diuersis schismatum temporibus, & aliis generalibus Conciliis hactenus celebratis attulisse constat) extinctum, ac vniuersalis ecclesiæ pax, & vnio secuta extitit: nec non tam ecclesiasticarum quam sæcularium, & aliarum personarum mores,

Anno Christi 1517.

Anno Christi 1517. quantum expedire visum fuit reformati, & nonnullæ causæ, orthodoxam fidem concernentes, terminatæ: ac nonnullæ aliæ materiæ, in dictis tribus deputationibus cardinalium & prælatorum diligenter examinatæ & discussæ, in dicto Concilio solerti cura expeditæ & terminatæ fuerunt, nobisque per cardinales & prælatos deputationum huiusmodi pluries relatum fuit, nulla negotia eis discutienda, examinandaque remansisse, & a pluribus mensibus citra, nulla prorsus de nouo a quoquam ad eos prolata fuisse: episcoposque in partem solicitudinis ad curam gregis dominici nobiscum perferendam vocatos, ac alios prælatos in dicta Vrbe præter sacrorum Conciliorum consuetudinem, cum eorum & ecclesiarum suarum incommodo ac damno, diutius permansisse. Itaque ex præmissis omnibus, quæ per nos & dictas deputationes in ipso Concilio expediri desiderabantur, sola regum & principum pax, & animorum concordia restare videbatur: pro qua qualis mens nostra semper fuerit, quantumve omni studio nostro circa illam componendam laborauerimus, cunctis literas a nobis emanatas legentibus apertissime constare potest: nouitque Deus ipse, qui summa est omnium rerum lux & veritas, quot precibus, quamve assiduis orationibus ab eo petere, & implorare nunquam destiterimus, vt Christianum gregem, cuius custodiam nobis, licet immeritis, commisit, mutuo caritatis feruore accensum, ad firmam ac perpetuam pacem ineundam pro sua clementia inducere dignaretur. Et nihilo minus tam nuntiis nostris, quos apud Maximilianum imperatorem electum ac eosdem reges & principes habemus, quam literis, eos multis & efficacissimis rationibus, præsertim si religioni Christianæ & catholicæ fidei in graue periculum ac discrimen propter tyranni Turcarum potentiam nuper dilatatam, & auctam deductæ, vt par est consulere & prouidere vellent, in Domino, cuius causa præcipue agitur, hortati fuimus, ac ex eorumdem nuntiorum, regumque & principum ipsorum literis percepimus, exhortationes nostras tantæ apud eosdem reges & principes auctoritatis & efficaciæ fuisse, illorumque corda & animos adeo flexisse, & commouisse, vt fere inter omnes pax tamdiu a nobis pro reipublicæ Christianæ vniuersali bono desiderata, animo

concluſa fuerit, & ſi quid ſupereſt, prope diem componendum (ipſo Deo fauente) ſperetur: quod mente animoque noſtro ſubinde nobis reuoluentibus, exultat cor noſtrum in Domino noſtro Ieſu Chriſto, ipſique ſuper hoc gratias agimus omnium gratiarum largitori, quod ipſos ad optatam nobis concordiam induxerit: ac per omnes Chriſti fideles ea ſigna lætitiæ, quæ in ſimilibus fieri conſueuerunt, & gratias Deo agendas, ipſumque Deum, vt pax concluſa perduret, rogandum eſſe cenſemus. Solum itaque ſupereſt, vt ſancta ac perneceſſaria contra infidelium rabiem, Chriſtianum ſanguinem ſitientium, expeditio capiatur: nec non omnia & ſingula, quæ in vndecim ſeſſionibus partim per nos, partim per Iulium prædeceſſorem huiuſmodi, hactenus tentis, geſta & facta, potiori pro cautela, approbentur & innouentur, ac inuiolabiliter obſeruari mandentur. Habita igitur ſuper his cum fratribus noſtris & aliis prælatis matura deliberatione, ſacro approbante Concilio, omnia & ſingula in dictis vndecim ſeſſionibus geſta & facta, ac literas deſuper editas, cum omnibus in eis contentis clauſulis, exceptis quibuſdam quæ certis perſonis pro vniuerſalis eccleſiæ pace & vnione duximus concedenda, nec non executorum in illis deputatione apoſtolica auctoritate approbamus & innouamus, illaque perpetuis futuris temporibus inuiolabiliter obſeruari debere decernimus atque mandamus, & illorum executores ad illa & in eis contenta obſeruari faciendum, in Romana curia gubernatorem almæ Vrbis noſtræ, & vicarium noſtrum pro tempore exiſtentes, ac cameræ apoſtolicæ generalem auditorem, qui perſonas ſibi reſpectiue ſubiectas ad id cogere & compellere valeant: extra vero eam, omnes & ſingulos locorum ordinarios deputamus, inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ne in præſenti Concilio geſta & facta ſine noſtra & dictæ ſedis licentia ſpeciali gloſſare aut interpretari præſumant: Ac fidei vrgente nos zelo, dictam contra infideles expeditionem, per nos & dictum Iulium prædeceſſorem, dictis cauſis conciliaribus expeditis, toties in dictis ſeſſionibus propoſitam & promiſſam, & cum oratoribus regum & principum apud nos exiſtentibus pluries communicatam & diſcuſſam, piæ memoriæ

Anno Christi 1517.

Anno Christi 1517. Nicolaum papam V. etiam prædeceſſorem noſtrum qui poſt Conſtantinopolitanæ vrbis calamitoſum excidium, ad vindicandas Chriſti iniurias & infidelium furorem reprimendum, generalem contra eos expeditionem indixit, & quem ſolerti ſtudio felicis memoriæ Calixtus tertius, ac Pius ſecundus Romani pontifices etiam prædeceſſores noſtri imitati fuerunt, imitantes ad triennium proxime futurum cum facultate per nos, vna cum eiſdem fratribus noſtris, decimas fructuum ex eccleſiis & monaſteriis, ac aliis beneficiis in vniuerſo orbe conſiſtentibus, imponendi & exigendi, ac omnia & ſingula alia, quæ ad huiuſmodi expeditionem neceſſaria ſunt, & quæ in ſimilibus expeditionibus fieri conſueuerunt, faciendi, ſacro approbante Concilio, ſumendam, faciendam, & proſequendam decernimus. Et vt felicem ſortiatur effectum, pias, humiles, ac deuotas ad omnipotentem Deum preces iugiter fundimus, idemque omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus faciendum mandamus, eoſdem Maximilianum in imperatorem electum, ac reges, principes, & potentatus Chriſtianos, quorum virtutem Deus excitare nos iubet, hortantes, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri Ieſu Chriſti obſecrantes, perque tremendum eius iudicium obteſtantes, vt ipſi memores ſe de ipſa eccleſia Chriſti ſanguine redempta, & per eos etiam propriæ vitæ non parcendo, tuenda & conſeruanda rationem reddituros eſſe omnibus inuicem poſthabitis odiis, mutuiſque diſſenſionibus ac ſimultatibus obliuioni perpetuæ demandatis, ad defenſionem Chriſtianæ fidei, ſicut proprio & neceſſario eorum incumbit officio, fortiter & potenter exurgant: & in tantæ neceſſitatis articulo, prout eorum fuerint facultates, prompta auxilia præbere ſtudeant, eoſdem nihilo minus paterno affectu monentes, ac requirentes, vt pro ſummi Dei & apoſtolicæ ſedis reuerentia pacem per eos initam, ſaltem dicta expeditione durante, inuiolabiliter obſeruare procurent, ne tantum bonum, quod dextera Domini aſſiſtente ſecuturum ſperamus & optamus, aliqua interueniente diſcordia, & diſſenſione, valeat impediri. Et ne prælati ac alii ad præſens Concilium, quod fere quinquennium durauit, laboribus & expenſis vlterius fatigentur, & vt eorum eccleſias viſitare, &

consolari possint, ac aliis certis rationabilibus & iustis causis præsens Concilium absoluimus, & cum benedictione Domini dimittimus, omnibusque & singulis in eo existentibus ad propria remeandi, sacro eodem approbante Concilio, licentiam concedimus. Et vt ad propria, aliquibus spiritualibus muneribus refecti, cumulatiori gaudio remeare possint, illis eorumque familiaribus plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam semel in vita, & in mortis articulo elargimur. ANNO CHRISTI 1517.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, constitutionis, mandati, deputationis, inhibitionis, decreti, monitionis, requisitionis, absolutionis, dimissionis, concessionis, & elargitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Data Romæ in publica sessione, in Lateranensi sacrosancta basilica solenniter celebrata, anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo decimoseptimo XVII. Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno quarto.

Qua perlecta, petiit, an placerent paternitatibus suis contenta in schedula. Et omnibus placuerunt, exceptis infrascriptis, qui dederunt vota, prout infra.

Adrienſi placent omnia, excepto quod in confirmatione gestorum per Concilium, placeret sibi, quod ad illa verba, Omnia negotia; addantur ista verba, Ex propositis; ita quod sensus sit, Quod omnia negotia ex propositis fuerunt expedita.

Tranenſi non placuit clausura Concilii.

Dyrrhachienſi quo ad decimas placet, quando erit incepta expeditio contra Turcas.

Salamantino placet quo ad decimas, quando erit incepta expeditio: sed quo ad dissolutionem Concilii, non placuit.

Taruisino placet, quod confirmentur ea, quæ sibi placuerunt in aliis: & quo ad decimas, quando erit incepta expeditio.

Grassenſi, Chienſi, Montis viridis, Montis marini placent,

Anno Christi 1517. cent, quo ad decimas, quando erit incepta expeditio.

Imolenſi non placuit de decimis ſimpliciter.

Ceruienſi, Lycienſi, Ferentinenſi, Peruſino, Sorano, Maceratenſi, & Nibienſi placent, quo ad decimas, prout Dyrrhachienſi & aliis, quando erit incepta expeditio.

Algarenſi placet, quo ad decimas quod obſeruetur conſuetudo antiqua, quando fuit facta expeditio.

Generali prædicatorum placet diſſolutio Concilii, in reliquis dixit ſe paratum obedire.

Et ſic collectis votis per ſcrutatores, & facta relatione ſanctiſſimo domino noſtro, venerabilis vir dominus Marius de Peruſchis, procurator ſacri Concilii, petiit inſtrumentum & inſtrumenta omnium geſtorum.

Demum reuerendiſſimus in Chriſto pater dominus dominus Alexander ſancti Euſtachii, ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus cardinalis, alta & intelligibili voce cantauit: Domini, ite in pace; & cantores capellæ domini noſtri in eodem tono reſponderunt, Deo gratias. Et conſequenter inceperunt canticum, Te Deum laudamus. Quo finito, ſanctiſſimus dominus noſter equitauit, comitantibus reuerendiſſimis dominis cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, & quampluribus aliis illuſtribus dominis; & rediit ad palatium apoſtolicum.

Maximi Coruini epiſcopi Iſernienſis oratio in duodecima ſeſſione ſacroſancti Lateranenſis Concilii dicta decimoſeptimo Kalendas Aprilis, anno Domini 1517. *ſedente Leone X. pontifice maximo anno* v.

Cum ab incunte ætate, ſanctiſſime pater, ſacri principes atque pontifices, ſtatuiſſem, eos qui ob rem apoſtolicam, laborem otio, communem vtilitatem priuatæ gratiæ, præclaram mortem caducæ vitæ non anteferrent, male de fide catholica ſentire, & ab hinc ferme triginta annis in omni meæ vitæ ratione, pro huius imperii fide, dignitate & auctoritate, omne meum tempus, ſtudium, laborem, atque induſtriam, etiam aduerſus hoſtes & inimicos, caſte & integre impendiſſem: nihilo ſecius, ex quo huius ſanctæ ſedis beneficio in hoc ſacrum collegium pontificum cooptatus ſum, non obſcura res eſt, quot labores, pericula, diſcrimina, iacturas, carceres, calamitates, do-

mi foriſque difficillimis huius ſacri imperii temporibus, eius iuſſu ſubierim. Ex quibus optimo cuique ſatis datur cernere, quanto cum mei capitis periculo, hanc ſanctam ſedem iuuauerim, quanta cum innocentia inſimulantium inuidiam & ementientium calumniam peruicerim, & quanto meo cum labore viuat mecum ſimul exemplum tum priuatæ tum publicæ fidei. Nunc quoniam hanc prouinciam in hoc ſacroſancto Lateranenſi Concilio mihi decreuiſtis, facile intellexi, neque meorum laborum memoriam apud vos abolendam eſſe, neque veſtram erga me gratiam. Quare vt meo priſtino more, & veſtro obtemperare iudicio, & huic quoque prouinciæ fructum afferre videar, ab ipſa Laodicenſis Concilii ſententia, quæ pontificem quemque in omni Concilio de omni re atque vtilitate totius catholicæ eccleſiæ dicere voluit oportere, breui & compendioſa dicendi ratione non diſcedam. Itaque cum in eo genere omnes ingenii vires aut periclitandæ, aut tamquam chordæ intendendæ ſint, & veſtræ aures ita caſtæ & religioſæ haberentur, vt ſi quis ſe illis accommodare velit, non ſolum eleganter, verum etiam Attice dicat oportet, omnem meæ orationis aditum, ſicuti in ſacris fieri conſueuit, diuino numini conſecrare inſtitui. Quapropter te Deum ſolum regem, te ſolum Dominum, qui in vna ſubſtantia trium perſonarum, per ſimplicem, ſummam, fontalem & perfectam vnitatem, vnus ſupra omne Concilium, & in omni Concilio, tam præſens, quam verus exiſtis, quem propter beneficia Chriſtianæ reipublicæ, optimum, propter vim atque potentiam, maximum nominamus, & qui meæ fidei laborumque meorum teſtis, ingenii atque conſilii adiutor, & orationis ac dictionis auctor ſemper exiſtis, precor & quæſo, vt ex tui diuini eloquii fonte, hodierna die mihi caſta & religioſa contingat oratio. Verum (quod vitio dari ſolet) ne meæ orationis membra, ab ipſo deprecationis capite abhorrere videantur, dicam breuiter, quam res tanta dici poteſt, de origine & maieſtate Concilii, dicam de myſterio & beneficio, poſtremo dicam de doctrina atque virtute. In quibus oſtendam potiſſimum, quantum pontifices & ſacerdotes eccleſiæ, & quantum pontificibus, & ſacerdotibus debeat Chriſtiana reſpublica.

ANNO CHRISTI 1517.

Anno Christi 1517. Concilii originem, ſicuti ego accepi, a Deo optimo maximo initium & formam ſumpſiſſe ſatis conſtat. Nam cum in principio cælum & terram creaſſet, cælum ipſum in tres principatus (quos hierarchias vocant) inſtituit, ac quemlibet principatum in totidem angelorum choros diſtinxit. Quos cum ipſe princeps & parens Deus, vnitas prima, lux pura, diuina, & infinita creaſſet, eos deiformes ſpiritus, mentes intellectus & intelligentiæ capaces, & quaſi oculos eſſe voluit, qui ad Deum ipſum conuerſi, & ab eo diuinitus exciti, lucem, eſſentiam, vitam, & omnem perfectionem acciperent, & rurſus ita diuini & ſancti ignis imaginem præ ſe ferrent, vt primus principatus (qui in cælo empyreo ſub Trinitatis ſede exiſtit) ſola luce diuinæ vnitatis, nullis interiectis ſpiritibus, ſecundus in cryſtallino eodem fulgore, per primum tranſmiſſo, extimus vero in ſapphireo orbe, quem firmamentum vocant, radiis diuinæ maieſtatis, ex transfuſione ſecundi, qui ſecundus loco ſupremi lumine conſperſus illuſtraretur, & illuſtraret, purgaretur, & purgaret, perficeretur, & perficeret. Hic eſt fons diuinæ lucis, hæc origo atque maieſtas Concilii. Cuius quidem Concilii cum ſedem tum regnum Lucifer (qui vt alii, primæ: vt alii, ſecundæ hierarchiæ principatum gerebat) ilicet affectaret, cælum Trinitatis ſuperbia inuadere voluit. Vnde ingenti cum exercitu, qui fuit ex omni choro angelorum, ſubito tamquam fulgur in terram excuſſus, in monſtrum deformatus, & in barathrum detruſus fuit. Cuius occaſu, diuini Concilii regnum illuſtratum, purgatum, & perfectum eſt. Sed neque ab re dictum fuiſſe velim, Luciferum fulguris in morem cecidiſſe. Nam quid aliud ſuperbia eſt, niſi fulgur, cuius furor quanto magis ardere videtur incurſu, tanto magis ſubito occaſu extinguitur? Diuino igitur Concilio in hunc modum illuſtrato, ſtatuit Deus, magno quoque myſterio & beneficio terram, hoc eſt humanum genus, quod terra dicitur, illuſtrare, quæ primum veneno cadentium ſpirituum, mox primi parentis noxa, quando ſi angelus non cecidiſſet, & homo non peccaſſet, corrupta fuerat. Verum cum omnis cælorum virtus vehiculo lucis ad terram transferatur, angelorum miniſterio (qui in extimo ſunt orbe, & quibus ſacra myſteria, ceremoniæ, regna, vrbes, morta-

les curæ sunt) factum est, vt diuini Concilii mysterium & beneficium in terram transueherentur, quibus possent animæ corporibus clausæ, diuini spiritus lumine, vi & gratia per immortalis virtutis participationem, quam cum angelis habere videntur, in cælum trahi, quando, qui trahuntur spiritu, ii filii Dei sunt, non autem Luciferi exemplo, qui non extolli, sicuti ceteri angelorum chori, qui radiis diuinæ gratiæ illustrantur, sed ascendere voluit: demens, & ipsa quoque superbia dementior, cui tam præclarum munus a Deo collatum fuisset, si in fide permansisset. Igitur Deus viuo oraculo elegit sibi pontifices, & sacerdotes, Mosen & Aaron, qui inter deserta loca montis Oreb, gregem pascebant, quorum monitis, signis & legibus ab Ægyptiorum tyrannide liberati sunt populi, promissam in terram ducti; cælesti rore nutriti, submersi tyranni, debellati hostes, deiecta idolorum simulacra, deuorati ab ipsis terræ faucibus schismatis auctores, formati mortalium mores, auctus pontificum & sacerdotum numerus, constituti duces, principatus, conuentus, collegia, ordines, instituta sacra altaria, sacrificia, denique præpotenti Deo tabernaculum, quod esset vnum in populo, & vnum in quolibet mortalium, conditum est. Sed ne singulis in figuris meæ narrationis immorari videar, tacebo ipsius montis loca circum adiacentia, siccitatem omnium doctrinarum, in quibus greges Domini frustra pascebantur, significare. Tacebo Mosen & Aaron a Deo optimo maximo pontificalis, & sacerdotalis ordinis sumpsisse originem, cuius ordinis doctrina & beneficio, Spiritu sancto auctore, a seruitute vitiorum liberati populi, & viam rectam ingressi, ad promissum salutis regnum perducerentur. Tacebo etiam sublata idolorum simulacra, diuersorum tyrannorum prauos animos, malis artibus imbutos, & variarum disciplinarum prodigia, & vanitates ostendere, quæ cum mortalium vitam & ingenia captiuare assuescerent, euangelicæ veritatis eloquio abolerentur. Aggrediar tamen, non transuersis locis aut translationibus, vt plerique faciunt hallucinatores, sed veris sententiis ab ipso Mosis, & Esdræ secretioris doctrinæ sensu depromptis tabernaculi diuinum & necessarium opus. Cuius quidem si quæris ædificium, totum spiritus, totum ecclesia, totum

Anno Christi 1517.

Anno Christi 1517. cælum & Christus est. Nam primo, quid sibi volunt loca illa in eo sancta, nisi vt pacem & sanctitatem sequamur, si Deum ipsum videre, si placidum & fautorem habere volumus. Quid columnæ argenteæ, nisi pontifices & sacerdotes, qui patientia, fide, iustitia, pietate, continentia, doctrina & mentis candore, stabiles, firmi, nitidi & præfulgentes sint, vt ipsi quoque Dei tabernaculum fieri possint, quo sancto impleri Spiritu, diuino frui eloquio, & alios docere queant, si pontifices, si sacerdotes esse volunt: alioqui non columnæ, sed vmbræ, non argenteæ sed plumbeæ erunt & obtusæ. Quid candelabrum septem luminibus distinctum, nisi septifarium sancti Spiritus lumen? cuius fulgore pontificum & sacerdotum lumina ita noctes & dies accenderentur, vt semper vigilare, semper insidias satanæ intueri possint: quorum lumbi castitate præcincti, spe firmi, bonis exemplis robusti, manus caritatis & fidei lucernis accensas prætenderent. Quid alia? Ipsa enim mensa Christus est, in qua duodecim panes propitiationis, duodecim sunt apostoli, qui Iesu Christi virtute atque doctrina imbuti, panem quotidianum angelorum, panem salutis nostræ, panem eucharistiæ quo vescimur, panem denique euangelicæ doctrinæ, & admirabilis ac diuini verbi, quod audiuimus, obtulerunt. Thuribulum, sanctorum orationes & mortalium supplicationes, quæ per ora sanctorum ascendunt ad Deum. Quid illa duo altaria? vnum incensi, hoc est, odor caritatis & fidei, qui angelorum ministerio fertur ante tribunal, & ante ipsum sancti & puri agni altare diuinum? alterum victimarum, in quo continentiæ cultro superbiam quasi taurum, arietem quasi iracundiam, hircum ipsam luxuriam, hœdum vitiorum fœditatem, & vitulum quasi saginam omnium voluptatum cupiditatumque immolare debemus? Arca testamenti, in qua secundæ legis tabulæ, hoc est, nouum instrumentum euangelicæ veritatis, & Iesu Christi mysteria (quæ in arca ecclesiæ, in arca animorum nostrorum perpetuo erant permansura) portendisse videntur. Virga Aaron, virga recti, virga regni, virga pontificum & sacerdotum, quæ sancta est institutio, summa dignitas, & iusta ac suprema iurisdictio, & quæ non vitiorum vi,

non terreo putris dominatus humore, sed suo ingenito virtutis, & dignitatis victitat succo, & vigore floresçit diuinitus. Vrna mannæ auro intercluſæ, ſubtilis diuini verbi intellectus, & dulcis ſancti eloquii cibus, qui non aurario in plumbo obliquæ & obtortæ diſſimulationis, ſed ipſo puro in auro fidei ſeruatus, pontificum & ſacerdotum miniſterio, peregrinantibus in hoc vitæ curriculo ſenſim exhibetur. Ipſas etiam gemmas, coccum, byſſum, purpuram, hyacinthum, quorum ornatu ſæpe angeli coruſcare videntur: nitorem, munditiam, ſcientiam, caritatem, iuſtitiam, ſpem, fidem, & ceteras virtutes, quas tametſi totius eccleſiæ, tamen pontificum & ſacerdotum ornatus, & indumenta eſſe ſatis conſtat. Vna & altera cherub, quæ ſupra arcam explicatis alis ſunt poſitæ, ſcientiæ, intelligentiæ & ſapientiæ fulgores, ab illa pura diuina & infinita luce per tranſennam eccleſiæ, in animos pontificum & ſacerdotum tranſmiſſos, accendunt. At vero ſancta ſanctorum (quæ ſemel dumtaxat intrare fas eſt) cælum ipſum oſtendere, vbi in latiſſima & lucidiſſima regia, quam vigor humanæ mentis penetrare nequit, perpetua in maieſtate atque vnitate cum Patre & Spiritu ſancto, Ieſus Chriſtus ſuper ſeraphim caritatis igne incendit, ſuper cherubim intelligentiæ ſplendore fulget, ſuper vero throno ſedet iudex ſæculorum. Infelix Iudæa, quæ cum per tot annos ſediſſet ſuper cathedram Moyſis, & Spiritus ſancti ſacrarium ſæpe extitiſſet, non in Abraham, non in Iſaac, non in Iacob, non in Moſe tabernaculum intellexit: qui cum per ſanctitatem Deum excoluiſſent, non ex caducis arborum frondibus, ſicuti ſuperſtitioſa, & cæca Iudæorum turba quotannis facere conſueuit, ſed ex virentibus virtutum omnium ramis ita animos formauerunt, vt ſinguli, Dei tabernaculum & Spiritus ſancti ſacrarium fierent. Infelix Græcia, quæ olim humanarum rerum arbitra, atque omnium doctrinarum inuentrix, & orbis terræ flos ſemper extitit, vſque adeo ab hinc centum annis pertinaciter illam caſtam & ſanctam Hilarii, Athanaſii, Chryſoſtomi, Cyrilli, Pamphili, Hierothei, Epiphanii, Baſilii, Gregorii, & aliorum ſanctorum patrum doctrinam deſeruit, vt ea deſerta, collapſa ſit religio: qua col-

ANNO CHRISTI 1517.

Anno Christi 1517. labente, ita corruit imperium, vt hodie non solum ab illo sancto tabernaculo abhorrere, verum etiam fidei doctrinæ ignara videatur. Infeliciane dicam, an ingrata Christianæ reipublicæ regna atque imperia, quæ nequissimorum spirituum fallaciis, & superbo tyrannorum dominatu cum diu captiuata essent, ac Iesu Christi mysterio, & apostolorum, pontificum & sacerdotum beneficio in tabernaculum recepta fuissent, tanta discordiæ, cupiditatis & luxus infelicitate, tanta bonorum ingratitudine tenentur, vt iure multo infelicissima & ingratissima dici possint. Quid enim in humana natura infelicius, quid miserius esse potest illo, quem nimia insperatæ fortunæ aura euexit, quem nimia diuitiarum affluentia impleuit, necdum expleuit, & quem nimia felicitatis opinio corripuit? Quid etiam ingratius, quid detestabilius, quam nulla beneficiorum memoria, sicuti nostra tempestate omnibus datur cernere, nullis laborum & virtutum meritis tangi, aut nulla eos gratia prosequi, qui vt grati viderentur, sub ipso laborum fasce defessi, spoliati, vexati, euersi, afflicti & necati sunt, quorum merita non solum perpetuæ obliuioni tradita, verum etiam qui viuunt, ab omni honoris aditu aut excluduntur, aut vexantur assidue. Rursus vero, quid infelicius & ingratius simul esse videtur, quam nullo virtutis præmio (in quo humana felicitas collocata est) adduci, nullo Iudæorum aut Græcorum exemplo vitam in melius instituere, super modium voluptatum sedere, animi vigorem pro fide catholica non accendere, finitimis & sociis arma inferre, orientis imperium (quod toties declamatum, acclamatum & conclamatum est) non vindicare, tot populorum seruitutem non respicere, corruenti tabernaculo ecclesiæ non occurrere, infelicitatis & ingratitudinis pœnam non expauescere, denique nulla iustitia, nulla pietate, nullo Dei metu permoueri? Atrox est enim, ferum & inhumanum, ita suis cupiditatibus incubare, ita sibi indulgere, ita sui obliuisci, ita fortunam non metiri suam, vt aliorum calamitates, labores, iacturas, merita, virtutes, benefacta aut neglexisse, aut toto pectore non excepisse videatur. Sed o ferrea, deuia & dura tempora, o cupiditatum cæcam & diuturnam curam, o miseram beneficio-

rum obliuionem, & o tenacem, noxiam atque ſuperbam ingratitudinis naturam, infinitamque duritiem, quæ quanto magis tuarum cupiditatum venenis indulges, tanto magis mortalium odia acuis, vitæ labores exaggeras, animi anxietudinem accumulas, pietatis lumen extinguis, atque vltoris Dei iram, furoremque tibi aſſidue prouocas. Nunc vero de doctrina atque virtute, quarum tametſi magnus eſt campus, tamen omnia in breuiſſimam arcam a me deducenda erunt. Omnis enim, quæ a Magis, Chaldæis, Gymnoſophiſtis, Brachmanis, Dryidis, vatibus, Pythagoricis, & ceteris philoſophis effluxit ſapientia, tam vana & incerta quam inanis & ſuperſtitioſa ſemper viſa eſt, & ſicuti in prouerbio, * ingenita leuitas & erudita vanitas. Docuit diuino eloquio Moſes Dei diſcipulus, cum primas veteris diſciplinæ tabulas confregiſſet, ſecundas vero digito Dei viui (hoc eſt, virtute verbi humanati) inſcriptas, in quibus euangelicæ veritatis myſteria continebantur, in arca teſtamenti, quod Chriſti morte ſancitum eſt, ſeruandas duxiſſet. Docuit Salomon rex, cum opulentiſſimum Dei templum, ad illius ſanctiſſimi tabernaculi exemplum, pro abrogatione veteris ritus & diſciplinæ, ac receptione nouæ & euangelicæ doctrinæ, a fundamentis ædificaſſet: cuius velum, in quo ſancta ſanctorum erant, & tamquam cælum ab aliis partibus diſcludebatur, in morte Chriſti ſciſſum eſt, vt diuina myſteria humano generi manifeſta fierent, & vt per altioris euangelii ſacramentum atque eius virtutem, tum primum mortalibus viam ad illam veram ſapientiam & cæleſte regnum patefactam eſſe oſtenderet. Poſtremo docuit Chriſtus, ſolus magiſter & pontifex futurorum bonorum, cum templum, & tabernaculum non manu factum, ſed maius & perfectius, hoc eſt, ipſum cælum, præ ſe ferret, cuius ſemel non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium cruorem primus introiuit ſancta ſanctorum, admirabilem, perfectam, ſanctam atque diuinam ſapientiam & doctrinam, vita, virtute & eloquio, docuit & oſtendit, ſuos pontifices & ſacerdotes in terris conſtituit, diuino igne afflauit, legatos Spiritus ſancti elegit, columnas eccleſiæ effecit, eccleſiam eorum humeris impoſuit, & præcones diuini eloquii eſſe voluit: atque

ANNO CHRISTI 1517.

* f. ingeniosa

ſic-

ANNO CHRISTI 1517. sicuti ipse missus a Patre sub legibus fuerat, idemtidem eos in vniuersum terrarum orbem, tamquam agnos inter lupos misit, non vt vanam & vacuam barbarorum, Græcorum, Latinorumve sapientiam docerent, sed vt omni creaturæ euangelium, euangelium dico, euangelium prædicarent.

Est igitur euangelii instrumentum, sola intelligentia, sola disciplina, & sola vera, casta & sancta sapientia: cuius non mortalis, sed ipse Deus optimus maximus auctor, effector & illustrator existit: ex quo quidem euangelio omnium doctrinarum, virtutum, & rerum diuinarum atque admirabilium, tamquam ex oceano, cum venæ, tum fontes effluxerunt. Quorum sanctos latices cum pontifices & sacerdotes ebibissent, dæmonia & dæmoniorum ministros (qui per tyrannidem catholicæ fidei cultoribus aqua & igni interdixerant) eiecerunt: serpentes, vitia, schismata, hæreses & hæretistas atque eorum prodigia, quorum venenum terram omnem subuerterat, sustulerunt. Linguis locuti sunt nouis, cum sancti Spiritus eloquio pleni, mortales ad pœnitentiam permouerent, ac diuinæ sapientiæ arcana, tot editis voluminibus, nobis aperirent. Mortiferum poculum impune biberunt, cum nullis illecebris, nullis cupiditatibus tacti, per medios venenorum potus, ignes, gladios, aculeos, interitus & mortes, vitam & immortalitatem inuenirent. Denique super ægros manus imposuerunt, cum ecclesiam, fidem, atque religionem, ægras, exanimes, & iam collabentes, ad sanitatem, vitam, & in suam sedem restituerent, corporum ægritudines curarent, sordes animorum delerent, ac solo sancto & ineffabili Iesu Christi nomine omnes ad salutem reducerent. Quorum illustres animæ, rebus sancte & feliciter gestis, ea via, qua Iesus Christus victor & triumphator ad Patrem ascendit, semel dumtaxat sancta sanctorum ingressæ diuinum templum & tabernaculum tot variis stellis, tot innumerabilibus luminibus, tot claris sideribus ita ornarunt, vt eorum fulgoribus assidue sacrosancta illustretur, purgetur, & perficiatur ecclesia. Quapropter te in primis sanctissimum patrem, qui pontificum & sacerdotum omnium pontifex optimus maximus existis, deinde vos sacros principes, qui tamquam

viuæ leges in senatu assidue consistitis, maxime & quam maxime decet, cum pro diuini Concilii maiestate, tum pro sacrosanctæ ecclesiæ dignitate, quiete & auctoritate hunc ordinem sacrorum pontificum & sacerdotum, quos Deus elegit, Iesus Christus instituit, Spiritus sanctus firmauit, ac vestra membra, vestros angelos, quos ad manum haberetis, & quos in vniuersum mitteretis, esse voluit: in sacrosancta catholica & apostolica ecclesia, cuius onus (vt hoc sanctum imperium late propagarent) suppositis humeris per tot annos sustinuerunt, labores obierunt, insectationes, iniurias, pericula, cruces & cruciatus subierunt, ob tot meritorum magnitudinem, ac eorum ipsorum præcipuam dignitatem, fidem, virtutem, doctrinam, constantiam, patientiam atque vigilantiam, quibus maxime addicti sunt, in ea, quam diuini verbi eloquio a Deo acceperunt, gratia, potestate & libertate seruare, colere, ornare, honestare: vt & sua sibi reddatur ecclesia, & vt ecclesiæ dignitas, dignitati auctoritas, auctoritati Christiana respublica, Christianæ vero reipublicæ pax, iustitia, pietas, & ipsa Iesu Christi sacra & sancta institutio restituatur. Dixi. Anno Christi 1517.

IN

[a]CONCILIVM [b]LATERANENSE V.

[c] œcumenicum [d] decimumseptimum [e] approbatum, [f] centum & quatuordecim episcoporum, [g] contra Pisanum Conciliabulum, aliisque de causis sub Iulio papa II. [h] anno Domini MDXII. inchoatum, & tempore Leonis papæ X. anno MDXVII. absolutum,

NOTÆ.

Concilium a quo indictum.

[a] *Concilium.*] Hanc Synodum auctoritate Iulii papæ secundi indictam & congregatam, Maximilianus auxilio & consilio promouit. Omnia enim mandata quæ sub eius nomine a schismaticis in Conciliabulo Pisano promulgata fuerant, reuocauit atque plane irrita reddidit. Iulius pontifex ecclesiasticæ libertatis defensor maximus, anno secundo post sui electionem, prout iuramenti interpositione promiserat, œcumenicam Synodum indixisset, si non grauissimis belli motibus iustissime impeditus, huc vsque ad annum pontificatus sui nonum eiusdem congregationem inuitus differre debuisset. Causæ indicti Concilii apud acta synodalia, non vno in loco indicantur. Schismatis illius, quod Conciliabulo Pisano pro-

Qua de causa.

pagatum fuit, extirpatio; Christianorum principum intestino bello inter se mutuo digladiantium optata concordia; Romanæ curiæ totiusque ecclesiæ reformatio; pragmaticæ sanctionis abrogatio, & expeditio contra Turcam suscipienda, primariam conuocandi & congregandi Concilii œcumenici occasionem dederunt. Vnde sessione prima Iulius pontifex oratione ad Synodum habita ait: *Conueniſtis in vnum patres*, &c. Et allocutus est Synodum, exhortans omnes ad meditandum & solerter insistendum super ordinandis, quæ ad ecclesiæ pacem & statum pertinent, ac schismatis extinctionem: & dictæ ecclesiæ reformationem, ac contra infideles per Christianos principes expeditionem, pacemque inter eos componendam.

Quisquis ergo hanc Synodum ea dumtaxat primaria intentione a Iulio indictam existimat, vt hoc prætextu iudicium Pisani Conciliabuli declinaret, grauiter aberrat. Cum enim Romanus pontifex legitime constitutus nulli iudici præterquam Deo subiectus sit, & a nemine, vt patres Suessionensis Concilii profitentur, iudicari possit, licebat eidem iustissime eiusmodi vsurpatum illegitimum iudicium declinare, etiamsi nulla alia causa grauiore impeditus fuisset. Quas vero ob causas alias pontifex reprobato & annullato Pisano Conciliabulo hanc œcumenicam hoc tempore Romæ potius, quam Pisis congregari voluerit, ex bulla indictionis huius Concilii dixi supra in notis Conciliabuli Pisani. Hæretici redarguuntur.

[b] *Lateranenſe V.*] Hæc Synodus inter œcumenicas in ecclesia Lateranensi Romæ celebratas numero & ordine quinta est. Prouincialium Conciliorum eodem loco sub diuersis pontificibus celebratorum numerus est tantus, vt cum nomine pontificis illius cuius tempore habita fuerunt, conuenientius, quam cum certa numeri nota inscribantur, citentur, & proferantur. Quotum œcumenicum fuerit.

[c] *Oecumenicum.*] Præsidium pontificis, præsentia patriarcharum orientalium, resque grauissimæ in Concilio habitæ, œcumenicam Synodum esse conuincerent, etiamsi acta synodalia nihil istius tituli continerent. Oecumenicum.

[d] *Decimumſeptimum.*] Eorum dumtaxat quæ auctoritate apostolica & consensu totius ecclesiæ confirmata & recepta fuerunt.

[e] *Approbatum.*] Leo pontifex per bullam, quæ continetur in actis synodalibus, istam Synodum non tantum approbauit, verum etiam ad maximam eius dignitatem declarandam graui pœna interdixit, ne quisquam ad decreta, Canones & constitutiones sacrosancti Concilii vllas glossas vel interpretationes citra consensum sedis apostolicæ adiiciat. Parebo monitis ecclesiæ, nihil interpretabor amplius: quidquid deinceps, lector, a me huic editioni alibi appositum videris, scias esse historias eiusmodi, quas ex probatissimis huius sæculi scriptoribus summatim excerptas posteritati tradendas esse putaui. A quo fuerit approbatum.

[f] *Centum & quatuordecim.*] Horum omnium nomina iuxta ordinem dignitatis apud acta synodalia diuersis in locis expressa inueniuntur. Sederunt eo ordine, qui in Concilijs œcumenicis hactenus obseruari consueuit.

Acta Concilii summatim enarrantur.

§ *Contra Pisanum.*] Quibus de causis hæc sacrosancta Synodus indicta & congregata fuerit, dixi supra verbo *Concilium:* quid vero in iisdem causis actum sit, indicant summaria sessionum synodicarum, quæ actis Concilii nescio a quo præfixa inueniuntur. Quæ cum plurimis in locis præter titulos & inscriptiones nihil habeant, rerumque gestarum & constitutionum editarum parum contineant, pergratum fore putaui, si argumenta dumtaxat singularum sessionum, quam possum breuissime hoc loco enarrem, eaque dumtaxat his adiiciam, quæ in prædicto summario desiderari videntur.

Sessio I.

Prima sessione, quæ habita est decima Maii, anno Christi millesimo quingentesimo duodecimo, Iulius orationem habuit, qua patres Concilii ad schismatis Pisano Conciliabulo propagati extinctionem, ecclesiæ sanctæ reformationem, principum Christianorum concordiam & vnionem, expeditionemque contra infideles suscipiendam exhortatus fuit. Qua finita recitata est bulla indicti Concilii, continens causas supra memoratas, quibus pontifex iuste impeditus, Synodum tempore quo promiserat congregare non potuerat.

Sessio II.

Sessione secunda, quæ habita fuit decimoseptimo Maii eiusdem anni, legitur bulla, in qua Pisanum Conciliabulum, omniaque eiusdem acta condemnantur & reprobantur: Lateranense vero Concilium legitime congregatum esse omnium suffragio definitur.

Sessio III.

Tertia sessio habita est tertio Decembris: qua per recitationem alterius bullæ, acta eiusdem Pisani Conciliabuli, omniumque schismaticorum cardinalium, tam vltra quam citra Alpes degentium, iterum annullantur, reuocatis etiam priuilegiis, quæ a sede apostolica acceperant.

Sessio IV.

Quarta sessione, decima die Decembris, recitata est bulla, in qua pragmatica sanctio, quæque eiusdem causa Conciliabulum Pisanum egerat, plane abrogantur atque irrita pronuntiantur.

Sessio V.

Anno Redemptoris nostri millesimo quingentesimo decimotertio, decimosexto die mensis Februarii habita est sessio quinta, cui propter aduersam Iulii papæ valetudinem præsedit N. cardinalis & Ostiensis episcopus. Post lectam bullam de simonia in electione pontificis non committenda, omnium consensu definitum est, simoniacam Romani pontificis electionem plane nullam esse, ipsique electo nihil iuris vel auctoritatis conferre. Additum fuit, quod non tantum cardinales simoniace eligentes, verum etiam omnes, qui vel auxilio vel consilio eamdem electionem promouissent, canonicas depositionis & irregularitatis censuras de facto incurrere debeant. Quam constitutionem synodalem dum omnes episcopi, quinque tantum exceptis, suo suffragio approbassent, finita est sessio quinta. Cumque his quinque sessionibus peractis Iulius papa vigesimoquinto Februarii obiisset, eique post interregnum 14. dierum vndecima Martii, anno Domini millesimo quingentesimo decimotertio, Leo, quem vulgo decimum nominant, in pontificatu subrogatus fuisset, sacrosanctam Synodum quam Iulius inchoauerat, Leo continuari, sextamque sessionem vigesimoseptimo Aprilis celebrari mandauit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Anno igitur supradicto 1513. vigesimoseptimo Aprilis habita est sessio synodalis sexta; qua deputati sunt vigintiquatuor prælati, quorum octo cum cardinalibus apud pontificem agerent de pace inter principes Christianos componenda, & schismaticis cardinalibus plane exstirpandis: reliqui vero partim pro reformanda curia, partim etiam pro fide defendenda, & pragmatica sanctione abroganda apud eumdem inter se conferrent. Sessio VI.

Septima sessione, quæ decimoseptimo Iunii celebrata fuit sub præsidio Leonis papæ, lecti sunt supplices libelli Bernardini Carauaial, & Frederici de sancto Seuerino schismaticorum cardinalium, quibus illi abiurato schismate agnitoque errore veniam sibi dari postulauerunt. Simplici clericali habitu induti, & ad pedes pontificis prostrati, post solenem schismatis abiurationem pristinæ dignitati restituti fuerunt. Sessio VII.

Octaua sessione decimonono Decembris definitum est, animam hominis immortalem esse, atque in pluribus hominibus non vnam; sed plures esse animas. Professoribus philosophiæ serio mandatum fuit, vt principia & conclusiones, quibus Ethnici a Christiana philosophia discrepant, qualia sunt dogmata de mundi æternitate, de animæ immortalitate & vnitate, fideliter explicent, veritatem confirment, argumenta Ethnicorum philosophorum proponant & dissoluant. Additum fuit, ne quis in sacris ordinibus constitutus, vltra quinquennium in philosophiæ vel poeseos studium incumbat; sed potius illo exacto studium theologiæ vel iuris pontificii adiungat, vt his scientiis instructus prædictam philosophiam cum poesi ab erroribus expurgare valeat. Sessio VIII.

Sessio nona habita est anno Domini 1514. quinto Maii sub præsidio Leonis papæ, in qua de ætate, grauitate morum, & scientia ordinandorum confirmata est constitutio Concilii Lateranensis œcumenici sub Innocentio tertio. Insuper decretum fuit, ne quisquam prælatorum citra defensionem iudicetur, causamque iustissimam de loco in locum alium transferatur; nulla deinceps monasteria commendentur; sed defuncto abbate statim ad alterius electionem procedatur; vniones perpetuæ tollantur; plura quam duo beneficia incompatibilia possidere nulla dispensatione concedendum esse etiam qualificato, nisi magna & vrgens causa id requirat. Cardinalibus mandatum est, ne extra Romanam curiam resideant. De puerorum disciplina præceptum est, vt non tantum bonarum literarum, verum etiam fidei, religionis, bonorumque morum disciplina informentur, diebus festiuis nihil aliud doceatur, quam quæ ad religionem & bonos mores pertinent. Constitutiones anteriores contra Simoniacos promulgatæ innouantur. Recitationem horarum canonicarum vltra sex menses ab obtento beneficio omittens, non tantum pro rata temporis officiique intermissi fructus, quos percepit, tenetur restituere; verum etiam si pergat vlterius contumaciter omittere officium, præuia legitima admonitione beneficio priuari debet. Sessio IX.

Sessio decima habita est quarto Maii, anno Domini 1515. in qua Sessio X.

Montes pietatis approbantur.

montes pietatis multis in locis vsurpati, & a sede apostolica approbati laudantur & approbantur, excommunicatis iis omnibus, qui vel verbo vel scripto eosdem impugnare ausi fuerint. Eadem sessione constitutum fuit, ne sub excommunicatione vllus deinceps liber nouus in lucem emittatur, quin vel per ordinarium loci, vel per inquisitionem hæreticæ prauitatis approbatus fuerit.

Sessio XI. de modo prædicandi.

Sessione vndecima, quæ habita fuit anno 1516. die 19. Decembris, edita est constitutio de modo prædicandi verbum Dei, nimirum ne quis publice concionari præsumat, qui non præuio examine est approbatus; addita determinatione, quas res e suggestu publicare liceat, quibusve ibidem abstinere debeat. Circa finem adiecta est decretis constitutio de religiosis, eorumque priuilegiis.

Sessio XII.

Sessione duodecima anno Domini 1517. decimosexto Maii celebrata excommunicantur quicumque domos cardinalium tempore electionis noui pontificis inuadunt: absolutoque Concilio, Leo pontifex vniuersa & singula, quæ superioribus sessionibus definita sunt, confirmauit & approbauit. Hæc summatim de rebus in hoc Concilio gestis.

[h] *Anno domini*, &c.] Quæ de tempore celebrati Concilii habet inscriptio, vera esse ex præcedentibus cognoscuntur.

VITA
LEONIS PAPÆ IX.
QVEM VVLGO X. NOMINANT.

Anno Christi 1513.

Leo quando pontifex factus?

LEO antea Ioannes appellatus, patre Laurentio Mediceo viro nobilissimo, & matre Clarice Vrsina Florentiæ prognatus, annum agens ætatis trigesimumseptimum, creatus est pontifex quinto Idus Martii anno 1513. tempore Maximiliani imperatoris, cum in numerum cardinalium ab Innocentio relatus, biennio propter Mediceos omnes a Carolo rege Francorum Florentia expulsos, a patria exulasset, binaque legatione in Florentia functus fuisset. Alfonsus Petrucius cardinalis admodum adolescens Leonis creationem de more populo Romano nuntiaturus, erupit in has voces: Pontificem habemus Leonem decimum; ac viuant vigeantque iuniores. Initio pontificatus repressis atque extinctis bellorum incendiis, quibus orbis fere vniuersus conflagrabat, totum se paci componendæ dedit, missisque ad principes legatis, pacem, tranquillitatemque reipublicæ comparauit; cardinales a Iulio dignitate spoliatos restituit; Synodum ab eodem Laterani inchoatam, & agi, & perfici iussit; Mutinam ab imperatore triginta millibus aureorum redemit; Sfortiam in ducatu Mediolanensi

Res gestæ Leonis.